

BIBLIOTHECA
SCRIPTORUM MEDII RECENTISQUE AEVORUM

SERIES NOVA
REDIGUNT
CLARA PAJORIN, ANTONIUS PIRNÁT ET LADISLAUS SZÖRÉNYI

IOANNES BOCATIUS
OPERA
QUAE EXSTANT OMNIA

POETICA

1

EDIDIT
FRANCISCUS CSONKA

AKADÉMIAI KIADÓ, BUDAPEST

IOANNES BOCATIUS
OPERA
QUAE EXSTANT OMNIA

POETICA
1

EDIDIT
FRANCISCUS CSONKA

(Bibliotheca Scriptorum Medii
Recentisque Aevorum. Series Nova.
Tomus XII/1)

„Poetarum per Hungariam facile princeps”, „praeceptor Hungariae Superioris”: haec et his similia scripsit Matthias Belius de Ioanne Bocatio, qui Vetschaviae, in Lusatae Inferioris civitate natus erat anno 1569. Studiis in Germania et Moravia confectis in Hungariam venit. Iniiit docendae munus iuventutis Epperiessini et Cassoviae, ubi a civibus brevi tempore primum notarius, deinde iudex primarius electus fuit. Post diaetam Carponiensem (1605) Stephanus Bocskaius in Germaniam misit eum ad renovatae religionis principes electorales, ut motum ordinum Hungarorum a calumniis purgaret. In itinere autem ab imperatore Rudolpho II in ducatu Brunsvicensi detentus, paullo post Pragam tractus in Alba Turri laesae maiestatis accusatus vinculis sempiternis affectus est. Post quinquennium ex carcere mirabiliter ereptus rediit Cassoviam, et denuo iniit munus ludirectoris. Anno 1619 se abdicans hac provincia in aula Gabrielis Bethlen, principis Transylvaniae historicus ordinarius factus est. Duobus post annis Hunnebrodae — quonam morbo, ignoramus — e vita excessit.

Patet omnibus, quam sint Bocatiana quaedam exemplaria rara, ideo opera Nostri omnia in tribus voluminibus (poetica nunc duobus, tertio prosaica paullo post) collecta iuris publici facimus. Quorum praecipue ea (ut Olympias carceraria, epistulae etc.), quae nunc primum typis excusa in manus sumi possunt, non sunt neglegenda.



AKADÉMIAI KIADÓ
BUDAPEST

IOANNES BOCATIUS

OPERA
QUAE EXSTANT OMNIA

POETICA

1

BIBLIOTHECA SCRIPTORUM MEDII RECENTISQUE AEVORUM

CONDITA A LADISLAO JUHÁSZ

SERIES NOVA

TOMUS XII/1

CONSILIUM EDITORUM

ST. BORZSÁK, T. KLANICZAY, P. KULCSÁR, G. SZÉKELY

REDIGUNT

CLARA PAJORIN, ANTONIUS PIRNÁT ET LADISLAUS SZÖRÉNYI

**INSTITUTUM LITTERARUM
ACADEMIAE SCIENTIARUM HUNGARICAE
SECTIO LITTERARUM RENASCENTIUM**

IOANNES BOCATIUS


OPERA
QUAE EXSTANT OMNIA

POETICA

1

EDIDIT

FRANCISCUS CSONKA



AKADÉMIAI KIADÓ, BUDAPEST 1990

The publication of the present volume has been sponsored by the
“Research into the exploration, recording and publication
of Hungarian cultural and historical relics” programme.

ISBN 963 05 5376 7 (Series)
ISBN 963 05 5377 5 (Tom. XII/1)

Edit Akadémiai Kiadó, Budapest
Editio princeps: 1990

© Franciscus Csonka, 1990

All rights reserved.

No part of this book may be reproduced by any means, or transmitted, or translated into machine
language without the written permission of the publisher.

Printed in Hungary
by Akadémiai Kiadó és Nyomda Vállalat, Budapest

HU ISSN 0133—6711

CONSPECTUS RERUM

TOMUS I

Introductio	7
1. Vita Ioannis Bocatii	9
2. Conspectus operum Bocatianorum	29
3. Abbreviationes	31
Opera poetica Ioannis Bocatii	47
I. Libri foliaque in patenti forma; tabula marmorea	49
1. Celadon	49
2. Ungaria gratulans	55
3. Siracides	63
Liber I Ecclesiastici	66
Liber II Paraenesium Siracidae	97
Liber III Ecclesiastici	130
Liber IV Ecclesiastici	166
4. Castra temperantiae	199
5. Munus iudiciale	264
6. Elegiae duae	271
7. Musae parentales	274
8. Novus annus	288
9. Hungaridos libri poematum V	318
Liber I martialia vel bellica continens	325
Liber II encomiastica dictus	409
Liber III nuptialia vocatus	500
Liber IV miscellanea complectens	526
Liber V sepulcralia complexus	565
10. Cordificium	596
11. Prosopopoeia diei sui Veneris	598

TOMUS 2

12. Bocatius redivivus	605
13. Hexasticha votiva	666
14. Militia S. Georgii	714
15. Militia S. Ioannis	729
16. Matthiados carmina heroica	750
Liber I. Agonalia	751
Liber II. Triumphus	770
Liber III. Coronatio	799
17. Hebdomelodia Ps. 103	803
18. Anser nuptialis	820
II. Carmina singularia in Nostri libris excusa	827
III. Carmina singularia in aliorum libris excusa	845
IV. Carmina in manuscriptis relicta	861
V. Fragmenta	872
VI. Carmina incerti auctoris	874
VII. Carmina perdita vel adhuc latentia	881
Annotationes	883
Appendices	955
Indices	1041
1. Index locorum et appellationum	1043
2. Index locorum Biblicorum	1045
3. Index titulorum poematum carminumque	1046
4. Index initiorum poematum carminumque	1068
5. Index metricus	1090
6. Index carminum translatorum	1091
7. Index auctorum appendicum	1092
8. Index nominum	1095

INTRODUCTIO

VITA IOANNIS BOCATII

Ex Lusatia oriundus

1569—1589: Ioannes Bocatius (Bock¹, Bogas², Bogáthy³, Bok⁴, Bokač⁵), cuius en, Lector Benevole, opera poetica in manibus tenes, in Lusatiae⁶ inferioris civitate: Wetschaviae⁷ natus est, ut ipse scribit: „Decembr. 25, hora secunda pomeridiana anno 1569.”⁸ Pater eius Peter Bock, mercator; avus Hans Bock, iudex primarius memoratae civitatis fuerat. Mater Anna Krügerin natione Soraba fuisse dicitur. Semel et Bocatius se Sorabum esse scribit, at multis in locis Germanum se appellat.⁹ Notum est adhuc ex diversis locis, ut habuerit fratrem, sororem et sororem privignam,¹⁰ quae anno 1598 Georgio Taubero, cataphracto Sendorviensi nupsisset¹¹, item fratrem adoptivum: Melchiorem Reinerum, cum quo a. 1612 reconciliaverit gratiam.¹²

Quando et ubi posuerit tirocinia, nihil pro certo habemus, in solo natali id accidisse putamus. Primum indicium, quod ipse Noster affert, Dresda est. Anno quidem 1610 scripserat: „... ich zu Dreßden vor etlich zwantzig Jahren studieret.”¹³ Annis ergo 1585?—1589? litteris et artibus studuisse Dresdae certum est. At incertum, quando fuerit, si fuisset, Witebergae, nam nomen eius in Academiae Witebergensis matriculis nusquam occurrit. Nec ipse memorat usquam se Witebergae salutavisse Academas. Neque tamen silentio praeter-

¹ 1114, 82

² JENČ 21; WIČAZ 1; MĚTŠK 669

³ HORVÁTH III, 394; IL 135

⁴ S.B.Slow. 36; Chrestomatija 34; BRTÁŇ 139

⁵ KADAVY 77; ŠPINER 5

⁶ Bel: Adp.Praef.I.; Misc.Lips. 112. Alii altercant: **Silesia**: ISTHVANFFIUS XXXIII. p. 500; Cass.vet.173. **Moravia**: KRÜCKEN—PARLAGI 122; ZEISEL 4

⁷ App. 142, 4. Nonnulli discrepant: **Vratislaviae**: CUNRADUS: Pros. mel 17; Sil. tog. 23; Kern—Chron. I, 537

⁸ Diar. 227. Variationes: 1549: TÓTH L. 1; SZINNYEY I, 1114; KRIŽKO 78; FRINTA 241; MÉL; IL. 1560: DULHÁZY 230; MELZER 121; KOHAUTH I. 1568: KARŠAI 125; LAZAR: Lit. živ. 246; SEDLÁK 16; SBS; 1599 [!]: [N.N.] 3. Nescit: WIČAZ I.

⁹ App. 142, 4; 508; 1049, 9—10; PROKOPIUS 211—212; FRINTA: Luž. srbové 162; KARŠAI 124; JENČ 21—22

¹⁰ Olc. IV, 23; Bocatius: Ōt év 90; epistolae; nomen fratris et sororum: Christophorus, Maria, Catharina

¹¹ AMK 4791/84

¹² 842; Ord. Epist. ded. 1

¹³ Red. Praef. 59. Bocatium et Praegae studuisse scribit PROKOPIUS 212

eundum est, quod in actis ad captivitatem eius pertinentibus invenimus. Die 28 Augusti a. 1606 interrogatus est Pragae. Excerptum ex actis sic decurrit:

„25. Frage: Zu was Enndt Er das Schreiben von Policarpo mit sich geführt?

26. Frage: Ob Er mit demselben Khundschaft?

Antwortet ad 26: Er sey sein Auditor gewesen zu Wittenberg undt von ihm etlich wochen Theologiam gehört.“¹⁴

Polycarpus Lyser (1552—1610), professor theologiae, bis degisse Witebergae traditur. Primum ab anno 1576 usque ad annum 1588, deinde per annos 1593—1594.¹⁵ Fieri potest, ut Noster circa 1585?—1588 annos frequentaverit lectiones Polycarpi. Anno enim 1592 iam Epperiessini consedissee eum videbimus. Qua de causa non fuerit matriculatus, id manet postea quoque obscuritate involutum.

Primitus iniit in Hungariam

1590—1592: Quare et exacte quando reliquerit Dresdam vel Witebergam, tantum conicere possumus, sed anno 1590 iam Iglaviae Marcomannorum visitavisse Academiam sine dubio ex carmine, quod in fronte: Michaeli Nanticovio, Iglaviae Marcomannorum pietatem docenti inscribitur, constat:

Vir clare et merito inter eruditos
Non vulgo at bene nobilis! Ioannis
Cuiusdam memor esne adhuc Bocati
Quondam discipuli?¹⁶

Iglaviae docuerat eodem tempore et magister Nicolaus Gaebelius, qui anno 1590 mense Martio Iglavia ad scholam gubernandam vocatus et iam ultimo mense Maii iniit munus ludirectoris scholae Cremniciensis. Poeta Noster ardentem dixit vale praeceptori suo:

Ergo pios Iglae, praeceptor amate, Penateis
Linquens semotos pergis adire Lareis?
Numquid amor stimulat Scythica tellure morari?
An trucibus properas obvius ire viris?
Nec retinere potest Stolshagius ille morantem,
Cuius ob ora virum nota Camoena volat.
Goltzium et longa tibi consuetudine iunctum
Non tenet, ut sine te vivere credit onus
Accipe versiculos vultu, precor, hosce benigno,
Nempe Maroneo carmine dignus eras

¹⁴ UAct. 185; 258; Bocatius: Öt év 154; 159

¹⁵ JÖCHER II, 2630—2631

¹⁶ 623 necnon 896

I felix: noster dum spiritus hos reget artus,
Non potero semper non memor esse tui.¹⁷

Licet id Bocatius nullibi memoret, ex aliis locis scimus Nostrum una cum compluribus discipulis secutum esse praeceptorem suum.¹⁸ Eo ipso tempore fecit iter per Posonium, quando ibi immani violentia debacchatum est incendium — teste Isthvanffio anno 1590 —, sicut in carmine legitur:

Clara tuos, Praesburga, Lareis quo tempore passim
Flamma vorasset edax, tua moenia forte viator
Aspexi indoluique, furens quod Mulciber urbem
In tantum laxis sese immisisset habenis.¹⁹

Annum adventus in Hungariam etiam ex anno 1599 scripto indicio possumus approbare. „... decennium adequitat, a quo vestrum hunc Martium primitus inii tractum, re et usu, quam prope credere par fit, maiorem. Hinc tamen repedavi Musis imperantibus Germanum in Heliconem, qui iam ante septem messeis, per quas Epperies me tenuit, vobis de fatorum auspiciis remisit.”²⁰

Primitus ergo tractum Hungariae iniiit anno 1590, qui annus quadrat in annum adventus Nicolai Gaebelii Cremnicium. Postea repedavit Germanum in Heliconem, qui anno 1592 remisit eum de fatorum auspiciis in Hungariam. Hi duo anni instar duarum columnarum stant prae nobis. Quid acciderit inter eas, i. e. inter annos 1590 et 1592, id in dubio relinquitur, licet multi multa scripserint de his tribus annis. Multa, sed non probata, et ea plerumque in Adparatum Matthaei Belii nituntur, de quo tandem aliquando profiteri debemus: perpauca scivisse eum de Nostro. Nescivit, quando is natus esset, neque quando et ubi concessisset fati. Nescivit de quinquenni eius captivitate, neque post reditum de regimine scholae Cassoviensis. Et quam pauca novit opera Bocatiana! Omnino tria, et quidem: Libros Hungaridos; Relationem vel Epistolicam commemorationem (in exemplari Ostrisithiano erat penes eum) et epigramma elegans in bellum Calvinisticum Alberti Graweri editum. Nihil amplius! Novit adhuc ex Schediasmatibus Poeticis innovatis epigramma Taubmanni: Ad insignia Bocatiorum. Instar codicis usus erat Kleschio et Isthvanffio.²¹ Quae sunt profecto pro fundamentis. At Belius tamen propter gravitatem suam, propter scribendi genus suum omnibus de Bocatio scribentibus exordium, fundamentum fonsque factus sit. Vera vel falsa posterius ab eo mutuabantur indicia biographi.

Sed revertamur ad propositum.

De annis tribus supra memoratis in Adparatu exstat: „... iam tum in Hungaria, forte Saxones Scepusiacos, scholas aperuisse existimandus est.”²²

¹⁷ 461; PROKOPIUS 212; KRIŽKO: Ms. 103; HÖRK 44

¹⁸ REZIK Sec. II. c. 10; KRIŽKO 263; KLEIN 81 (valde errat, pro 1590 scribit 1596)

¹⁹ ISTHVANFFIUS XXVII. p. 361; 445

²⁰ Hung. I. Epist. ded. 17

²¹ BEL: Addit. 23

²² Praef. II.

Nunc id maxime quaeritur, quibus finibus includitur terra Scepusiaca et quos possimus numero Scepusiacorum inserere. Nam pro firmo tantum sequentia habemus, quae inter se haud facile cohaerescunt.

Scholasticus erat Schemnicii, ut epistola eius ad iudicem senatumque Schemniciensium scripta affirmat: „Agnosco meum esse, vicissim pro beneficiis aliquam gratiam referre, quibus in vestra civitate scholasticus olim cumulate sum ornatus.”²³

Anno 1591 depingitur Cremnicii, teste epigrammate, cui inscribitur: „Sub effigie mea 1591. an. Cremnicii depicta”, in quo epigrammate „bis duo lustra” (viginti? annos) natum esse de se fatetur.²⁴

Docuit Franciscum Hedervarium Cremniciae Illaviaeque:

Ecquid, Hedervarii, memor es, Francisce, magistri
In castro Illaviae Cremniciaeque tui?²⁵

Docuit fratres Ostrositios, forsitan ut praeceptor domesticus:

Inter summates non ultime Pannonis orae,
Fratribus informans cuius in arce fui.²⁶

Nunc auratus eques, mea quondam cura docentis,
Vere-nobilium flosque decusque virum.²⁷

Anno 1592 iter fecit per Iaurinum²⁸ et Tirnaviam.²⁹ Quorsum, in Hungariam ex Teutonicis oris? Aut in Germaniam, quae ora hinc procul iacet? Difficile est hoc ad diiudicandum.

Heros clare sago, timor hosticus! optime praeses,
Cuius ad imperium Mars citus arma rapit.
Si memor es (quod eras) etiamnum forte Bocati,
Qui cor Hedervarii struxerat arte tui.
Heic Ostrositiae qua labitur arcis ad albae
Littora praepoperi nobilis unda Vagi.
Huc ex Teutonicis iterum sese attulit oris,
Egregium vestrae visat ut arcis opus.
Ut si Turca (Deus quod clemens differat annis
Aeternis) bello sterneret hancce suo:
Nota et visa tamen succurrat imago reverso
In patriam, hinc nobis quae procul ora iacet . . .³⁰

²³ MPEtA 1928: 76—77

²⁴ 602

²⁵ 764

²⁶ 758

²⁷ 759

²⁸ 366

²⁹ 446

³⁰ 366

Tandem aliquando post incerta multa pro certo habemus: „Anno 1592. die 29. Iunii susceptus est . . . a senatu Ioannes Bocatius Wetschawiensis Lusatus, cui pro primo semestri iuxta conventionem dati sunt Fl. 16. Quia vero commendatus est a ministerio, polliciti sunt per integrum annum Fl. 40.” Idem affirmat epistola Teuffenbachiana „Ioanni Bocatio, iuventutem in schola Epperiessina piis litteris erudienti.” Ad calcem epistolae: „Cassovia 3. Septembr. anno 1592.”³¹

Ludirector Epperiessini

1593—1599: Ab hoc anno iam in omnium conspectu agitur vita Nostri. Decernit sedem deligere residereque in Hungaria, ideo testimonium legitimae nativitatis petit a senatu Wetschaviensi, quod senatus die 26 Aprilis 1593, ut praescriptum est, exhibet. „Weil ihme fast beliebt, an frembden orten, seiner besserer gelegenheit nach (dy wir von hertzen und gar treulichen hiemit wollen gegönnet und gewünscht haben) sich ein und nieder zulassen.”³² Statim vel brevi tempore correctoris munus obibat, ipse enim synodo die 5—6 Octobris a. 1593 Epperiessini habitae hunc in modum subscripsit: „Ioannes Bocatius, scholae Epperiensis collega.”³³ Simili celeritate ascendit ad altio rem gradum, die enim 20 Ianuarii a. 1594 iam director scholae Epperiensis evocatus est.³⁴

Erudivit iuventutem secundum Senecae dictum, i. e. non scholae is firmabat tantum litteris discipulos suos, „sed iis praecipue artibus subigebat eos, quae cum toti universim vitae, tum administrandae olim reipublicae sunt necessariae. Adolescentia nobilis certatim confluebat in eius disciplinam.”³⁵ De se ipso sine ulla iactatione sequenti modo loquitur: „Bene de iuventute merendi conatu totus ardeo . . . De me revera id affirmare ausim, quod nulla me mundi ingratitude, de qua passim multi quiritantur, nullae molestiae, nullus labor adeo frangat, ut de conatu in docendo et erudiendo tam facile abduci patiar.”³⁶ Etiam si agnoscat:

Quid contemptius est docere ludis?
Quid molestius est docere ludis?
Quid pauperius est docere ludis?
Hoc olim haud bene credidi magistris,
Quod sat experior modo magister.
Eloquar taceamne? sustinemus
Nos, nos coelum humeris, Atlantis ingens.
Et fors conditio rudis bubulci

³¹ App. 64; AMP, Učt. kniha č. 10, fol. 253b

³² App. 142, 7; ItK 1913: 116—121. Ex eodem testimonio (4) scimus patrem iam obiisse mortem.

³³ PROKOPIUS 212; MUNYAY: Progr. 7; HÖRK 44; AMP, Učt. kniha č. 10, fol. 283b

³⁴ App. 87; AMP, Učt. kniha č. 10, fol. 309b

³⁵ BEL: Adp. Praef. II.

³⁶ Sir. Praef. 7; 9—10

Est nostra potior: laboriosi,
Quod noctesque diesque taediosum
Exantlamus onus, nec ulla nostris
Sors arridet et ulla Gratiarum
Se non praebuit optimis benignam
Praeceptoribus arte liberali
Ipse nunc didici docere ludis
Crucem maximam et esse id eruditis
Taediosius omnibus molestis.³⁷

Mentem et voluntatem Nostri pedagogicam respondisse nostrorum temporum postulatis, fidenti animo effari audemus. Memoratu est dignum et id, quod primus fuit Bocatius in Hungaria superiore, qui cum discipulis suis excursionem faceret in montes Carpathicos.³⁸ Matthias Belius iustis de causis nominavit eum praepceptorem superioris Hungariae.³⁹

Insequenti anno (die 21 Iunii) Bocatius Ioannis Belsii, viri celeberrimi, non multo ante nuptias obeuntis, filiam unicam uxorem duxit. Qua de re audiamus Nostrum: „Quod felix faustumque sit, celebravi nuptias cum Elisabetha Belsia, et hospites ad tredecim mensas collocatos largiri cibo potuque excepi.” Elisabetha erat tunc temporis quindecim annorum nata.⁴⁰

Fama Bocatii magis magisque crescebat, at non solum per discipulos suos, neque per parentes discipulorum, sed per ingenium suum quoque poeticum. Sine intermissione evolabant in lucem opera eius: *Celadon*; *Ungaria gratulans*; *Siracides*; *Oratio de profanitate*; *Castra temperantiae*; *Munus iudiciale*; *Elegiae duae*; *Musae parentales*; *Novus annus* et ad extremum: *Hungaridos libri poematum quinque*. Quibus ex operibus nonnulla magni momenti erant in vita Nostri. *Ungaria gratulans* e. g. permulcebat aures Maximiliani archiducis Epperiessinum, ut exercitui Hungarico praeesset in bello contra Turcas, venientis. Hic est quidem radix initiumque laudis Bocatianae crescentisque famae posterioris. Bocatius enim non solum archiducis dicta et facta, sed etiam multorum magnatum nobiliumque, inter alios Sigismundi Bathory, principis Transsilvaniae, Christophori Teuffenbachii, Christophori Darholtzii, Forgachiorum, imprimis Simonis Forgachii res gestas mirum in modum dilaudavit, quod postea calumniatores vel invidentes Bocatio adulationem appellabant. Sed isti homines aut obliviscuntur, aut oblitus sunt rei, ut in illo tempore poetarum fuisset adulari. Si vivere volebant, si opera sua typis excudi intendebant, coacti erant patronos suos ad astra evehere. Nec Noster potuit secus facere. Ideo factum est, ut anno 1596 archidux Maximilianus, necnon Simon Forgachius impetrarent a caesare Ioanni Bocatio — merito an immerito? diiudicent alii! — titulum poetae laureati.

³⁷ 581

³⁸ 622; KARŠAI 133; NEMČEK 206—207; BOHUŠ 31; KERUL'OVÁ 7

³⁹ BEL: Adp. Praef. III.

⁴⁰ Diar. 229; 557, 8; 33; AMP, Učt. kniha č. 10, fol. 320a

Eodem quoque anno adeptus est Witebergae titulum magistri artium liberalium. Praenuntius erat opus eius ibidem excusum: *Siracides*. Inter 44 candidatos in acie collocatus debuerat orationem suscipere *De profanitate Turcicae religionis deque rebellionis maledicti regni initiis et incrementis*. Observabatur enim in illa Academia, ut qui loco principe dignus iudicaretur, debuisset publicae eruditionis suae specimen quoddam edere, ne de ipsius dignitate subdubitetur. Re Noster splendide probatus est.⁴¹ Amici ac discipuli certatim scripserunt ad eum carmina gratulatoria.⁴²

Nec favor caesareus desiit erga Bocatium. Post annos duos denuo praestitit signum benevolentiae suae: in votum Simonis Forgachii concedens nobilium ordini ascripsit Nostrum,⁴³ qui ex imo pectore egit gratias cum caesareae maiestati pro laurea et nobilitari titulo:

Aurea cum ducibus des, laurea sarta poetis,
Quas bene divitias, maxime caesar, habes.
Aurea das ducibus, mihi laurea sarta, Rodulphe:
Sic aurum et laurum det tibi sancta Trias.
Aurea sic redeant te caesare saecula, sic te
Aurea, sed sero, ponat in astra Deus.⁴⁴

tum patrono suo iam demortuo et filiis eius:

Qui mihi laurigeros et nobilitatis honoreis
A magno petiit caesare, morte iacet.
Sim nimis ingratus, charitum sim nescius, immo
Sim prave oblitus nominis ipse mei:
Ni qua reponantur meritis pia, gratia restet,
Ni qua canam, nec me longius ire decet.⁴⁵

Sic ascendit Bocatius in culmen famae gloriaeque suae. Sed uti fieri assolet, quem multi vident miranturque, multi student sibi assequi. Quod et nunc ita factum est. Albertus Grawerus, vir ille clarus ob timorem Turcarum rediturus in Germaniam abdicavit se moderatione scholae Cassoviensis. Cassovienses successorem quaerentes Nostrum putabant eo officio dignissimum. Ex epistola non abs re erit excerptum adscribere: „... ea nos imprimis, hos ipsos totos menses, cogitatio tenuit, ecquemnam dignum haberemus, quem in Graweri locum sublegeremus. Nam ipsa iuventutis nostrae frequentia, suo certe iure poscere a nobis publice magnam curam videbatur deligendi eius, qui ei iuventuti recte atque utiliter praeficeretur. Is cum tu unus, praeter caeteros, multorum prudentium virorum testimonio et praedicatione eo dignus munere videare,

⁴¹ MPEtA 1928: 76—77

⁴² Gratulationes; App. 97—105; 130—140

⁴³ 19. Aug. 1598; JANSON 12; NOVÁK 17; ŠOBA Levoča, SŽ. Armales No. 7

⁴⁴ 357

⁴⁵ 283

magistrum te et rectorem iuventutis nostrae scholasticae, communi omnium suffragio, elegimus et vocamus Datum Cassoviae die 11. Maii anno 1599.”⁴⁶

Bocatus annuit vocatoriis, et regimen scholae legitime ei oblatum suscipere velle reddidit. Ecce etiam ex responso aliqua: „Cum autem, ut scripsi, reculas meas tam cito disponere, supellectilemque meam adeo tumultuarie non potuerim convasare, trium vel quattuor septimanarum moram ut aequam ferretis animo, iuxta rogavi. Quapropter, cum iam tempus illud praeterfluat et mediocriter sim ad abeundum paratus, indico diem, quo possim hinc discedere, nempe 14 vel 15 huius mensis iuxta Novum Cal. Ad quorum alterum Amplissimae Vestrae Dominationes currum unum pro supellectile mea vehenda capaciore expedire potuerant. Quia vero coniunx mea sit ad septimanas aliquot hic apud meam socrum relinquenda, quod partui sit vicina, ut et ipsius res, cum idoneum erit, similiter A. V. D. curent, sum rogaturus Datum Epperiessini 7. Iunii iuxta Nov. Cal. anno 1599.”⁴⁷

(Partus in epistola memoratus mense Iunii vel Iulii feliciter evenit. Filius, cuius nomen Henricus, autumnno anni 1607 peste Posonii grassante abreptus est.)⁴⁸

Ioannes Balogus, amicus Nostri sincerus, Bocatio Cassoviam proficiscenti hoc tenore dixit vale:

Nate dea, croceo genuit quem Aurora cubili,
Cur tibi dic uno tempore dona ferunt?
Caesar avem, coniunx puerum, Cassovia munus,
Hungariden Genius, metra sophi, aera duces.
Nobilis es vates, pater es factusque magister,
Pannonius, Clarius, aureus, haec ratio est.
Ito bonis avibus, pueros rege, civibus adsis,
Pannonas exorna, praemia digna cape . . .⁴⁹

Notarius mox iudex Cassoviensis

1600—1605: Bocatus itaque aestate anni 1599 Epperiessino Cassoviam transmigravit et suscepit regimen iuventutis, sed nec annum medium praefuit scholae. Sebalduus enim Artnerus, notarius urbis in mense Novembris aegrotus Vienna reversus obiit mortem,⁵⁰ et in locum eius Noster vocatus est. Die 16 Novembris respondit senatui: „ . . . Ich mich erstlichen höchlich, fleissig und aufs aller demüthigst bedencken thue, das sie mich zu einem so hohem und wichtigem Ampte zur zuegebrauchen gedacht sein . . .”⁵¹ Et quia non calluit linguam

⁴⁶ App. 90

⁴⁷ AMK 4843/9; AMP, Učt. kniha č. 10, fol. 441b

⁴⁸ Olc. II, 52; Bocatus: Őt év 75

⁴⁹ App. 62, 1—8

⁵⁰ AMK H III/2 pur. 2. fol. 300

⁵¹ AMK 4843/85; TÓTH L. 6—7, qui diem mendose prodit

Hungaricam, subnotarium rogavit: „... Und weil ich auch der Ungerischen sprach (ausgenommen was etlich vocabula und phrases domesticae sein) nicht kündig bin, verhoffe ich es werden Eure Ersame Weisheit dahin bedacht sein, wie sie etwan neben mir einen Tauglichen Subnotarium halten Ubergieb auch also darneben E. E. W. meinen Schuldinst, höchlich bittende, sie wollen meine schularbeit, so ich die Zeit hergetragen, vor lieb genommen haben, und so was mangelhaftig, nicht meinem unfleis, sonder meiner leibes schwachheit, welche mich per vices eine Zeit her gehalten, zueschreiben.”⁵² Die 2 Decembris anno 1599 sollempniter praestitit iuramentum solitum.⁵³

Ordine per tres annos (1600—1602) agebat officium notariatus. Susceptus est in cives Cassovienses;⁵⁴ in diaeta Psoniensi descripsit propositiones regias;⁵⁵ anno 1602 die 7 Ianuarii natus est filius eius secundus: Melchior.⁵⁶ Nec inter hos, nec inter sequentes annos morabatur in rebus scholasticis. Mendum est ergo a Kleschio prodita, a Belio divulgata appellatio: rector utriusque rei publicae,⁵⁷ quam postea multi mutuabantur iterabantque. Bocatius hoc titulo nunquam et nusquam usus est. Errat et Janson affirmans Bocatium ideo usum esse hoc titulo, quia et 28 pagis ad Cassoviam pertinentibus praefuisset.⁵⁸ Huius sententiae nec vola, nec vestigium exstat.

Anno 1603 ad altiorem gradum ascendit. „... communibus totius Communitatis suffragiis usitato et sollempni ritu electus est in huius inclytae Cassoviensis reipublicae iudicem nobilis, egregius et circumspectus Magister Ioannes Bocatius, poeta laureatus et notarius ibidem die videlicet consueto, proximo post Epiphaniarum festum, qui fuit 13 Ianuarii. Cui Deus Optimus Maximus foelix regimen concedat. Amen” — ut in protocollis Cassoviensibus decurrit.⁵⁹

In anno sequenti ab electa Communitate unanimi voto reelectus est Noster in iudicem et in Curia est inauguratus die 13 Ianuarii, quia nec in templo adempto, nec solito more in cimeterio iam id fieri potuit.⁶⁰ Erant scilicet ea tempora turbulenta.

Pauca de his, quae tunc temporis Cassoviae acciderant. Imperator Rudolphus II. iam in anno praecurrenti edictum misit comiti Jacobo Barbiano Belgioioso, generali supremo Hungariae superioris, de adimendo a Lutheranis templo Cassoviensi, simulque tradendo collegio canonicorum Agriensium, tunc temporis Cassoviae commorantium.⁶¹ Ademptionem die 7 Ianuarii anno 1604 per vim factum esse notum est.⁶²

⁵² ibid.

⁵³ AMK H III/2 pur. 8. fol. 7

⁵⁴ AMK H III/2 civ. 1. fol. 7

⁵⁵ AMK 19322; SZÁZ 606; EPhK 1910: 195

⁵⁶ HORÁNYI 498; EPhK 1910: 197; ŠOBA Košice, Matrika ev. fary, zv. I. 78

⁵⁷ KLESCHIUS 21—22; BEL: Adp. Praef. VI. et multi alii

⁵⁸ JANSON 15

⁵⁹ AMK H III/2 pur. 2. fol. 304b

⁶⁰ AMK H III/2 pur. 2. fol. 307b. De cimeterio v. JÓKAI: K. b. 62—63; MARTINKA 258

⁶¹ WICK 81—87

⁶² ItK 1913: 119—120; WICK 87

Cassovienses statim post ademptionem una cum duobus senatoribus Bocatium legatum miserant ad caesarem. Pragae incassum fuerunt dona ac supplicationes, legati nec aditum aulae assecuti sunt, ut librum querularum traderent, et post annum medium re infecta revertabantur.⁶³ Memoriam huius legationis bene servavit carmen, cuius auctorem Stephanum Xylandrum fuisse puto:

Caesaris ad curiam sedeo noctesque diesque,
Nec datur ingressus, quo mea fata querar.
Teutones ite duces et nostro nomine saltem
Dicite, praeclusi praesidis ante pedes:
Si nequeo placidas affari caesaris aures,
Saltem aliquis veniat, qui mihi dicat: abi.⁶⁴

Balthasar Exner his annis item Pragae agens, sic loquitur ad Casparem Franckum: „Ex me si quaeras, Vir Magnifice, cur hoc praescripto te compellem vel interpellem potius, qui pro me vel sola nominis umbra tibi satisfaciat, praesto est Bocatius. Quantus hic vir, tu nosti, ego tecum, nobiscum alii. Is cum regiam Pragensem reipublicae causa anno praeterito appulisset, per alios mihi, per me aliis cupivit insinuari. Ego qui alias ultro ad bonos bonus fluo, in amicitiam pleno currebam cursu, et eos quoque, quos tum arsi et suspexi, conciliavi illi, hominum perpaucorum homines, quos honoris gratia nomino: Giphanium, Colerum, Clingerium, Gisbicium et quod sibi praecipue honori iucunditatique duxit, nobilissimam Elisabetham-Johannam Westhoniā, Anglam, poetriam rari exempli, Ioannis Leonis IC. in aula nostra agentis coniugem.”⁶⁵

Nec Bocatius compressis, ut aiunt, manibus sedebat Pragae. In officina Ottmariana opusculum *Cordificium* iuris publici fecit,⁶⁶ quod postea in captivitate magnum malum intulit ei.

Autumno anni 1604 fiebat initium tumultus Stephani Bocskaii, cuius exercitui Cassovia templo adempto offensa aperuit portas.⁶⁷ Ab hoc tempore favebat et Noster partibus Bocskaii. Anno sequenti senator et ablegatus Cassoviensis intererat variis comitiis diaetisque regnicolarum, et comitem se adiunxit principi Bocskaii, cum is in campo Rakos, ex adverso ripae Danubii et Budensis civitatis, convenisset Mahometico Vezirio. Quo de conventu scripserat in Ms-o relictum opus, cui titulus est: *Relatio vel Epistolica commemoratio*, quam primum Mathias Belius excudi curavit.⁶⁸ Eodem fere tempore finxit ex mandato principis

⁶³ AMK H III/2. mac. 45. fol. 750

⁶⁴ 1113

⁶⁵ EXNER: Syll. A2a. Hubertus GIPHANIUS v. Rukovět' 2, 219; Christophorus COLERUS v. Rukovět' 1, 406—407; Henricus CLINGERIUS v. Rukovět' 1, 383—386; Paulus GISBICIUS v. Rukovět' 2, 456—479; WESTONIA v. LATKÓCZY; SZEPSI CSOMBOR: Eur. var. 186; Össz. 36; 521

⁶⁶ FRINTA 242 et multi alii errant, cum annum editionis 1615 affirmant

⁶⁷ ISTHVANFFIUS XXXIII. p. 500; Cass. vet. 174; KAZY 38 et multi alii

⁶⁸ Adp. VII.

Prosopoeiam diei sui Veneris,⁶⁹ quae caelata hodie quoquo cerni potest Claudiopoli in vestibulo domus, cuius inter parietes Stephanus Bocskaius in lucem editus erat.⁷⁰

Post conventum Budensem incepit diaeta Carponensis, ubi ex proposito consilioque suscepto Bocatium legatum miserunt in imperium, ut electores, repurgatae religionis principes, conciliaret rei Hungarorum.⁷¹ Legationem Noster volens-nolens suscipere coactus erat.

Incola Turris Albae

1606—1610: Pars haec sequens re vera succincta est Olympias carceraria, indicia omnia ex ea sunt excerpta.

Bocatus initio anni 1606 cum famulo suo⁷² commiserat se viae, et per civitates sequentes direxit cursum suum Heidelbergam (ubi tunc temporis Fridericus IV. sedebat in solio): Epperies — Bartpha — Cracovia — Nissa — Praga et Norimberga. Cum Noster incepisset iter in imperium, se ab aulico delatore subsecutum esse ignoravit. Delator ille, nomine Anthonius Schliffel,⁷³ iam Nissae voluerat Bocatium comprehendi, episcopus autem aliqua de causa non implevit votum eius. At fieri potuit etiam id, ut Noster clam et tempore matutino abiisset Nissa. Denuo Heidelbergae erant inter se obvii, et exinde iam delator non amisit e conspectu Nostrum.

Bocatus in aula Heidelbergensi benigne acceptus erat. Sincere aperuit statum Hungariae, refutavit calumniatores, qui criminibus falsis obscuraverant Hungaros simulque principem Bocskaium. Fridericus se in omnibus rebus adiuturum esse Hungaros promisit, deinde muneribus, in quibus anulo aureo, large donatum dimisit Nostrum.

Iisdem annis (1603—1607) studuisse Heidelbergae Nicolaum Thököly baronem una cum suo praeceptore comitante Stephano Miscolcino bibliographis satis notum est.⁷⁴ Hic Stephanus admonebat Nostrum de aulico delatore, at Bocatus maximam habuit fidem futuro, et credidit se in tuto esse positum. Sine ulla anxietate exaravit in ei oblato Albo amicorum verbo tenus haec: „Seneca: Quae iam gravia sunt pati, olim erunt dulcia meminisse. Scribebat Heidelbergae M. Ioan. Bocatus, PLC, legatus hoc temporis Hung. ad imperium. 1606 mp. [aliena manu:] 18 Februarii.”⁷⁵

⁶⁹ 694—697

⁷⁰ KAZY 34; VASS 14; JAKAB 445—446 et alii

⁷¹ ISTHVANFFIUS XXXIV. pp. 514—515; KAZY 58 et multi alii

⁷² Ioannes Teubel (Teuffel); 1003; posterius conduxit et alterum famulum: Nicolaum Schüssler, civem Bartphensem

⁷³ 913

⁷⁴ HELTAI 336

⁷⁵ JAKÓ 68

Ante discessum visitavit adhuc bibliothecam, stabula, aquae ductus, clenodia et armamentaria. His peractis pergebat iter ad principem Brandenburgiensem, ad quem autem nunquam pervenit, quia Northemii,⁷⁶ in civitate Göttinga non procul sita, praestolabatur ei delator aulicus. Illuxit dies 26 Februarii. Vix ingressus est Noster in civitatem, statim deprehenditur. Conicitur in carcerem, spoliatur a nummis, litteris, libris ac rebus usitatis. Captivus constanter se innocentem esse affirmavit at incassum, non auditur. Cum vidit irritas esse supplicationes, voluit se interimere. Scripsit testamentum, sed mors voluntaria haud bene evenit. Aula Pragensis interea vehementer instabat senatui Northemiensi de transportando captivo Pragam, at princeps Brunswigae, Henricus Iulius, per spatium semestre resistit mandato caesareo, quia persuasum erat sibi Bocatium innocentem culpaque carentem esse. Frustra; ad extremum vicit caesarea potestas. Circa medium mensis Augusti Bocatius transvectus erat Pragam, ubi in arce incola Turris Albae factus est.

Brevi tempore inceperunt interrogationes, torturae, mox laesae maiestatis accusatus morti damnatus est. Accusator, testis, iudex in lite Iacobus Barbiano Belgioioso erat. Paulo post clementia caesarea supplicium in vincula sempiterna commutavit.

Circa Kalendas Maii percrebuit rumor in Hungaria de Bocatio intercepto et Pragam deducto.⁷⁷ Princeps Bocskaius illico scripsit Matthiae archiduci,⁷⁸ neque ad mortem suam desivit pro legato suo intercedere. Frustra. Intercesserunt urbes, comitatus, ecclesiae repurgatae religionis, comitia, diaetae — incassum. Per duos annos integros supplicabat Pragae uxor Nostri: litteris, vocibus, genibus nixa pedes osculando, sine successu. Falsa est illa a Rezikio prodita fabula, ut uxor Nostri ceu ancilla operaretur in culina carceris, ut sic liberaret servitute maritum suum.⁷⁹

Labuntur interea anni fugaces. Iterum et ad extremum periculum faciebant liberatione Nostri ii, qui proximi erant caesari in aula. Supplicabant pro captivo electores: Coloniensis ac Trevirensis, frater item et patruelis caesaris: Maximilianus ac Ferdinandus, necnon Henricus Iulius, dux Brunsvicensis. Per extensum prodimus supplicationem eorum.

„Clementissime Caesar domine, gratiosissime quoque ac dilectissime domine frater et patruelis, ab Elisabetha, Ioannis Bocatii uxore, iuxta hic adiunctam eiusdem supplicationem humiliter rogati et requisiti sumus, ut Caesaream Vestram Maiestatem exorare dignaremur, quo ipsius iam in quintum annum hic captivus maritus ex incarceratione exemptus, priori libertati restituatur. Etsi vero, quid ille captivus commiserit praeter hoc quod commemoratur, nobis nihil constat, nec in rebus eiusmodi ignotis Caesareae Vestrae Maiestati molesti et graves esse vellemus. Ad memorati tamen captivi uxoris varias et multiplicas

⁷⁶ 706

⁷⁷ Cod. Chron. 183a

⁷⁸ TT 1882: 230; 234

⁷⁹ REZIK Sec. II. Schola Cassoviensis; et alii multi

miserabilesque lamentationes et incessabiles ad nos donec hic mansimus, cursitationes, in illius et eiusdem miserorum parvulorum liberorum gratiam, ex commiseratione, quin hanc tandem intercessionem pro illis conscriberemus, facere non potuimus. Quoniam igitur praefatus Bocatius iam in quinquennium captivus, exacerbasset et aliquid peccasset, nunc, arbitrio praevaricationi suae in quinquenali hac incarceratione mediocres ubique dedisse poenas. Caesaream igitur Vestram Maiestatem humillime et obedientissime rogamus, si delictum eiusdem captivi gratiam ullam admittere potest, dignetur illum quinquenalem captivum uxori ac innoxiiis eiusdem parvulis liberis, carcerariae exemptum servituti liberum remittere. Quo Caesarea Vestra Maiestas Deo pergratum opus misericordiae praestitura experietur a Deo omnipotente compensationem, pro preces supplicantium cum parvulis suis liberis, quo usque vixerint, ideo vota facturis impetrandam. His Caesaream Vestram Maiestatem ut diutissime et constanter bene valeant, Altissimi gratiae ac tutelae commendamus. Datum Pragae 3 Septembris a. 1610 Johannes Schweikhardus, Ernestus, Maximilianus, Ferdinandus, Henricus Iulius.”⁸⁰

Exarata erat supplicatio, sed nullus principum ausus est exaratam caesari exhibere. Tandem dux Brunsvicensis intravit ad Rudolphum. „Ab illo increpatus et per indignationem caesare mutante colorem et obiter adspectam intercessionem reddente his verbis: Si meam vis obtinere gratiam, nil horum deinceps ausis. Ne nomen Hungarorum audire possum.”⁸¹

Iterum ac ultimum supplicavit uxor Nostri. Vicecancellarius respondens uxori profert in medium condiciones liberationis: „Primo, si vos ambo vultis boni catholici fieri Christiani. Secundo, si sub vadimonio decem millium florenorum decem habuerit satis datores, qui pro eodem spondeant, illum in Hungariam numquam amplius rediturum, sed in Lusatae oppido patrio quod restat aetatis transacturum. Tertio, si iuramento suoque chirographo se obligarit, quod nullam vindictam moliri, nec ulli hominum, sive in Hungaria, sive Germania aliove quovis regno, regione ac provincia habitantium, scripto vel internuntiis palam facere velit causas incarcerationis et quibus in rebus examinatus fuerit.”⁸²

Bocatius omnes tres condiciones repudiavit. Vicecancellarius Stralendorfius „plenus indignationis: pereas ergo, inquit Elisabethae, cum illo, meumque in conspectum deinceps numquam amplius venias.”⁸³

Itaque nihil aliud Nostro relictum erat, nisi ex carcere Marte suo fugere, quod non sine aliorum auxilio factum est.⁸⁴ Ultimo enim Novembris die anni 1610, media nocte per fenestram fune se demisit. Iter reditus erat tale: Praga—Lu-

⁸⁰ Olc. V, 13—16; Instancia pp. 142a—144b; Bocatius: Öt év 110—111

⁸¹ Olc. V, 17; Bocatius: Öt év 111

⁸² Olc. V, 25—28; Bocatius: Öt év 113

⁸³ Olc. V, 30; Bocatius: Öt év 114

⁸⁴ 798; 807; 808; 828

na⁸⁵—Egra⁸⁶—Gabel⁸⁷—Fridberga⁸⁸—Svidnicium⁸⁹—Nissa⁹⁰—Cracovia—
Bartpha—Epperies—Cassovia. Anno 1611 decimoque Ianuarii die ingressus est
Cassoviam.

Inter litteras gratulationesque, ecce, advenit et epistola a Stephano Miscolcino
missa:

Jano Bocatio Cassoviam 8 Martii 1611

Jane, Palatinis meministin' nuper Athenis,
Sub duce Friderico referens fata aspera regni
Hungarici, tibi quod dixi violenta ministro
Induperatoris metuenda hei vincula? Contra
Tu mihi pro patriis, dixti, sum promptus obire
Vincla, cruces, pedicas et olentis carceris ecce
Torturas gelidamque simul post funera mortem,
Dummodo Pannonicis bene sit templisque focusque.
Vix ea fatus eras, oblato haec inseris Albo:
Gravia quae nunc sunt patienda suavia nobis
Olim venturo memorasse haec tempore fiet.
Votum exsolvesti vates, patienda tulisti
Fortiter atque tuis Epinicion adde Camoenis,
Quandoquidem quinquennali tibi carcere clauso
Annulus ille ducis licet aureus esset ademptus
Northemi, tamen hanc tibi vitam Praga nequivit
Tollere: sed patriae, sed nobis restituit te,
Quondam qui Isacidis, qui Petri vincula solvit,
Et Pharium rapido submersit in aequore regem.
O utinam verbis saltem Pannonia noris
Dulciloquis Jani trucium meminisse dolorum.⁹¹

Vita solitaria

1611—1612: Bocatius ergo redivivus denuo fruebatur aere vitae liberae. Et
quia propter longam captivitatem propemodum ad inopiam redactus erat, urbes,
comitatus, magnates, mercatores, amici et peregrini certatim missitabant ei
frumentum, vinum aliaque ad vivendum necessaria. At restabat adhuc, ut
purgaret se civibus et facti sui, fugae scilicet, rationem redderet probaretque.

⁸⁵ h. Louny, CS

⁸⁶ h. Cheb, CS

⁸⁷ non procul a civitate Zwickau, DDR

⁸⁸ non procul a civitate Dresden, DDR

⁸⁹ Świdnica, PL

⁹⁰ Nysa, PL

⁹¹ RMKT XVII. 2. p. 379

Protectionalibus a palatino Hungariae⁹² acceptis Georgius Fabritius, contionator Germanorum, sumpsit rem in manus, per eum rogavit Noster veniam admissorum et impunitatem. Senatus communitasque Cassoviensis die 28 Martii a. 1611 agebat de supplicatione Bocatiana, quam Georgius Fabritius ita proposuit:

„Quandoquidem cuiusvis calamitas quemvis ad miserationem merito protrahere debet, tanto magis, si quis malitiose et fraudulenter delatus fuerit, miseratione, consilio et auxilio censetur dignus; cuius sinistrae delationis causa: cum ante annos aliquot in tumultu moto patria haec nostra miserrima apud peregrinas gentes et principes Germaniae ac Imperii traducta et sinistre delata sit, ordinatus fuerat a domino principe Bochkaio et regnicolis dominus Ioannes Bocatius, qui cum legatione ad principes Germaniae abiret et eis causas maxime necessarias et inevitabilia damna, quae eos ad insurrectionem commoverunt, declararet et exponeret. Quia autem inopinato dominus Bocatius a Sua Maiestate Caesarea anticipatus est et propter multorum sinistram delationem gravissima captivitate et vinculis per quinquennium detentus tandem Christianitatis precibus crebrioribus et humilibus apud Deum per se interpositis mirabiliter tandem sit eliberatus, est cur tota Christianitas ei gratuletur et Deo gratias agat.

Verum cum diuturna ista captivitate coniuix pro eo liberando plurima immo omnia impenderit, ita ut ad incitas sit redactus et omnibus exhaustis rogavit nos, ut penes sese interponeremus. Et rogaremus, primum, ipsius nomine, ut protectionales a domino palatino datas amplissimus Senatus et amplissima Communitas acceptet, approbet et confirmet. Item. Quandoquidem antea in consortio civium fuerit et pro facultate sua inserviverit, ut deinceps etiam ab amplissimo Senatu ei eadem benevolentia exhibeatur et pro fratre ac concive suo agnoscatur et colatur. Item. Quandoquidem omnibus exhaustis sit propter diuturnam absentiam, unde ex miseratione circumiacentium comitatum et vicinorum etiam provisionem impetraverit mediocrem ab iis, ut civitas quoque pro sua facultate ei provisionem aliquam ordinet qualemcunque, ut benevolentiam civitatis in se vel hoc modo experiatur.

Pro his omnibus offert se annales et res gestas ab annis aliquot et imprimis calamitates civitatis et regni totius, ob quas armis nobis vis intentata repellenda fuerit, descripturum et posteritati commendaturum. Expectans ab amplissimo Senatu et Communitate incluta responsum.”⁹³

Deliberatum Senatus Communitatisque:

„Protectionales domini palatini honore debito et reverentia acceptas exhibebimus coram Senatu et amplissima Communitate praesentatas.

Item. In coetu concivium recipiatur, verum quia interim magistratus et rex novus, cui nos iuravimus, creatus est, ideo ipse eidem deponat homagium serenissimo domino regi domino nostro clementissimo.

⁹² Georgius Thurzo

⁹³ AMK H III/2 mac. 50. fol. 144ab

De provisione libenter ei prospicerent et pro moderno statu dabitur ei vas vini et frumenti cuborum duodecim.

Annales et res gestas si velit scribere, illico incipiat et confectas amplissimo Senatui ostendat, ut si fieri possit et videatur imprimendum concedatur.”⁹⁴

Bocatus deposito die 7 Aprilis homagio⁹⁵ receptus est in coetu concivium. Sed respiciamus, quomodo iudicaverit rem Bocatianam Praga et Vienna. Rudolphum II. tunc temporis iam non fuisse regem Hungarorum et viguisse adhuc discordiam inter fratres caesareos omnibus constat. Praegae itaque non erat integrum Bocatum detinere aut in carcerem retrahere. Et Vienna? Vienna pro nihilo ducebat et nihil laborabat de Nostro. Cerni poterat, regiam maiestatem nolle animos Hungarorum excitare. Nec ad carceres vinculaque pertrahi, nec Cassovia vel ex regno exturbari iussit. Haec quoque negligentia Viennensis non invitae fugae militat pro innocentia Bocatii. Si omnes aliae rationes defendendae illius causae deessent, haec una ad detergendam maculam illius illitam nomini sufficeret.

Ceteroquin ita sentiebat Noster de Matthia archiduce, futuro rege Hungarorum, circa Pragam castra metante anno 1608:

Tu, sed Achillaeo repetis qui robore ductor,
Publica cum serves commoda, *meque velis*
Servatus redeam civis, passusque salutem
Quod sim communem vulnera propter, ovem.
Sospes ovem . . .⁹⁶

Licet Bocatus senatusconsulto civis liber factus sit, neque hoc, neque sequenti anno officium publicum ei oblatum est. Mea quidem opinione non solum amicos militavisse pro eo, sed etiam inimicos contra eum. Ideo cogebatur degere vitam solitariam, quam scribendo solabatur.

Opera in his annis edita ut civis Cassoviensis signavit, quae hoc ordine evolabant in lucem publicam: *Bocatus redivivus*; *Salomon Hungaricus*; *Hexasticha votiva*; *Militia S. Georgii* et *Militia S. Ioannis*.

Ex iudice rector

1613—1618: Exordio anni 1613 die 8 Februarii tandem accepit regimen scholae Cassoviensis,⁹⁷ at sine honore favoreque populi pristino. Adolescentia nobilis iam non confluebat in eius disciplinam, deficiebant eum patroni, nec

⁹⁴ *ibid.*

⁹⁵ *ibid.* fol. 145

⁹⁶ 1052 57—61

⁹⁷ Decessor suus (Ioannes Colmitius, rector scholae) die 6 Decemb. a. 1612 trium cubulorum frumentum accepit a senatu, v. AMK H III/2 mac. 50. p. 238b. Errant itaque, qui Nostrum iam a. 1612 praefuisse scholae credunt.

nomen eius alliciebat discipulos. Id quoque accedit, ut iuvenes propter severitatem disciplinae deseruissent scholam.⁹⁸

Tempora iam erant nubila

Maxime doluit, quod in iis annis vehementer invectus fuerit. Per urbem longe lateque spargebatur anonymi cuiusdam pasquillus,⁹⁹ cuius fere unicus erat scopus, ut laceraret famam Bocatii, tamquam priore loco atque munere indigni hominis, qui per funem demissus infami carcere esset delapsus. Pro exemplo tenoris mittamus pauca.

Ante renidebas primas et consul honorus,
Nunc abiectus, inops; quantum mutatus ab illo
Consule, qui quondam fulgebas notus abolla.
Nunc tu multorum digitis monstrare virorum,
Perfidiaeque tuo fers praemia iusta rubore.
Ne tamen, o scelerate, fame moriaris anhela,
Cura magistellum legit te publica ludi,
Futiles ut fieres noto de consule rhetor.¹⁰⁰

Apollo ita loquitur de „Boccatio” ad Musas:

Unde choris vestris, sacrae, mea cura, sorores,
Successit faeda lurida tabe lues?
Ante quidem nunquam sacraria vestra patebant
Talibus, unde niger nunc penetravit aper?
Quo, scelus, usque meas lauros, sus sordidus, aras
Pierias turpi polluet iste pede?
Non vos infamis consortia ferre latronis
Addecet; hunc sacris eiicitote choris
Hercule nil opus est, ut tollat dedecus ingens:
Informem tollet dia Minerva suem
Vandalus hoc Janus Boccatius haeret oleto,
Proditor Hungariae, furcifer, haereticus.¹⁰¹

Quisquis fuerit horum probrosorum carminum auctor, Bocatius magna cum gravitate respondit ei:

Heus, nebulo pasquille, nigrum qui theta mereris,
Quod fur stigmatias nocte vagere foris.
Cur in Bocatii grassare malignus honores,
Conspurcans meritum tam bene, latro, virum?
Ille tibi inconstans, ignobilis, Irus inersque,

⁹⁸ EPhK 1910: 196

⁹⁹ Qui quae vult, dicit, quae non vult, audiet. Exemplar unicum inv. OSZK RMK II. 2048a. Fus. RMNy 1035a; v. App. 122—128

¹⁰⁰ App. 123

¹⁰¹ App. 124; 913

Turbo, Antichristus, strix, veterator, Aman.
 Immo sibi constat vir ceu Marpesia cautes,
 Virtus nobilitat quem sua docta gravem.
 Quod satis est, habet, estque sua nunc-sorte beatus,
 Agnoscunt doctum terra polusque virum
 Ede tuum nomen, scelerate tenebrio, larva
 Bocatii virtus, frons et aperta, caret . . .
 Esto suosque suesque inter Pasmannus Achilles,
 Tu cum Pasmanno gerro sathanque viro es.¹⁰²

Estque sua nunc-sorte beatus — scripsit Noster, at nos, non ita id omnino fuisse remur. Ardenter cupiebat versari in curia. Ideo „in synodo Bartphana 1616 die 17 et 18 Maii celebrata hanc quaestionem, praesentium iudicio, decidendam proposuit: Utrum portae dignitatis pateant viro pio, honesto, nullius praeterea criminis convicto, qui in carcerem coniectus maleque tractatus ab hostibus, salvus ad suos redierit?“¹⁰³

Ad quam quaestionem ita responderunt Pentapolitani: „Eiusmodi vir probus et innocens a nulla dignitate, seu ecclesiastica, seu politica gerenda excludendus est; et si vis ac iniuria ei inferretur in hoc negotio, legitima magistratus defensio praesto ei futura est.“¹⁰⁴

Idcirco credebant creduntque multi Bocatum Praga reducem senatoriam dignitatem sine mora, intercedente nemine, resumpsisse, at huius farinae sententiae nullis documentis probantur. Re vera Bocatius post reditum nullo publico, excepto scholastico, munere functus est, quod sine dubio aegre ferebat. Fortasse ideo — per contumaciam vel superbiam — scripsisset exinde post nomen suum: consularis, quem titulum nonnulli ad hodiernum diem perperam interpretarentur.¹⁰⁵

Advenit annus 1618. Ob ingravescentem aetatem primum Idibus Martiis a senatu collaboratorem rogat,¹⁰⁶ deinde die 21 Novembris abdicat se munere scholastico.¹⁰⁷ Quia invitum detineri neminem posse, senatus decrevit: danda sit ei dimissio, sed cum hac conditione, ne regimen scholae prius desinat, quam idoneum successorem habuerit. Quod et ita factum est. Ceterum senatores paulo post Martinum Czombor Szepsinum elegerunt in locum Bocatii.¹⁰⁸

Opera, quae in his annis edidit, sequentia sunt: *Hebdomelodia Ps. 103; Idea Christianorum; Matthiados carmina; Oratio Dominica Polyglottos; Nařikanj plačtivé et Anser nuptialis.*

¹⁰² 1115

¹⁰³ PROKOPIUS 219

¹⁰⁴ ibid.

¹⁰⁵ SEVERINUS II, 213; PROKOPIUS 219—220; KOHAUTH 1—2; DULHÁZY 234 et multi alii. Titulus *consularis* tunc temporis talem significabat hominem, qui iam officio iudicis vel senatoris semel functus est.

¹⁰⁶ EPhK 1910: 196

¹⁰⁷ EPhK 1910: 197

¹⁰⁸ Itk 1909: 482—484; EPhK 1910: 197

1619—1621: De ultimis tribus annis pauca innotuerant. Constat tamen bibliographis Bocatium a principe Gabriele Bethlen historicum ordinarium nominatum esse,¹⁰⁹ at quando id acciderit et quando se adiunxerit principi ignoramus. Quaerat nunc quispiam, fueritne Noster bibliothecarius principis, praefueritne bibliothecae Albae Juliae?¹¹⁰ Minime, respondemus. Bocatium nunquam degisse Albae Juliae pro certo habemus. Causa opinionis, scilicet ut fuisset bibliothecarius, Matthias erat Belius.¹¹¹ Ipse Noster ne uno quidem vocabulo meminerit huius officii. At non praetereundum est indicium sequens, quod apud Ioannem Severinum occurrit:¹¹² „In libellum memorialem D. Veinhardi Sculteti se manu sua Regium Historicum, Bibliothecarium et Consularem Cassoviensem inscripserat.” Album hoc memoriale perditum est vel alicubi latet, sic nescitur, insitne illud vocabulum: *bibliothecarium* an non. Neque mihi persuasum est, libellum memoratum a Severino visum esse. Quis sit ille Veinhardus Scultetus? Medicinae doctor, vir eruditione clarus et principis Transsilvaniae Gabrielis Bethlen archiater, quem Noster adoptavit in familiam, uti Weszprémi affirmat.¹¹³ De hac adoptione nullibi exstat mentio. Forsitan filius ille adoptivus commendavit Nostrum aulae principis? Quaestio investiganda.

Sed ad propositum.

Anno 1620 intererat Neosolii comitiis regnicolarum,¹¹⁴ in quibus Gabriel Bethlen a suis rex declarabatur. Post comitia comitabatur regem Nicolsburgum, ubi dum legati de pacis condicionibus tractabant, Noster anno 1621 die 12 Novembris¹¹⁵ — incertum quo genere morbi¹¹⁶ — excessit e vivis. Hunnobrodae est sepultus. Sepulchrum sine monumento nullo modo potest reperiri.¹¹⁷ Ultima opera eius: *Mercurius historicus et Historica parasceve*.

Quid erat in votis Nostri? Audiamus eum ipsum: „Amici, Bocatiano tumulo, si meretur, hoc superaddite:

¹⁰⁹ MILOTAI 36; LAMPE 357; Misc. Lips. 117; 120; BOD 48; SEVERINUS II, 213; PROKOPIUS 223—224; FRINTA 242; KARŠAI 130 et alii

¹¹⁰ SEVERINUS II, 213; KRÜCKEN—PARLAGI 122; DULHÁZY 234; MELCZER 131; TÓTH L. 11. SZINNYEY 1116; KARŠAI 130; ZOVÁNYI: Lex; SBS et alii

¹¹¹ Adp. X.

¹¹² SEVERINUS II, 213;

¹¹³ WESZPRÉMI I, 324; III, 888—895

¹¹⁴ DORNAVIUS 77—78; 114—115; KRIŽKO: Ms. 103—104; CSONKA 171—181

¹¹⁵ EpGB; Adattár 195. Quod attinet annum et diem, altercantur multi: Oct. 4: OTTO: Lex. 133; Oct. 31: PROKOPIUS 225; SZINNYEY 1116; KERUL'OVÁ 16; SBS; 1630: DULHÁZY 235; MELCZER 131; KOHAUTH 2; HÖRK 49; nescit: BEL: App. XII.; Misc. Lips. 118; KLEIN 85; HANER II, 15; JENČ 22

¹¹⁶ 174, 12; 522, 11—12; 1081, 5—6; PROKOPIUS 225 de veneno suspicatur

¹¹⁷ PROKOPIUS 226; FRINTA 242

Bocatii recubant heic ossa sepulta Ioannis,
Cui studium pietas atque poesis erant.¹¹⁸

Editio haec nostra sit monumentum in tumulo Bocatiano, ut laudem eius ab oblivione nostratium vindicemus. Hodiernis temporibus praecipue in Cassovia civitate colitur memoria Nostri,¹¹⁹ licet multo plus mereretur, imprimis ut legamus opera eius. Si legimus ea, noverimus poetam immortalitate dignum, qui in se ipso expertus erat, quid sit libertas animi et corporis.¹²⁰

Nonnulla de compositione editionis nostrae. Ordinem operum singulorum tempus editionis principis destinavit, carmina autem singula a principio usque ad finem numeris ornavimus in marginibus paginarum. Ex opusculis non a Bocatío scriptis in loco originali tantum titulum et subscriptionem prodimus, textum eorum in appendicem reiecimus. De reliquis usus quemque docebit.

Quae scripsimus, omnia probata scripsimus. Bibliographi plerumque — mori recepto servientes — alii ex aliis mutantur indicia, re non explorata. Nos quidem in omnibus rebus usque ad fontes descendimus investigandae veritatis causa. Propositum nostrum nihil aliud erat, quam inservire Bocatío. Nolumus (verbum Ciceronis) digito tangere coelum.

Ad extremum. Gratias agimus dominis dominabusque sequentibus pro auxilio nobis praestito: BÁLINT István, Budapest; BARACZKA István, Budapest; BORSA Gedeon, Budapest; Ivan CHALUPECKY, Levoča; Otmar GERGELYI, Nitra; JAKÓ Zsigmond, Cluj-Napoca; KELECSÉNYI Gábor, Budapest; KIRÁLY László, Budapest; KLANICZAY Tibor, Budapest; Ján MARTINEK, Praha; MOLLAY Károly, Budapest; Michal POTEMRA, Košice; RITOÓK Zsigmond, Budapest; RITOÓKNÉ SZALAY Ágnes, Budapest; Helena SAKTOROVÁ, Martin; TERRAY Barnabás, Budapest; VÁSÁRHELYI Judit, Budapest.

¹¹⁸ 675

¹¹⁹ Tabula memorialis (Leninova 73), auctor: Maria BARTUŠOVÁ; SOTÁK 6; FRICKY 28—29; ŠPNER 37; 80; carmen, quo occurrit Bocatius (scripsit Juraj PADO) ŠPNER 5; Norbert BODNAR ad modos aptavit carmen 449

¹²⁰ 941; 793

CONSPECTUS OPERUM BOCATIANORUM

a) Opera a Nostro scripta et edita

(In uncis abbreviationes titulorum)

1. (Cel.)	Celadon	Bartphae	1594
2. (Ungr.)	Ungaria gratulans	Bartphae	1595
3. (Sir.)	Siracides	Wittebergae	1596
4. (Orp.)	Oratio de profanitate	Wittebergae	1596
5. (Castr.)	Castra temperantiae	Bartphae	1597
6. (Muni.)	Munus iudiciale	Bartphae	1598
7. (Eld.)	Elegiae duae	Bartphae	1598
8. (Musp.)	Musae parentales	Bartphae	1598
9. (Nova.)	Novus annus	Bartphae	1599
10. (Hung.)	Hungaridos libri poematum V	Bartphae	1599
11. (Cord.)	Cordificium	Pragae	1604
12. (Pros.)	Prosopopoeia diei sui Veneris	Claudiopoli	1605
13. (Red.)	Bocatus redivivus	Cassoviae	1611
14. (Hex.)	Hexasticha votiva	Bartphae	1612
15. (MilG.)	Militia S. Georgii	Cassoviae	1612
16. (MilJ.)	Militia S. Ioannis	Cassoviae	1612
17. (Ord.)	Oratio Dominica polyglottos	Cassoviae	1614
18. (Mattc.)	Matthiados carmina heroica	Cassoviae	1614
19. (Hebd.)	Hebdomelodia Ps. 103.	Cassoviae	1614
20. (Ans.)	Anser nuptialis	Cassoviae	1618
21. (Horn.)	Hornus cometa	Cassoviae	1618
22. (Merc.)	Mercurius historicus	Leutschoviae	1620
23. (Hist.)	Historica parasceve	Cassoviae	1621

b) Opera aliorum, quae Noster typis excudi curavit

1. (Sal.)	Salomon Hungaricus	Cassoviae	1611
2. (Idea)	Idea Christianorum	Cassoviae	1613
3. (Nař.)	Nařikánj plačtivé krestianův	Praha	1614
4. (Par.)	Parentalia	Cassoviae	1615

[Incertum est, an Noster Par. excudi curaverit.]

c) Carmina singularia in aliorum libris excusa

(Particulatim v. inferius!)

d) Opera in manuscriptis (autographis vel apographis) relicta

1. (Diar.)	Diarium (<i>excerptum ex Diario Briccii Kokavini</i>)
2. (Rel.)	Relatio vel epistolica commemoratio conventus inter serenissimum Hungariae Transylvaniaeque principem Bochkay et inter Machumetum Vezerium habiti. 1605
3. (Olc.)	Olympias carceraria
4. (Conf.)	Confessiones
5. (Suppl.)	Supplicationes
6. (Cars.)	Carmina singularia. (<i>Particulatim v. inferius!</i>)
7. (Epist.)	Epistolae
8. (Inscr.)	Inscriptiones in Albis Amicorum
9. (Subscr.)	Subscriptiones synodales

e) Opera incerti auctoris

1.	<i>Carmina 1126; 1127; 1128; 1129; 1130 in Par.</i>
2. (Pub.)	De puero bicipiti, 1620 (<i>in pat.</i>)
3.	<i>Carmen 1131 in REDMECZI</i>
4. (Fert.)	Ode de fertilitate Hungarica, 1129 (<i>in Coll. Batth. necnon AnRec.</i>)
5. (Ad Merc.)	1133 <i>in Merc. fol. tii.</i>

f) Opera perdita vel adhuc latentia

1. (EFU.)	[Epigramma in contionem Friderici Usrai] (496?)	1599
2. (Ins.)	Insignia Georgii Bastae. Viennae	1602
3. (Regs.)	Regentenspiegel. Bartfeldt	1604
4. (Cord.)	Cordificium. Pragae (<i>in pat.</i>)	1604
5. (Antid.)	Antidoron epigrammaticum ad Georgium Bastam.	ante 1606
6. (Areo.)	Areopagita	ante 1606
7. (ETr.)	Epigramma de victoria Transilvanica. Viennae	ante 1606
8. (Expost.)	Expostulatio cum deside domino	ante 1606
9. (Dign.)	Pro dignitate caesareae maiestatis et domus Austriae	ante 1606
10. (Gem.)	Gemina Hungariae conversio	post 1611
11. (Ord.)	Ordo lectionum	1614
12. (Lect.)	Ad dominos Lectores et Inscriptores	1616
13. (ETh.)	Ecloga de nuptiis Ernesti Thurzo	1618
14. (Egr.)	Epigramma gratulatorium Cassoviae (<i>in pat.</i>)	1621
15. (Gabr.)	Gabriel, rex Hungariae . . . Cassoviae	1621
16. (Resg.)	Res gestae in Hungaria et Transylvania sub tribus imperatoribus et regibus Rudolpho II., Matthia II. et Ferdinando II. nec non Gabrielis Bethlen. Auctore Johanne Bocatio.	ante 1621
17. (Dipr.)	Dichterprobe	?

ABBREVIATIONES

a) Abbreviationes tritae ac signa

A	Austria
a	recto
a.	anno
a. Chr.	ante Christum
Ac. phot.	mikrofilm in Bibl. Ac.
AEG	Aegyptus
AMK	Archív Mesta Košic, CS
AMP	Archív Mesta Prešova, CS
ann.	annotatio; in annotatione
apogr.	apographum, descriptio
apost.	apostolus
app.	appendix; in appendice
autogr.	autographum
b	verso
BEMS	Bibliotheca Ecclesiae Metropolitanae Strigoniensis
Bibl. Ac.	Bibliotheca Academiae Scientiarum Hungaricae, Budapest
Bibl. Ráday	Dunamelléki Református Egyházkerület Ráday Gyűjteménye, (Református kollégium) Budapest
Bibl. Univ.	Bibliotheca Universitatis Budapestiensis
BSMRAe	Bibliotheca Scriptorum Medii Recentisque Aevorum
c.	caput
cf.	confer
CH	Helvetia
cit.	citatio, citatus
civ.	civitas
com.	comes
comit.	comitatus
cor.	coronis
corr.	corrigit, correctum
CS	Bohemoslovacia
D; DDR	Germania
d.	dies, die
ded.	dedicatio; dedicatoria
ed.	editio; edidit; editor
ed. a.	editio altera
ed. part.	editio particularis
ed. pr.	editio princeps

e. g.	exempli gratia
ELTE	Eötvös Loránd Tudományegyetem, Budapest
EOL(AGE)	Evangélikus Országos Levéltár (Archivum Generalis Ecclesiae), Budapest
epist.	epistola
epist. ded.	epistola dedicatoria
exc.	excusum
F	Gallia
ffol.	folia
fil.	filius, filia
Fl.	florenus
fluv.	fluvius
fol.	folium
fol. tit.	folium titolare
frag.	fragmentum, fragmenta
fus.	fusius
g.	gens
GR	Graecia
H	Hungaria
h.	hodie
I	Italia
ibid.	ibidem
i. e.	id est
ill.	illustratio, illustrationes
imp.	imperator
incert. l.	incertum lectu
init.	initiale
in pat.	in patenti forma
ins.	insignia
intr.	introductio
in unc.	in uncis
inv.	inventur
invent.	inventarium
IR	Iraqia
ISR	Israel
L. A.	Lector amice
L. B.	Lector benevole
l. c.	locus citatus
lib.	liber
Ms.	manuscriptum
m. scr.	mendum scriptoris
m. typ.	mendum typographicum
Nat. phot.	mikrofilm in OSZK
NL	Hollandia
Not.	nota; notandum est
OL.	Országos Levéltár (Archivum Nationale), Budapest
OL. phot.	mikrofilm in OL.
om.	omittit
opp.	oppidum

orn.	ornamenta typographica
OSZK	Országos Széchényi Könyvtár (Bibliotheca Nationalis Hungariae), Budapest
OSZK phot.	mikrofilm in OSZK
p.	pagina
pag.	pagus
past.	pastor
period.	periodicum
PL	Polonia
praef.	praefatio
praef. ded.	praefatio dedicatoria
prof.	professor
proph.	propheta
prov.	proverbium
provinc.	provincia
R	Rumania
r	recto
ras.	rasum, rasura
rec.	recte, rectius
S.	sanctus
s. a.	sine anno
saec.	saeculum
sc.	scilicet
Send.	Sendschreiben
s. l. et a.	sine loco et anno
ŠOBA	Štátny Oblastný Archív
sq.	sequens
SS	Scriptura Sacra
s. t.	sine titulo
SU	Confoederatio Rerum Publicarum Sovieticarum
subscr.	subscriptio; subscripsit
subtit.	subtitulus
SYR	Syria
SŽ	Spišská Župa
tit.	titulus
tom.	tomus
TR	Turcia
transl.	translator
	verso
	vide
YU	Jugoslavia
(...)	uncus in textu
<...>	litterae supervacaneae (verba supervacanea)
[...]	additamenta ab editore
	litterae vel verba desiderantur

b) Abbreviationes operum Bocatianorum

(V. supra in parte Conspectus operum Bocatianorum!)

c) Abbreviationes librorum Biblicorum

Testamentum vetus

Gen.	Liber Genesis
Ex.	Liber Exodus
Num.	Liber Numeri
Deut.	Liber Deuteronomii
Ios.	Liber Iosue
Iud.	Liber iudicum
1Reg.	Liber I Regum (Liber I Samuelis)
2Reg.	Liber II Regum (Liber II Samuelis)
3Reg.	Liber III Regum (Liber I Regum)
4Reg.	Liber IV Regum (Liber II Regum)
2Par.	Liber II Paralipomenon
Esdr.	Liber Esdrae
Tob.	Liber Tobiae
Iudit	Liber Iudith
Est.	Liber Esther
Iob	Liber Iob
Ps.	Liber Psalmorum
Cant. cant.	Canticum canticorum
Eccli.	Liber Ecclesiastici (Siracides)
Is.	Prophetia Isaiae
Ier.	Prophetia Ieremiae
Ez.	Prophetia Ezechielis
Dan.	Prophetia Danielis
Os.	Prophetia Osee
Ioel	Prophetia Ioel
Ion.	Prophetia Ionae
Mal.	Prophetia Malachiae
1Mach.	Liber I Machabaeorum
2Mach.	Liber II Machabaeorum

Testamentum novum

Matth.	Evangelium secundum Matthaem
Marc.	Evangelium secundum Marcum
Luc.	Evangelium secundum Lucam
Ioan.	Evangelium secundum Ioannem
Act. apost.	Actus apostolorum
Rom.	Epistola Pauli ad Romanos
1Cor.	Epistola Pauli ad Corinthios I
2Cor.	Epistola Pauli ad Corinthios II

Gal.	Epistola Pauli ad Galatas
Eph.	Epistola Pauli ad Ephesios
1Thes.	Epistola Pauli ad Thessalonicenses I
1Tim.	Epistola Pauli ad Timotheum I
Hebr.	Epistola Pauli ad Hebraeos
Apoc.	Apocalypsis Ioannis

d) Abbreviationes bibliographicae

Abaúj—T.	Magyarország vármegyéi és városai. I. Abaúj—Torna vármegye és Kassa. Ed. SZIKLAY János és BOROVSZKY Samu. Budapest 1896.
Adattár	Adattár a XVII. századi szellemi mozgalmaink történetéhez. I. kötet. Szerk.: KESERÜ Bálint. Budapest—Szeged 1965.
AnRec	Analecta recentiora ad historiam renascentium in Hungaria litterarum spectantia. Ed. Stephanus HEGEDŰS. Budapestini 1906.
Anzeigen	Allergnädigst—privilegirte Anzeigen aus sämmtlich—kaiserlich—königlichen Erbländern. Wien 1776. VI. Jahrgang, XIX. Stück. 8. May 1776. (period.)
Augustinus	Aurelius Augustinus: Opera I—X. Lugduni 1586.
Az N. Sandornak	Az Nagy Sandornak, Macedonak győzhetlen királyának historiaia, mely mostan uijonnan ki nyomtatott. Lőcsen 1627.
AZVT	Adalékok Zemplén Vármegye Történetéhez. Sátoraljaújhely 1895—1916.
BEL: Adp.	Matthias BEL: Adparatus ad historiam Hungariae. Dec. I. mon. VII. Posonii 1735.
BEL: Not.	Matthias BEL: Notitia Hungariae novae historico-geographica, I—IV. Viennae 1735—1742.
Bell. Cass.	Bellici Cassoviae simul et superioris Hungariae praetores seu generales sub Austriacis regibus seculo sexto decimo. Cassoviae 1746.
Bellaria poetica	Convivio nuptiali Samuelis Spilenberger med. doct. comitatus Scepusiens. reipublicaeque Leutschovien. medici ordinarii et Magdalenae Mich. Clementis consularis et notarii eiusdem reg. liberaeque civ. Albae Scepusiae . . . filiae, sponsorum nuptias celebrantium die 24. Aprilis anno MDCXVI. Exhibita ab amicis. Cassoviae 1616.
BELLENY	BELLENY Zsigmond: Hieronymus. Sz. Hieronymus Szavonarolanak, Istennek fő mátyromnak az sz. David 51.31. és 80. sóltariban való aítatos, hasznos és mélységes elmelkedési és magyarázati déak nyelvből magyar nyelvre fordított Belleni Sigmund Abauj varmegyének viceispánnya által . . . Cassan 1618.
Bernardus	Bernardus divus: Meditationes
BIKFALVY	BIKFALVY Géza: Szorb humanisták Magyarországon. (In: Magyar Nemzet, 1981. XII. 19.)
BOCATIUS: Öt év	BOCATIUS János: Öt év börtönben. Ford. CSONKA Ferenc. Budapest 1985.
BOD	BOD Péter: Magyar Athenas. [Nagyszeben] 1766.
BOHUŠ	Ivan BOHUŠ: Kto bol vo Vysokých Tatrách? (In: Vysoké Tatry 1969. 2. p. 31.)
BONFINIUS	Antonius BONFINIUS: Rerum Ungaricarum decades
BORSA	BORSA Gedeon: Hol és mikor nyomták az eddig ismert két legrégebb magyar sorsvető könyvet? (In: MKsz 1964: 348)

BRANKAČK—MĚTŠK	Jan BRANKAČK—Frido MĚTŠK: Geschichte der Sorben. Bautzen 1977.
BRTÁŇ	Rudo BRTÁŇ: Přinoški k slowaksko—serbskej wzajemnosti J. Bocatianana. (In: Lětopis Instituta za serbski ludospyt, Budyšin 1960. Rjad A, č. 7. pp. 139—143.)
BRUCKNER	BRUCKNER Győző: A reformáció és ellenreformáció története a Szepességén. I. Budapest 1922.
BUCSAY	BUCSAY Mihály: Régi magyar könyvek a hallei magyar könyvtárban. Budapest 1941.
BUDAI É.	BUDAI Ézsaiás: Magyarország históriája a mohátsi veszedelemtől fogva Buda visszavételéig. Debreczen 1808.
BUDAI: Polg. lex.	BUDAI Ferenc: Magyarország polgári históriájára való lexikon a XV. század végéig. I—III. Nagyvárad 1804—1805.
ČAPL.	Ján ČAPLOVIČ: Bibliografia tlači vydaných na Slovensku do roku 1700. Diel I. Martin 1972.
CASUS	M. Joannes CASUS: Speculum quaestionum moralium in universam Aristotelis philosophi summi Ethicen Francofurti 1594. (Inv. Bibl. Ac. EB 8° 43.)
Cass. vet.	Cassovia vetus ac nova chronologice proposita Cassoviae 1732.
CEBANIUS	Abrahamus CEBANIUS: Salutaris adversus animae pestem officina... Bartphae 1616.
Chrestomatija	Chrestomatija dolnoserbskego pismowstwa. I. zwěsk. Ed. Frido MĚTŠK. Berlin 1956. pp. 34—42.
CIEGLERUS	Georgius CIEGLERUS: Discurs von dem höchsten Gut Leutsch 1618.
CORTESIUS	Alexander CORTESIUS: De laudibus bellicis Matthiae Corvini, Hungariae regis. Ed. Iosephus FÖGEL. Lipsiae 1934 (BSMRAe).
CSONKA	CSONKA Ferenc: Újabb adatok Bocatius (?) egyik rőpiratához. (In: MKsz 1983/2:171—181.)
CUNRADUS: Pros. mel.	Caspar CUNRADUS: Prosopographiae melicae millenaria tria. Frankfurt—Hannover 1615.
CUNRADUS: Theatr.	Caspar CUNRADUS: Theatrum Symbolicum Olsnae Siles. [1625.]
DÁN	DÁN Róbert: Humanizmus, reformáció, antitrinitarizmus és a héber nyelv Magyarországon. Budapest 1973.
DÁN: Szenci	DÁN Róbert: Szenci Molnár Albert és Conrad Vietor. (In: Szenci Molnár Albert és a magyar késő-reneszánsz. Szeged 1978.)
DECIUS	Ioannes DECIUS Barovius: Commentariorum de rebus Ungaricis libri qui extant. Ed. Franciscus TOLDY. Pest 1866.
DÉZSI	DÉZSI Lajos: Szenci Molnár Albert Naplója, levelezése és irományai. Budapest 1898.
DÉZSI: Ad.	DÉZSI Lajos: Adalékok Szabó Károly RMK II. kötetéhez. (In: MKsz 1906: 146.)
DLABAČ	Ján Bohumir DLABAČ: Leben des gekrönten kaiserl. Dichters Johann Bokatius, von Geburt eines Lausizers. (In: Lausizische Monatsschrift. Görlitz 1796. II, 88—96; III, 131—139.)
DOLESCHAL	DOLESCHAL Mihály Dénes: Die wichtigsten Schicksale der Evangelischen Kirche, Augsburgischen Bekenntnisses, in Ungarn, vom Jahre 1520 bis 1608. Leipzig 1828.
DONGÓ GYÁRFÁS	DONGÓ GYÁRFÁS Géza: Pénteknap szerencsei a „szerencsi királynak”. (In: AZVT 1914: 186—189.)

DULHÁZY	DULHÁZY Mihály: Bokátzius János. (In: Felső Magyarországi Minerva. Kassa 1825: 230—236. period.)
ĐUROVIČ	Ján ĐUROVIČ: Z najstarších gratulačných spisov. (Slovenská Národná knižnica 1946.)
Enc. Slov.	Encyklopedia Slovenska. IV. sväzok. Bratislava 1980.
EPhK	Egyetemes Philológiai Közlöny. Budapest 1877—1948. (period.)
ETA	Erdélyi Történelmi Adatok. I—III. Kolozsvár 1855—1858. (Ed. MIKÓ Imre.) IV—V. Kolozsvár 1859—1862 (Ed. SZABÓ Károly).
EXNER	Balthasar EXNER: Anchora utriusque vitae . . . Hannoveria 1619.
EXNER: Syll.	Balthasar EXNER: Carminum miscellorum sylloge. Lignicii 1605.
FAZEKAS	FAZEKAS József: Pótlások Szabó Károly RMK I—III. kötetéhez. (In: OSZK Évk. 1960: 174—184.)
FISCHER	A.F.W. FISCHER: Kirchenlieder-Lexikon I—II. Hildesheim 1967.
FORG.—LIPS.	FORGÁCH Mihály és Justus LIPSIUS levélváltása. Szerk. KLANICZAY Tibor. Budapest 1970.
FRANKL	FRANKL Vilmos: A hazai és külföldi iskolázás a XVI. században. Budapest 1873.
FRICKY	Alexander FRICKY: Košice. Košice 1974.
FRINTA	Antonín FRINTA: Joannes Bocatius, humanista lužický. (K 400 výročí jeho narození). (In: Slovesná věda, Praha, 1948—1949. č. 1—4, pp. 241—243.)
FRINTA: K čin. Boc.	Antonín FRINTA: K literární činnosti lužickosrbského humanisty J. Bocatia. (In: Universitas Carolina 1955, vol. 1. No. 1. p. 53—57.)
FRINTA: Luž. srbové	Antonín FRINTA: Lužičtí srbové a jejich písemnictví. Praha 1955.
FRINTA: O B. v.	Antonín FRINTA: K článku o Bilé věži na Hradčanech. (In: Kostnické Jirskry, Praha 16. aug. 1956.)
FRINTA: Sl. věz.	Antonín FRINTA: Slávny vězeň na Pražském hrade. (In: Dejiny a súčasnosť, Praha, 1960, č. 2. pp. 22—23.)
GENERSICH	Christian GENERSICH: Merkwürdigkeiten der freistadt Kāsmark. I—II. Leutschau 1804.
GenFüz	Genealógiai Füzetek. Kolozsvár 1903—1913. (period.)
GERÉB	GERÉB László: A magyar renaissance költői. Budapest s. a.
GINDELY	Anton GINDELY: Rudolf II. und seine Zeit. 1600—1612. I—II. Prag. 1863—1868.
Gratulationes	Gratulationes pietate, eruditione ac doctrina ornatissimo viro, domino Johanni Bocatío, P. L. scholae Epperiensis in Hungaria superiore rectori dignissimo, cum ei summus in philosophia gradus decano spectabili et clarissimo dn. M. Antonio Euonymo ad tertium Calendas Aprilis anno 1596. decerneretur. Scriptae ab amicis. Witebergae 1596. (v. App. 97—105; 130—140.)
GRAWERUS	Albertus GRAWERUS: Bellum Joannis Calvini et Jesu Christi Nazareni Dei et hominis. Bartphae 1597.
HAGEN	Hermann HAGEN: Zur Geschichte der Philologie und zur Römischen Literatur. Berlin 1879.
HANER	Georgius Jeremias HANER: Adversaria de scriptoribus rerum Hungaricarum et Transilvanicarum. I. Viennae 1774; II. Cibinii 1798.
HARSÁNYI	HARSÁNYI István: Adalékok Szabó Károly RMK II. kötetéhez. (In: MKsz 1913: 242.)

HELTAI	HELTAI János: Adattár a heidelbergi egyetemen 1595—1621 között tanult magyarországi diákokról és pártfogóikról. (In: OSZK Évk. 1980: 243—347.)
HELLEBRANT H. KOVÁCS	HELLEBRANT Árpád: Bocatius. (In: EPhK 1886: 700—703.) HAMVAI KOVÁCS Zsigmond: Kassai írók a Mohácsi vésztől máig. Kassa 1907.
HORÁNYI	Alexius HORÁNYI: Nova memoria Hungarorum et provincialium scriptis editis notorum. Pars 1. Pestini 1795.
HORNYÁNSZKY	Victor HORNYÁNSZKY: Beiträge zur Geschichte in Ungarn. Pest 1867.
HORVÁTH	HORVÁTH Mihály: Magyarország történelme. I—VI. Pest 1860—1863.
HÖRK HURTER	HÖRK József: Az eperjesi ev. ker. collegium története. Kassa 1896. Friedrich HURTER: Philipp Lang, Kammerdiener Kaiser Rudolphs II. Schaffhausen 1851.
IL [INNOCENTIUS III.]	Irodalmi Lexikon. Szerk. BENEDEK Marcell. Budapest 1927. [INNOCENTIUS III.]: De contemptu et de miseria hominis. Cassovia 1619.
In obit. Cath.	In obitum ... Catharinae PAP, charissimae coniugis Georgii ZABO de Göntz Bartphae 1598.
In obit. Lud. IPOLYI ISIDORUS	In obitum Ludmillae a Wozerovic ... Pragae [1604]. IPOLYI Arnold: Bedegi Nyári Krisztina. Budapest 1887. ISIDORUS Hispalensis episcopus: Etymologiarum sive originum libri XX. I—II. Recognovit W. M. LINDSAY Oxonii 1971.
ISTHVANFFIUS	Nicolaus ISTHVANFFIUS: Regni Hungarici Historia, post obitum gloriosissimi Matthiae Corvini regis XXXIV. Coloniae Agrippinae 1724.
It. Emlk.	Irodalomtörténeti Emlékek. I—II. Ed. FRAKNÓI Vilmos, ÁBEL Jenő. Budapest 1886.
ItK	Irodalomtörténeti Közlemények. Budapest 1891—1985. (period.)
JACOBUS JAKAB JAKÓ	JACOBUS DE VORAGINE: Legenda sanctorum. (Legenda aurea) JAKAB Elek: Kolozsvár története, II. tom. Budapest 1888. JAKÓ Zsigmond: Miskolci Csulyak István peregrinációs albuma. Szeged 1972. (Irodalomtörténeti dolgozatok, 71.)
JANKOVICH	JANKOVICH Miklós: Botskay István Erdélyi Fejedelemnek szerentsés Pentek napjait hirlelő Kolozsvári köirásról. (In: TudGyjít 1818 I. 68—75.)
JANSON JENČ	JANSON Vilmos: Bocatius János élete és munkái. Budapest 1918. Rudolf JENČ: Stawizny serbskeho pismowstwa. Budyšin—Bautzen 1954.
JÓKAI	JÓKAI Mór: Bokáczius kalandjai. (In: Nemzeti Képes Naptár 1856—ik szökő évre. Szerk. TÓTH Lőrincz. Budapest 1856, pp. 17—27), necnon: JÓKAI Mór: Bokáczius kalandjai és más elbeszélések. Budapest s. a. pp. 153—181.
JÓKAI: K. b.	JÓKAI Mór: A kassai bíró. (In: JÓKAI: Dekameron. I. rész. Budapest 1894. pp. 62—76)
JÖCHER	Christian Gottlieb JÖCHER: Allgemeines Gelehrten Lexikon. I—V. Leipzig 1750—1751.
JP—Mhum.	Janus Pannonius — Magyarországi humanisták. Ed. KLANICZAY Tibor. Budapest 1982.

- KADAVY Ján KADAVY: Wzajemnost we příkladech mezi Čechy, Morawany, Slowáky, Slezáky i Lužičany. Pešt 1843.
- KARŠAI František KARŠAI: Ján Bocatius (1568—1621) pedagóg—humanista. (In: Lětopis instituta za serbski ludospyt. Rjad A, č. 7. Budyšin 1960: 124—138.)
- KARŠAI: Najst. báseň František KARŠAI: Najstaršia báseň o Tatrach. (In: Vysoké Tatry, 1967. č. 5. p. 2.)
- KARŠAI: Školst. František KARŠAI: Školstvo. (In: Dejiny Prešova. Red. Imrich SEDLÁK. I—II. Košice 1965. pp. 240—241.)
- KARŠAI: Stup. František KARŠAI: Stupenci J. A. Komenského v politických a školských dejinách Prešova. Bratislava 1965.
- KAZY Franciscus KAZY: Historia regni Hungariae. Tyrnaviae 1737.
- KEMÉNY KEMÉNY Lajos: Adalékok a kassai könyvsajtó történetéhez. (In: MKsz 1901: 65.)
- Kern—Chron. Johann David KÖHLER: Schlesische Kern-Chronicke. I. Nürnberg 1710; II. Franckfurt und Leipzig 1711.
- KIRÁLY KIRÁLY László: Két Bocatius-mű a genfi Egyetemi Könyvtárban. (In: MKsz 1983/4: 397—404.)
- KLANICZAY KLANICZAY Tibor: A múlt nagy korszakai. Budapest 1973.
- KLANICZAY: Ren. KLANICZAY Tibor: Reneszánsz és barokk. Budapest 1961.
- KLEIN Johann Samuel KLEIN: Nachrichten von den Lebensumständen und Schriften evangelischer Prediger in allen Gemeinden des Königreichs Ungarn. I—II. Leipzig und Ofen 1789; III. Pest 1873.
- Klenot. Z klenotnice staršieho slovenského písomnictva. 2. komnata. Ed. Jozef MINÁRIK. Bratislava 1985.
- KLESCHIUS Daniel KLESCHIUS: Historischer Bericht. Barthfeld 1670.
- KNAPP Albert KNAPP: Evangelischer Liederschatz für Kirche und Haus. I—II. Stuttgart und Tübingen 1837.
- KOVÁCS KOVÁCS Zsigmond: Egy kassai főbiró Bocskai idejében s. a. (In: Koszorú 113, pp. 115—124.)
- KRIŽKO Pavol KRÍŽKO: Kremnické školstvo v rokoch 1527—1674. Bratislava 1975.
- KRÜCKEN—PARLAGI Oskar von KRÜCKEN — Imre PARLAGI: Das geistige Ungarn, Biographisches Lexikon I—II. Wien und Leipzig s. a.
- KUZMÍK Jozef KUZMÍK: Slovník autorov slovenských a so slovenskými vzťahami za humanizmu. I—II. Martin 1976.
- KÜRTY KÜRTY István: Az elő Istenhez való ajejtatos imátságokat magában foglaló könyvéczke Cassan 1611.
- LÁBOS GOMBÁNÉ LÁBOS Olga: Szenci Molnár Albert Lusus poetici című gyűjteményéről. (In: ItK 1978/5—6: 590—596.)
- LACKNER Christophorus LACKNER: Cura regia seu consultatio paterna amore et caussa gnatorum Cassoviae 1616.
- LAMPE Fridericus Adolphus LAMPE: Historia Ecclesiae Reformatae in Hungaria et Transylvania. Traiecti ad Rhenum 1728.
- LATKÓCZY LATKÓCZY Mihály: A humanizmus egy elfeledett nőalakja. Elisabetha Joanna Westonia. Eperjes 1891.
- LAZAR Ervin LAZAR: Der humanistische Dichter Johannes Bocatius und dessen deutsche Dichtung. (In: Acta Facultatis Philosophicae Universitatis Šafaríkanae Literárnovedný zborník 3. 1972: 19—34.)
- LAZAR: J. B. Ervin LAZAR: Ján Bocatius. (In: Starý literárny Šariš. Košice 1963: 242—246.)
- LAZAR: Lit. živ. Ervin LAZAR: Literárny život. (In: Dejiny Prešova. Red. Imrich SEDLÁK I—II. Košice 1965: 246—247.)

LETAVAY	LETAVAY Sándor: Jegyzetek Bocskay István E. F. szerencsés Péntek napja eránt s néhány Erdélyi Fölirások. (In: TudGyűjt 1818. V. pp. 132—133.)
LIPTÁK	Johann LIPTÁK: Geschichte des evang. Distrikual-Lyzeums A. B. in Kesmark. Kežmarok 1933.
MARGALITS	Eduardus MARGALITS: Florilegium proverborum universae Latinitatis. Budapestini 1895.
MÁRKOS	MÁRKOS Albert: Kolozsvár leírása 1734-ből. Kolozsvár 1944.
MARTINEK	Ján MARTINEK: Bohemica v Exnerově dile Anchora utriusque vitae. ZJKF 1965, 7: 173—178.
MARTINKA	Jozef MARTINKA: Judex Johannes Bocatius. (In: Slovenský rozhlas 1944. č. 9. pp. 258—260.)
MARTIUS	Galeottus MARTIUS: De egregie, sapienter, iocose dictis ac factis regis Matthiae ad ducem Johannem eius filium liber. Ed. Ladislaus JUHÁSZ, Lipsiae 1934. (BSMRAe)
MÉL	Magyar Életrajzi Lexikon I—II. Szerk. KENYERES Ágnes. Budapest 1967.
MELANCHTON maius	Philippus MELANCHTON: Compendium grammaticae Latinae maius Leutschoviae 1619.
MELANCHTON minus	Philippus MELANCHTON: Compendium grammaticae Latinae minus . . . Leutschoviae 1619.
MELCZER	Jakob MELCZER: Johann Bokatius. (In: Iris 1825: 121—127; 131—132, period.)
Merc. Gall.	Jansonius Docomensis (Michael ISSELT): Mercurius Gallobelgicus . . . Tom. II. Coloniae Agrippinae 1595.
MÉSZÁROS	MÉSZÁROS István: XVI. századi városi iskoláink és a "studia humanitatis". Budapest 1981.
MĚTŠK	Frido MĚTŠK: Jan Bogas. (In: Serbska šula. Berlin 1955. č. 24, pp. 669—670.)
MIHALYKÓ: Hét praed.	MIHALYKÓ János: Hét praedicatio Bártpha 1612.
MIHALYKÓ: Imáds.	MIHALYKÓ János: Keresztyéni istenes és aijtatos imádságok Lőcsén 1629.
MIHALYKÓ: Könyv.	MIHALYKÓ János: Az örök életnek szép és gyönyörűséges nyári üdejéről való könyvecske. Bartpha 1603.
MILOTAI	MILOTAI NYILAS István: Speculum Trinitatis. Debrecen 1622.
MINÁRIK	Jozef MINÁRIK: Z knižnic a archivov v Mad'arsku. (In: Slovenská literatura, r. VI. 1959, pp. 56—68.)
MINÁRIK: DSL	Jozef MINÁRIK: Dejiny Slovenskej Literatry. I. Bratislava 1985.
MINÁRIK: J. J.	Jozef MINÁRIK: Život a dielo Jakuba Jakobeá. (In: Jakub Jakobeus. Výber z diela. Bratislava 1963.)
MINÁRIK: Poézia	Jozef MINÁRIK: Latinská humanistická príležitostná poézia (In: Humanizmus a renesancia na Slovensku Red. Ludovit Holotik, Anton Vantuch. Bratislava 1967.)
MINÁRIK: St. lit. Prešov	Jozef MINÁRIK: Starý literárny Prešov. (In: Imrich SEDLÁK: Prešovské kolégium. Košice 1967.)
MÍrodT	A magyar irodalom története, II. tom. Ed. KLANICZAY Tibor. Budapest 1964.
MIŠKOVSKÁ	Vlasta Tatjana MIŠKOVSKÁ: Lužický evangelický pedagóg na Slovensku. (In: Kresťanská revue XXX. 1963: 143—144.)
Misc. Lips.	Miscellanea Lipsiensia Nova. Ed. Frider. Otto MENCKENIUS. V. vol. I. pars. Lipsiae 1747.
MKsz	Magyar Könyvszemle. Budapest 1876 —1985. (period.)

MM	Magyarországi Magánkönyvtárak 1533—1657. Budapest—Szeged 1986.
MOKOSCHINUS	Leonhardus MOKOSCHINUS: Historiarum Veteris Testamenti heroico carmine redditarum libri. Witebergae 1599.
MÓRICZ	MÓRICZ Zsigmond: Erdély. I—III. Budapest 1962.
MPÉtA	Magyar Protestáns Egyháztörténeti Adattár. Budapest 1902—1934. (period.)
MRUŠKOVIČ	Viliam MRUŠKOVIČ: Slovensko—lužickosrbské vztahy. Martin 1980.
MUDRONIUS	Andreas MUDRONIUS: Torus ... Andreae Mednenski et Catharinae Caroliae ... Bartpha 1597.
MUNYAY: Progr.	Antonius Ludovicus MUNYAY: Programma Pesthini s.a.
NEMČEK	Edmond NEMČEK: Pred 400 rokmi. (In: Krásy Slovenska 1965. č. 6. pp. 206—208.)
[N.N.]	Az első „koszorus császári költő”, Kassa főbírája. (In: Kassai Újság, 1921. dec. 25.)
[N.N.]: K.b.	Kassai városbíró prágai fogságban. (In: Felvidéki Újság, 1940. IV. 13.)
NOVÁK	Jozef NOVÁK: Rodové erby na Slovensku I, Kubinyiho zbirka pečati. Martin 1980.
OSZK Évk.	Az Országos Széchényi Könyvtár Évkönyve. Budapest 1957—1985. (period.)
OTTO: Lex.	Lexikon der seit dem funfzehenden Jahrhunderte verstorbenen und jetztlebenden Oberlausizischen Schriftsteller und Künstler ... zusammengetragen von Gottlieb Friedrich OTTO. I. Bd. Görlitz 1800.
PEIL	Protestáns Egyházi és Iskolai Lap. Pest—Budapest 1842—1848; 1858—1919. (period.)
[PINNERIUS]	[PINNERIUS: Carmina lugubria in mortem Laurentii Türmeri, prorektoris gymnasii Novisoliensis.] Leutschoviae 1620.
P. KÁDÁR	PUKÁNSZKYNÉ KÁDÁR Jolán: Adalékok Szabó Károly RMK II. kötetéhez. (In: MKsz 1930: 304.)
PUKÁNSZKY	Béla PUKÁNSZKY: Geschichte des deutschen Schrifttums in Ungarn. Münster in Westfalen 1931.
Qui quae vult	Qui quae vult, dicit: quae non vult, audiet. s. l. et a. [Cassoviae? 1613?] (v. App. 122—128).
RÁTH-VÉGH	RÁTH-VÉGH István: A kassai biróné. (In: Ráth-Végh István: Az asszonyi hűtlenség története. Budapest 1943. pp. 315—317), necnon: Új Szó. 23. V. 1965. (period.)
REDMECZI	REDMECZI T. János: Az felseges Bethlen Gábornak ... eöt rendbeli ... jotetemenyerül ... irattatot rövid könyvetske. Cassa 1622.
REPČÁK	Ján Bocatius. Personálna bibliografia. Zost. J. REPČÁK. Prešov 1969.
RIBINI	Joannes RIBINI: Memorabilia Augustanae Confessionis in regno Hungariae a Ferdinando I. usque ad III. I—II. Posonium 1787—1789.
RMK I—II.	SZABÓ Károly: Régi magyar könyvtár I. (1531—1711) opera in lingua Hungarica excusa; II. (1473—1711) opera non in lingua Hungarica excusa. Budapest 1879—1885.
RMK III.	SZABÓ Károly és HELLEBRANT Árpád: Régi magyar könyvtár I—II. Opera non in Hungaria excusa. Budapest 1896—1898.
RMKT	Régi Magyar Költők Tára, XVII. század, 1—3. Szerk. KLANICZAY Tibor—STOLL Béla. Budapest 1959—1962.

- RMNy I. Régi magyarországi nyomtatványok 1473—1600. Ed. Gedeon BORSA. Budapest 1971.
- RMNy II. Régi magyarországi nyomtatványok 1601—1635. Ed. Gedeon BORSA. Budapest 1983.
- Rmo 1977 Régi magyar olvasókönyv. Ed. V. KOVÁCS Sándor. Budapest 1977.
- Rmo 1985 Régi magyar olvasókönyv. Ed. V. KOVÁCS Sándor. Budapest 1985.
- Rukověť 1918 Antonin TRUHLÁŘ: Rukověť k písemnictví humanistickému zvláště básnickému v Čechách a na Moravě, ve století XVI. Praha 1918.
- Rukověť 1966 Antonin TRUHLÁŘ: Rukověť humanistického Básnictví (Enchiridion renatae poesis) I—IV. Praha 1966.
- RUŽIČKA Ján REZIK—Samuel MATTHAEIDES: Gymnaziológia. Dejiny gymnázií na Slovensku. Ed. et transl. Vladislav RUŽIČKA. Bratislava 1971.
- SÁNDOR: Kvár. SÁNDOR Imre: Kolozsvár címeres emlékei. (In: GenFüz 1913.)
- SÁNDOR: Kvár. c. eml. SÁNDOR Imre: Kolozsvár címeres emlékei. Kolozsvár 1920.
- SBS Slovenský Biografický Slovník. Martin 1986.
- SB Slow. Serbski Biografiski Slownik. Budyšin 1970.
- SCHMALIUS Andreas SCHMALIUS: Ecclesiae Lutherano-evangelicae Ratkoviensis Adversaria. 1765. (In: Monumenta evangelicorum Aug. Conf. in Hungaria historica. II. Ed. Andreas FABÓ. Pest 1863.)
- SEDLÁK Imrich SEDLÁK: Z literárneho života Východného Slovenska. Košice 1960.
- SEGESVÁRI SEGESVÁRI Bálint krónikája, 1606. (In: ETA IV. pp. 165.)
- S. LACZKÓ SEPSI LACZKÓ Máté: Krónikája 1521—1624. (In: ETA III. pp. 96—98.) v. App. 141.
- SEVERINUS Joannes SEVERINUS: Conspectus historiae Hungaricae. I—II. Posonii et Cassoviae 1778.
- Sil. tog. Johannes Henricus CUNRADUS: Silesia togata sive Silesiorum doctrina et virtutibus clarissimorum Elogia ... Lignicii 1706.
- ško [Ladislav ROŠKO:] Pamätná tabuľa Jánovi Bocatiovi. (In: Východoslovenské noviny, 25. 3. 1970.)
- Slov. pohľ. Slovenské pohľady (Turčiansky Sv. Martin 1881—1970). (period.)
- SOLTÉSZ SOLTÉSZ Zoltánné: A magyarországi könyvdiszítés a XVI. században. Budapest 1961.
- SOOS SOVARI SOOS Christoff: Postilla ... Bartphae [1598].
- Sorb. Leseb. Sorbisches Lesebuch — Serbska čítanka. Ed. Kito LORENC. Leipzig 1981.
- SOTÁK Ladislav SOTÁK: Poeta laureatus. (In: Matičné čítanie 1970. č. 10)
- ŠPINER Košice 750. 35 rokov oslobodenia. Zost. Juraj ŠPINER. Košice 1980.
- SVÁBY SVÁBY Frigyes: Közlemények Szepesvármegye levéltárából. Turul 1889. 3. füz.
- SZAMOSKÖZY: Euph. Stephanus SZAMOSKÖZY: Euphemisticon carmen de Veneris die carm. ... (In: ETA III. pp. 111—115.)
- SZAMOSKÖZY: Tört. m. SZAMOSKÖZY István Történeti maradványai, 1542—1608. Ed. SZILÁGYI Sándor. I—IV. Budapest 1876 —1880.
- SZÁZ Századok I—CIV. Pest, Budapest 1867—1970. (period.)
- SZ. CSOMBOR, 1979 SZEPSI CSOMBOR Márton: Europica varietas. Ed. KOVÁCS Sándor Iván. Budapest 1979.
- SZ. CSOMBOR: Össz. SZEPSI CSOMBOR Márton összes művei. Ed. Kovács Sándor Iván és KULCSÁR Péter. Budapest 1968.
- SZ. CZOMBOR, 1620 SZEPSI CZOMBOR Márton: Europica varietas Cassan 1620.
- SZILÁGYI SZILÁGYI Sándor: Bethlen Gábor és a kassai pap. Budapest 1880.

SZINNYEI	SZINNYEI József: Magyar írók élete és munkái, I—XIV. Budapest 1891—1914.
SZIRMAY: N. h.	Antonius SZIRMAY: Noticia historica comitatus Zempleniensis. Budae 1804.
SZ. MOLNÁR	SZENCI MOLNÁR Albert: Discursus de summo bono. Ed. VÁSÁRHELYI Judit. Budapest 1975.
SZ. MOLNÁR: Vál.	SZENCI MOLNÁR Albert: Válogatott művei. Ed. VÁSÁRHELYI Judit. Budapest 1976.
TARDY	TARDY Lajos: Régi hírünk a világban. Budapest 1979.
TARDY: Fid.	TARDY Lajos: A magyar Fidelio. (In: Magyar Nemzet. 1981. VI. 21.)
TAUBMANNUS	Fridericus TAUBMANNUS: Schediasmata innovata. Witebergae 1610.
TÓTH B.	TÓTH Béla: Szájru! szájra. Budapest 1901.
TÓTH I.	TÓTH István: Alkinoosz kertje. (Humanista költőink Janus Pannoniustól Bocatius Jánosig.) Kolozsvár 1970.
TÓTH L.	TÓTH Lőrinc: Bocatius. A kassai premontrei főgimnázium évi jelentése az 1884—1885. tanévről. Kassa 1885.
TudGyűjt.	Tudományos Gyűjtemény. Pest 1817—1841. (period.)
Turul	Turul. Budapest 1883—1947. (period.)
UngMag.	Ungarisches Magazin . . . Pressburg 1781—1787. (period.)
UngR.	Ungarische Revue. Budapest 1881—1895. (period.)
USRAI	Fridericus USRAI: Busspredigt Bartfeld 1599.
VASS	VASS József: Emléklapok Kolozsvár előkorából. Kolozsvár 1865.
VIDA	Marcus Hieronymus VIDA Cremonensis: Opera metrica. I—II. Posonium 1789.
Vig.	Vigilia. Budapest 1935—1970. (period.)
WACKERNAGEL	Philipp WACKERNAGEL: Das deutsche Kirchenlied I—V. Leipzig 1864—1877.
WALTHER	Hans WALTHER: Proverbia sententiaeque Latinitatis medii aevi. Göttingen 1983. Nova series.
WEBER J.	Johann WEBER: Wappen der Königl. Freyen Stadt Epperies in Ober-Ungarn . . . Leutsch 1668.
WEBER: Mon.	Samuel WEBER: Monographie der evangelischen Gemeinde A. C. Bela. Késmark 1885.
WÉBER: Bocskay	WÉBER Samu: Bocskay István és Bethlen Gábor egyik hű emberéről. (In: PEIL 1885: 693—696.)
WESZPRÉMI	WESZPRÉMI István: Magyarország és Erdély orvosainak rövid életrajza. (Succincta medicorum Hungariae et Transilvaniae biographia) I—IV. Budapest 1960—1970.
WIČAZ	Ota WIČAZ: Serbski krónowany basnik Jan Bocatius. Budyšin, Nova Lužica, 3. letnik č. 5. 1950.
WICK	Dr. WICK Béla: A kassai Szent Erzsébet dóm. Kassa 1936.
ZAMAROVSKY	Vojtech ZAMAROVSKY: Za siedmimi divmi sveta. Bratislava 1964.
ŽILKA	Julius ŽILKA: Prešovské kolégium 1667—1918. (In: Pamätnica prešovského kolégia 1667—1967. Prešov 1967.)
ZJKF	Zprávy Jednoty Klasických Filologů. Praha. (period.)

- ZOVÁNYI ZOVÁNYI Jenő: A magyarországi protestantizmus 1565—1600-ig. Budapest 1977.
- ZOVÁNYI: Lex. ZOVÁNYI Jenő: Magyarországi protestáns egyháztörténeti lexikon. Budapest 1977.

e) Manuscripta

- Alv. epist. Petri ALVINCZII epist. ad G. Remum 2. Julii 1612. Inv. Bibl. Ráday, O. 3810. fol. 67a.
- Asyn Acta synodi Eperiensis in Hungaria 5—6. Oct. 1593. celebratae. Inv. EOL(AGE) I. a 1, 15.
- BEL: Addit. Matthias BEL: Additamenta ad historiam litterarum Hungariae. Autogr. circa 1720. Inv.: Coll. Batth. categoria X. Titulus VII/a. no. 3.; necnon: OSZK FM1/901.
- BEL: H. cel. Matthias BEL: Hungari et Transylvani aliquot eruditionis fama et scriptis celebres. Anno 1712. Inv.: OSZK FM1/897.
- BIv. Bocskay Istvánhoz intézett vers. Inv.: OSZK Analecta lit. 698.
- BOD: Ms. Petrus BOD: Redivivus Albertus Molnár Szentziensis. Magyarigen 1763. L. DÉZSI, p. 375.
- BRICCIUS BRICCIUS Kokavinus: Diarium. Inv.: Diar. Loch. pp. 165—208.
- BURIUS Johannes BURIUS: Micae historico-chronologicae Anno 1685 et sq. Inv.: OSZK Fol. Lat. 2063; Fol. Lat. 2064 necnon: EOL IV. e. 1; EOL IV. e. 2.
- Cod. Chron. Stephanus XYLANDER: Codex Chronologicus fraternitatis XXIV. regalium. Inv.: OSZK Fol. Lat. 2086 II. 153a—192b; EOL(AGE) I. a. 2; 3b; necnon: Matr. 1—46b.
- Coll. Batth. Collectio Batthyaniana. Inv.: BEMS Cat. X. Sect. 4. a.
- Confess. 1607 Confessio Ioannis Bocatii Pragae 7. Ian. 1607. Inv.: Haus-, Hof- und Staatsarchiv, Wien. Hungarica: fasc. 151. conv. 3. ffol. 132a—137b.
- CZEMANKA Andreas CZEMANKA: Congeries variorum manuscriptorum Tarnov saec. 18. Inv.: OSZK Fol. Lat. 3415.
- DcCL. 1734 Descriptio civitatis Claudiopolis, Ms. 1734. Inv.: Bibl. Ráday, K. O. 17. pp. 3a—4b.
- DcCL. 1747 Descriptio civitatis Claudiopolis, Ms. 1747. Inv.: Bibl. Ráday, K. O. 206/1. pp. 5b—7b.
- Diar. Loch. Diarium Lochmannorum. Inv.: Myjava, CS, Seniorálny Archiv VI. A 47.
- DoCL. De origine civitatis Claudiopolitanae, Ms. 1736. Inv.: EOL(AGE) V. 16. pp. 425—479.
- DORNAVIUS: Rel. Caspar DORNAVIUS: Relation. Inv.: Bibl. Ac. Ms. 4942/a.
- EpAM Epistola ad Albertum Molnar Szenciensem Pannonium, 12. Novembris 1611. Inv.: Bibl. Ac. K 787; necnon: DÉZSI 375—376 (scatet mendis!).
- EpEB Epistola Elisabethae Belsiae ad comites consiliarios . . . commissarios. 13. April. 1607. Inv.: Bytča, Thurzovská koresp., No. 77; necnon: OL phot. C 783 N 77.
- EpEBTh Epistola Elisabethae Belsiae ad Georgium Thurzo, 1. Aug. 1607. Inv.: Bytča, Thurzovská koresp., No. 77; necnon: OL phot. C 783 N 77.

EpGB	Epistola Gabrielis Bethlen ad Petrum Alvinczi. Ms. Inv.: OL F12. Gyulafehérvári káptalan levéltári lymbus V. csomó.
Exc. hist.	Excerpta historica. Cod. sec. XVIII. Inv.: OSZK Oct. Lat. 60.
Frhagy. FrGyűjt.	FABÓ András-hagyaték, Ms. Inv: EOL 4/2. Fraknói gyűjtemény VII. tom. Ms. Inv.: OSZK 1277.
Inst.	Instantia deputationis regnicolarum ad principes pro eliberando e carceribus Joanne Bocatío Cassoviensis. Inv.: OSZK Quart. Lat. 62/14 pp. 142a—144b.
Instr.	Instructio comitatus Borsodiensis . . . Sigismundo Belényi ad diaetam Ponium aplegatis a. 1609. Inv.: AMK TA. V. Bellény 6.
Interrog.	Interrogatoria für Johann Bocatium. Pragae 28. Aug. 1606. Inv.: UAct. ffol. 257—261.
Invent.	Inventarium, actum Northeimb coram senatu den 26-ten Februarii anno 1606. Inv.: UAct. ffol. 74—109.
KERULOVÁ	Marta KERULOVÁ: Ján Bocatius. (Prispevok k problematike slovenskej humanistickej poezie.) Kandidátska práca, Ms. Bratislava 1978. Inv.: Universitas Komenského, Bratislava; necnon: OSZK FM7/1218.
KG	KAZINCZY Gábor: Bocskay István története 1602—1606. Inv.: Bibl. Ac. Ms. 4878/11.
KOHAUTH	Wenceslaus KOHAUTH (Klabausky): Commentarii ad vitam Ioannis Bocatii. Ms. Inv.: Bibl. Jasoviensis, CS; K 143, in: Hungaridos ante fol. tit.
KRIŽKO: Ms.	KRIŽKO Pál: A körmöcbányai iskolák s tanerőinek története 1370—1674-ig. Ms. 1896. Inv.: EOL(AGE) V. 124.
Matr. MELLIKIUS	Matricula XXIV. Regalium Pastorum. Inv.: OSZK Quart. Lat. 1169. Samuel MELLIKIUS: Miscellanea rerum Hungaricarum 1614—1620. (Sub motibus Bethlenianis.) Inv.: OSZK Oct. Lat. 191.
Postulata	Postulata legatorum exhibita archiduci Matthiae die 9 Septembris a. 1606. Inv.: OL I sec. 7. 34. p. 287.
PROKOPIUS	Ján PROKOPIUS: Praefatio, 1802. In: Diar. Loch. pp. 209.
Responsa	„Anno 1606. den 28. Augusti ist bey sein der herrn Commisarien Johan Bocatius auf folgende Interrogatoria befragt undt examinirt worden.” In: UAct. ffol. 182—193.
REZIK	Joannes REZIK: Gymnasiologia Evangelico-Hungarica sive Historia scholarum et earundem rectorum celebriorum opera et studio M. Samuelis Matthaëides . . . ad an. 1728 eruta. Editio prima Griphiswaldiae. Inv. Epperiessini et in multis aliis bibliothecis.
REZIK (OSZK)	Gymnasiologia. Inv.: OSZK Fol. Lat. 59.
Schmal. Adv.	Andreas SCHMALIUS: Adversaria ex quibusdam chartis hinc inde disiectis Gymnasiologiae Rezikio Matthaëidessianae, ordine alphabetico consignatae, a. 1748. Ms. Inv.: EOL Bruckner Győző-hagyaték 33.
Suppl. Aug. 1606	Supplicatio Ioannis Bocatii caesareae et regiae maiestati Pragae a. 1606 in fine mensis Augusti.
Syll. misc.	Caroli FEJÉRVÁRY: Sylloge miscellaneorum. Vol. II. Cod. Sec. XVIII. Inv.: OSZK Fol. Lat. 2086.

- SZIRMAY: Supl.** Antonius SZIRMAY: Suplementa ad historiam comitatus Zemplinensis collecta. Ms. Inv.: OSZK Fol. Lat. 302.
- SZULYOVSZKY** Felix Blasius SZULYOVSZKY: Album amicorum. Ms. Inv.: OSZK Oct. Lat. 572.
- UAct.** Das Habsburg-Lotharingische Familien-Archiv, Hungarica: Ungarische Akten, Fasciculus 433. Miscellanea. Haus-, Hof- und Staatsarchiv, Wien. Necnon: OL phot. W 1307 doboz.
- ZEISEL** ZEISEL Edit: Bocatius János élete, pedagógiai és politikai munkássága, 1955. Ms. Inv.: ELTE Budapest.

IOANNES BOCATIUS
OPERA POETICA
QUAE EXSTANT OMNIA

Libertas animae ac libertas corporis isthaec
Duret ad extremum, sunt mea vota, diem.

Ioannes Bocatius 793

I
LIBRI FOLIAQUE IN PATENTI FORMA;
TABULA MARMOREA

1

CELADON

Ed. pr.: Ecloga, qua Ioannes Belsius Epper[iensis] Divi Ferdinandi, olim in legatione ad Solymanum Turc[arum] Imperatorem a secretis, statum Ungariae iam per Dei clementiam felicem celebrans, pro nobilitate sibi data, et ut vocant, provisione, annis ab hinc plurimis, gratias agit et perstringit laudes Rodolphi II. Augustiss[imi] nostri Imper[atoris], quod hosti Christianitatis, Turcae iam bellum inferat, cum gratulatione pro rebus omnibus prospere gerendis. Generosis et egregiis dominis, d[omi]n[o] Georgio Hofmanno, d[omi]n[o] Nicolao Orlai, d[omi]n[o] Francisco Kopaczy, Sac[rae] Caes[areae] Regiaeque M[aiesta]tis consiliariis et Camerae Scepusiensis praesidibus caeterisque eius officariis dedicata et scripta a Ioanne Bocatio, scholae Epperiensis rectore, cum eos ad nuptias suas, cum eiusdem Ioannis Belsii, hoc 1594 anno pie defuncti, relicta filia Elisabetha, 21. die Iunii, celebrandas invitaret. Bartphae [1594].

A⁴ = [4] ffol. — 4° — init.

Scriptura: litterae uncis clausae semper vel nonnunquam sic proveniunt: *vocales:* (ae) pro oe; (o) pro u; (u) pro v; (y) pro i; *consonantes:* (j) pro i; (ll) pro l; (v) pro u; necnon maiusculae pro minusculis et vicissim.

Ed. a.: CELADON — Ecloga nomine mei soceri Ioannis Belsii, nuper pie defuncti, scripta ad caesarem Rodolphum II. In: Hung. pp. 41—47.

Textus, quibus usus sum: Ac. phot. 196/XIII. et RMK II. 287.

Fus.: RMNy 739; HELLEBRANT 701—703; JANSON 39—40; TARDY 92—98; LAZAR 22; LAZAR: J.B. 243.

1

CELADON

Ecloga nomine mei Soceri Ioannis Belsii
nuper pie defuncti,
scripta ad Caesarem Rodolphum II

Nuper ego virides lustrans, de more, recessus,
Dona Dei campo, varios mirabar honores:
Et laetas segetes et multo flore superbam
Tellurem, humani generis rerumque parentem.
5 Interea tectos per agros dum lumina volvo,
Ecce mihi Celadon venit obvius, inter aristas
Mixtus, in obliquo solus per devia gressu,
Non procul irriguas lente spaciatus ad undas.

Aspicio primus dictaque salute vicissim,
 10 Quaero, quid ad fluuios et amictas gramine ripas
 Solus eat? quid agat? tacito quid pectore vertat?
 Nam defixus humi vultus oculosque tenebat.
 Ille mihi contra reddit: quid et ipse vagaris
 Non comiti monstrans humano culta labore
 15 Quam stent arva suis mox frugibus apta secandis?
 Tunc ego subiiciens: equidem hic ego saepe frequensque
 Et flavam Cererem, coelestia munera miror.
 Nescio sed falcem quis subiecturus aristas,
 Grana domi teret et nostros quoque vertet in usus.
 20 Messores alios metuo: vel corpora tradet
 Mille neci caedes funesta: aut miles habebit
 Haec Geticus tandem, patriisque fugabit ab oris
 Nos, procul ad septem, sub sidera dura, triones.
 Ancipiti solet ire gradu Mars: brachia late
 25 Quamvis pandat, et hic nostris arrideat armis.
 Qua victis rediit semel in praecordia virtus,
 Quis ultro se tot castella, tot oppida dedunt.
 Sic ego: sic Celadon non impiger ore profatur:
 Quaeso potes mecum si quid cessare sub ista
 30 Ilice, quae patula est vivoque sedilia musco
 Praebet, in hac dulces umbra sedeamus amici:
 Maior ego, mihi te nunc auscultare necesse est.
 Efficiam melior tibi quo sententia surgat.
 Iamque (fatebor enim) saevus licet omnia circum
 35 Hostis ad Istricolos sua sub iuga misit, et Hunnis
 Intulit innumeras clades lateque gubernat:
 Non tamen hoc semper curret fortuna tenore.
 Ipse ego qui quondam Bizantia moenia vidi
 Et multum, Solymanne, tibi donatus abivi,
 40 Triste loqui Mahometigenas his auribus hausi.
 Namque querebantur veluti vi rapta potestas
 Olim praecipites fato passura ruinas,
 Nec sit, ut ante, suos felix habitura triumphos,
 Omen id et veterum cecinere oracula vatum:
 45 Quemque diu captum tenuit Babylonia pellex.

16 frequensque **Ed. pr.** frequento

34 saevus **Ed. a.** saenus

36 gubernat **Ed. pr.** gubernet

40 Mahometigenas **Ed. pr.** Mahumetigenas

45 Babylonia pellex — cf. Apoc. 17, 1; 19, 2

Estque adeo decus hoc aevi, quod carmina nobis
 Praecinuere diu, Getici ruitura tyranni
 Regna, et Romanis rursus cessura triumphis.
 Amplius angusto cum fines limite claudi
 50 Turpe erit, et frustra tam longos mittere census.
 Iam nova Christicolae coelo delapsa revisunt
 Numina: iam redeunt populi et felicia regna
 Quae gelidi fontes cum saltibus antra vocabunt,
 Quae Saus atque Draus flumenque binominis Istri,
 55 Quae quoque supplicibus clamabant oppida muris,
 Oppida divini nec adhuc ignara cruoris.
 Scilicet hoc lapidesque domusque hoc antra loquuntur:
 Scilicet hoc votis est tempus mille petium.
 Scilicet hoc series optavit longa nepotum.
 60 Hoc rigidi montes: hoc saxa minantia coelo.
 Hoc inhumatorum poscunt manesque animaeque.
 Non oblita sui surgit Germania: surgunt
 Omnes salvificum qui Christi nomen adorant.
 Cuncta iubent metam veterum sperare laborum.
 65 Quem sonipes metuat posthac non Hunnus habebit.
 Non quis ob abductos Genitor, sua pignora natos:
 Non natus cari plorabit vincla parentis,
 Optima libertas sub dio altaria ponet,
 Vota potestati Trinae de pectore fundens.
 70 Haec, inquam, talem genuerunt secula regem,
 Sub quo mitescant nimium crudelia fata,
 Turcicus Hungaricis furor ut discedat ab oris:
 Thracia victa manus duris post terga cathenis
 Praebeat Arctoo supplex spectacula mundo.
 75 Haec ita, si vatum non stant monumenta priorum
 Irrita, sidereo rex quem demisit Olympo,
 Hungariae explebit fatorum arcana Rodolphus.
 Hic Othomannigenas a sedibus ultor avitis
 Belliger, extremos solis depellit ad ortus,
 80 Europae Phryxi trans ostia limite cassos.
 Auxilium superi promittunt: campus et unda
 Coniurant: aër gestit: sunt flumina laeta.

46 aevi *Ed. pr.* avi

49 angusto *Ed. pr.* Augusto

58 votis *Ed. a.* volis

80 trans ostia *Ed. a.* transostia

57 lapidesque ... loquuntur — cf. Luc. 19, 40

80 Phryxi — cf. Ov. Fasti. III, 850—875

Rex Arctoarum sua gaudia sentit aquarum,
 Paulatimque videt rapidos procedere cursu,
 85 Conciliis etenim prohibetur et agmine denso
 Squamigeri sine fine gregis, qui lege senatum
 Convocat, et certos regni dimittit ad omnes,
 Quaque suos ortus habet, aut qua angusta Propontis
 Euxini commiscet aquas et cornua flectit:
 90 Sollicitantque duces per mutua vincula foedus,
 Ut quacunque queant pertaesa hucusque Getarum
 Imperia effugiant, Christique a nomine coetus
 Iam dominos videant, populos qui pace gubernent,
 Alta abigantque Deum quae ridet in arce catervam.
 95 Omnia et exercent laetos animalia plausus,
 Utque iuvent animis, bellorum oblita priorum,
 Inter se dulcem componunt ordine pacem.
 Non lupo est inimicus ovi, non cervae leoni:
 Non canibus lepores laniantur: acerba cruore
 100 Tigris fauce caret: non tauro cornua sternit
 Prata per et sylvas, villis horrentibus ursus.
 Omne genus volucrum coniurat in arma: per auras
 Dant plausus gyro, veteremque avertere pestem
 Conantur, longos acuentes unguibus ungueis.
 105 Rex oratores dimittit et undique cogit
 Auxilia, et primus vibrat per nubila pennas,
 Magnaque diversi nutrit duo fulmina belli.
 Unum illustre domo et Germano sanguine iunctum,
 Quod Strigoniacas feliciter occupat arces
 110 Victor, cuique ulnis mox obvia Buda duabus
 Ibit, eatque precor Dominum, qui fautor et autor
 Arma iubet capere haec pro religione focusque.
 Ille dabit validas vires animumque catervis,
 Milite quae modico patriaeque Deique tuentur
 115 Laudem: ut sancta queant immanem excindere gentem
 Agmina, sacrilegas aut hinc dispellere turmas:
 Sternere iactanteis longis sua robora pilis.
 Namque adeo non est invicta potentia Turcae,
 Ut perhibent: Deus omnipotens est fortior, aut qui
 120 Iussa colit veneranda Dei, roburque salutis
 Ipsius in Gnato locat auxiliumque Iehovae
 Invocat: ille potest Iosuas ceu victor ad Orcum
 Millia multa virum dimittere fulmine coeli.

95—101 Omnia ursus — cf. Ov. Met. I, 89—112

125 Aut Manoa satus, armatos qui strage Philistas
 Totus inermis maxilla concussit aselli.
 Pastor et ille globo, vasta qui mole Gigantem
 Perculit et prona caput a cervice revulsit.
 Nos precibus duplices tendamus ad aurea palmas
 Sidera, falcato qui saevit acynace passim.
 130 Ut ruat, aut supplex Romanis fiat et Hunnis.
 Hoc facit orbis et urbis apex, et ut exigit armis
 Omnis in Hungarica stat cura salute Rodolphi.
 Ille pater patriae tot gentes eripit Orco,
 Ipse suos regni mittens ad praelia cives:
 135 Nunc arces Hunnis, nunc Hunnos arcibus auget.
 Illum longa mihi servet quoque Parca monarcham.
 Namque mihi ceras mittens et nobile signum
 A grege selegit maculosa Tigride, fauces
 Quae rictat: quae calce rosas et lilia calcat.
 140 Additit et fulvum, quo nil est gratius, aurum:
 Utere, ait, felix hoc nobilitatis honore,
 Tuque tuique et qui tandem nascentur ab illis.
 Annuo et ille mihi argento providit et auro.
 Ergo prius montes haec nesciat Hungara tellus:
 145 Ante suos ortus repetat solemque cadentem
 Ister, et ad celsos volvat sua flumina colles,
 Quam non pro pietate meas ego pectore grates
 Depromam, aut cuius me temporis arguat aetas
 Immemorem, cui non venientia secla senectam
 150 Laudibus imponent: iam quantulacunque rependam,
 Ipsius similes venerans in imagine vultus
 Pronus adorabo, ceu numen et ara Sabaeo
 Thure frequentabit iucundos pingueis honores.
 Utque mihi certo in numero dedit aera quotannis:
 155 Sic ego, sic illi faciam quoque vota quotannis:
 Ut nunc Romanis amissas restituat res,
 Adiiciens nova Pannonicas Augustus ad oras
 Regna, quibus Christi coetus foedissimus hostis

125 inermis *Ed. pr.* in ermis

126 vasta qui *Ed. pr.* qui vasta

138 Tigride *Ed. a.* Trigide

147 pectore *Ed. a.* pectora

124 Manoa satus — cf. Jud. 13, 2

126 Pastor et ille — cf. Eccli. 47, 5

133 Ille pater patriae — Cic. Pro Sest. 57, 121; Pro Rab. perd. 10, 27; Ov. Fasti. II, 127; Juv. VIII, 244; Petr. 60; Mart. Spect. 3, 12

160 Praesidet: ut mundo post solus regnet, ut ipsi
Longa sit et nullis aetas obnoxia morbis,
Ut beet Austriacos laus non moritura penates,
Ut pax, aurea pax regni intestina gubernet.
Inclyta Romanis ultro gens dedita sceptris
Pareat et pariat venturis commoda seclis.
165 Ergo vale divine Rodolphe, Rodolphe, RODOLPHE,
Lux mundi populiue salus! Felicibus armis
Vince Getam, ut causa vincis: non fata negabunt
Prospera successus exoptatosque triumphos.
Non aquilas crudelis epops corvusque sonorus
170 Vociferantes, non ululae picaeque loquaces
Suspendant, sanctis neu dent incommoda coeptis.

169 corvusque Ed. a. cernusque

171 *Post versum* Ed. pr. Finis Ed. a. om.

UNGARIA GRATULANS

Ed. pr.: Serenissimo Principi ac domino domino Maxaemiliano, archiduci Austriaco etc. Cum partes Ungariae Superioris ingrederetur. Carmen heroicum a Ioanne Bocatio Iudirectore Epperiessino. Bartphae David Guttgesel excudebat anno 1595.

Fol. tit. v: Psalmo 84. Pergunt de victoria in victoriam, ut appareat in Zion Deus.

A⁶= [6] ffol. — 8° — orn.

Scriptura: litterae uncis inclusae semper vel nonnunquam sic proveniunt: *vocales:* (o) pro u; (u) pro v; (y) pro i; *consonantes:* (ll) pro l; (tt) pro t; (v) pro o; (v) pro u; necnon maiusculae pro minusculis et vicissim.

Ed. a.: Hungaria gratulans serenissimo Austriae archiduci dom[ino] domino Maxaemiliano Hungariam super[io]rem] intranti.

In: Hung. pp. 51—60.

Editiones, quibus usus sum: RMK II. 254 et RMK II. 287.

Fus.: RMNy 758; Diar. 230; TÓTH L. 18—19; JANSON 40—41; LAZAR: J. B. 243; MINÁRIK: Poezia 250; St. lit. Prešov 248; KERUĽOVÁ 38—40.

HUNGARIA GRATULANS

Serenissimo Austriae Archiduci Dom[ino]
Domino Maxaemiliano,
Hungariam superio[re]m intranti

Induperatoris frater germane Rodulphi,
Maxime qui nobis fers Aemiliane salutem,
Austriacae salve, terrae augustissime Princeps,
Pannoniae salve, salve heros inclite, salve!
5 Ungarici salve regni spes optima, salve!
Ultima, sed rerum spes o fidissima salve!
Cuius in adventu Mars iubilat, aurea Pallas
Frena resolvit equis, salit et Victoria plaudit.
Iustitia comite Astraea, simul omnis et ordo
10 Pieridum progressus agris, Helicone relicto.
Has etiam has oculis clementibus aspicias oras,
Tot iam vexatas ab eo crudeliter annis,
Qui Christum abiurans et acynace fretus in orbem

15 Christiadam furit, ac solio se iactet avito
 Clara potiturum superando screptra Quirini,
 Ebrius is toties, sine vindice, Marte secundo.
 Privat honore suo delubra et viribus aras,
 Olli relligio cessit, subvecta caballis
 Quattuor ad coelum, Furiis per templa relictis.
 20 Salve igitur toties, o clementissime Princeps!
 Nos quoties votis te te exoptavimus omnes:
 Absentem veluti genitricem vagiit infans,
 Solus in angustis cum lamentabile cunis
 Guttur hiat stratum lacrumarum immergitur undis.
 25 Tuque adeo salve lux festa, quod aurea nobis
 Gaudia restituis coelumque serenas,
 Coelum, quod nebulas tempestateisque per annos
 Mille tulit; tulit horrendos ad littora fluctus.
 Tantum ut si lapsis iam iam succurrere rebus,
 30 Qui proram puppimque regat, non cerneret: undas
 Mersa sub Aeoleas tantis sine fine procellis
 Obrueretur, in horrisono membra omnia ponto.
 Centimanum natura Gygen si me alma crearet:
 Si tot Apollineae dictarent ora papyro,
 35 Quot coelum stellas, quot apes ver, littus arenas,
 Bruma niveis, mare aquas, animalia cuncta capillos,
 Arbor habet folia et distinctum grana papaver:
 Non ego balbus ad haec iustos dare gaudia cantus
 Sufficerem, Aemiliane: tuos quod copia standi
 40 Vultus ante iuвет, sed amicas reddere voceis.
 Non ita, qui tenebris et carcere ducitur atro,
 Ferrea crura diu vel palmas taedia passus
 Exultat: non sic inventis Icarus alis.
 Non sic a socio Stygiis reseratus ab undis,
 45 Herculea Theseus posuit quum vincula clava.
 Quare age quisquis aves, ut oves, mecum ito lubenter,
 Omnibus in triviis laetum paeana canamus:
 Iubila vel calamo signemus et ora papyri
 Paulatim niveo madefacta liquore feramus;
 50 Qua sol extremos urit Garamantas et Indos.
 Quaque ortus vesperque diem noctemque salutant.

18 caballis **Ed. pr.** molossis

33—40 Centimanum natura reddere voceis — cf. Catull. VII; Verg. Aen. VI, 309—312; Ov. Trist. IV, 1, 55—59

47 laetum paeana canamus — cf. Verg. Aen. VI, 657

50 Garamantas et Indos — Verg. Aen. VI, 794

Nos laudes Domino dabimus, quas possumus, illi.
 At tu has cantandi meritis non respue flammis,
 Neu te hac infantum celebrari voce sequaci
 55 Poeniteat pudeatque altorum o Maxime divum.
 Illius ipse Deus, qui pendet ab ubere matrum,
 Laude chori gaudet, quando is balba ora resolvit.
 Nunc etiam volucres concentibus aëra mulcent,
 Magna creatoris referentes carmine facta,
 60 Proque novis grateis tunicis dant lilia campi
 Laeta Deo: arboribus famulae stant vertice cristae:
 Semper odoriferae laurus et aquatica myrtus.
 Ecce autem hae tures atque haec dant moenia plausus,
 Laetitia incensum feriunt magnum aethera bombis.
 65 Montibus occiduis dat sylva reciproca voceis,
 Insuper hic totus reboat modulamine campus.
 Quae mora segnis habet vos civeis? ora quid uno
 Fixa loco geritis, cur ardetisque tuendo?
 Quin potius, tellus quos fundit daedala, floreis
 70 Sternite; quos passim iam quilibet educat hortus
 Spargite; sunt Veneris, sunt heic beneolentis anethi,
 Dulcis amaracus, hysopus, casia atque cupressus.
 Gratus odor diis est, grata officiosa voluntas,
 Ferte citi, cives: ex mille theatra paremus
 75 Frondibus; olim istas habitarunt dii quoque frondeis.
 Tu modo magnorum magno sate sanguine divum,
 Ingredere hanc etiam, penitus quam pandimus urbem,
 Quamque avus ille tuus magno decoravit honore,
 Pro meritis olim, pro belli fortibus ausis.
 80 Hospite sit licet haec nec tanto Principe digna.
 Cum nihil hic altum, nil maiestate verendum.
 Magna fides tamen est populi et constantia magna,
 Debata Romanis ingens reverentia sceptris.
 Primus hic Ungarici locus est et ianua regni:
 85 Ingredere hanc etiam penitus quam pandimus oram.
 Huius corda adaperta tibi stant orbis et urbis,
 Grator hospite te revera non fuit alter.
 Ingredere Austriacum lumen, tibi limen ad urbem

52 quas *Ed. pr.* quae

58 aëra *Ed. pr.* aërea

62 Semper *Ed. pr.* Scilicet

63 atque *Ed. pr.* acque

74 Ferte citi — cf. Verg. Aen. IX, 37

Hoc patet: hos, ubi gratus eris, succede penateis.
 90 Semideo quis enim hospitium tectumque negaret?
 Simplicitas morum non te haec offendat; inerteis
 Cernis, at affectus in te non cernis amoremque.
 O introspiceres latebras et pectora turbae,
 Mentibus in promptis studia officiosa videres.
 95 Non oculis unum lustras: tamen una voluntas,
 Una parata tibi mens est, ac serva cupido.
 Ingredere hanc etiam portam, illustrissime Princeps!
 Heic manibus, si vis: heic te portabimus ulnis.
 Heus tubicen, solito mage iam taratantara clangat,
 100 Cedit vos, venit, eia venit dux, ecce quadrigis
 Austriacis, picta circumcurrente iuventa.
 Iunonem Austriacam thalami vitaeque futuram,
 Consortem ducens tibi, Princeps inclyte, septem
 Castrorum, ac victrix cui Transylvania paret.
 105 Iaziges o nimium felices! ducit ab Austro
 Ipse heroinam, felix qui praesidet orbi,
 Septena quondam arce dedit cui Dacia nomen,
 Cedat ei Venus et formosae filia Laedae,
 Turpiter absentem quam cum Troianus adulter
 110 Hospes hero rapuisset, agros et nobile regnum
 Perdidit Iliacum, in flammis cineresque resolvit
 Unus opes Danaum Priamisque Asiaeque doloris.
 Tu melius longinqua per arva, o Maxmiliane,
 Ducis ab Austriaco generatam sanguine sponsam,
 115 Auxilium, illustri quo septem principe castra
 Patre, forisque domique ferant pergrata Tonanti
 Coniugia, ex alto prognatos stemmate natos.
 Mascula quos celebret virtus et avitus in orbe
 Fulgor, opis nec egenus eat, cum res ita poscet,
 120 Quam Deus et fati concordia firma ligavit.
 Mygdonides socero socium sese addidit armis,
 Et (quamvis aliter diis visum) Graia vetebat
 Agmina Cassandram vexare ipsumque parentem.
 Saepe habuit Siculas pro foedere Sparta puellas:
 125 Saepe remisit et haec praestanti corpore natas,
 Munera perpetuumque aeterni robur amoris.
 Tempus erit, cum progenies hinc firma nepotum,
 Transylvano habitu cristisque superbiat altis.
 Unus et alter in Austriaca cum luserit aula,
 130 Hospes ad infantem pariat tibi gaudia linguam.

121—123 Mygdonides socero parentem — cf. Verg. Aen. II, 339—346

Finge, quod ambabus iam te hic amplectitur ulnis;
 Hic eques et baculo Geticos abiturus in hosteis
 Militet; ex patriis ea bella penatibus ac diis.
 Ille sed oppositas iungat socia agmina turbas,
 135 Ille suas aquilas, gerat alter cornua lunae,
 Bellica iura det is legesque cohortibus: alter
 Inflammet iuvenum caedeis animasque labanteis.
 Stent circum angelico fulgentes more puellae,
 Quae matrem referant, illustris dulce pudoris
 140 Exemplum ac speculum pietatis imagine parva.
 Cor pertentabunt ista ac tibi pectora tangent
 Laetitia tandem, quin ipse silentia rumpas,
 Talibus: hinc paucis, pueri, labentibus annis,
 Duxque comesque fui vester per singula matri.
 145 Praevius hac nostra de sede profectus ad Hunnos:
 Quando nullus adhuc, qui coram luditis, auras
 Vidit, ut arderet lecto sociare iugali.
 Hanc pater hanc nostra genitricem ab origine ductam,
 Vivite, sed generis memores: nomenque decusque
 150 Pullulet hoc magni clarissima lumina mundi.
 Adsis, te primum vultu complectar amico.
 Tu mihi basia des, tu dextram, tuque sinistram.
 Maiores annis, quando hac statione locati,
 155 Marte geratis inexhausto: sic nomen Olympo
 Imperium, terris aequabis: omen ab istis
 Lusibus exoritur fatale: sit exitus idem
 Comprecor, Alcides robur, sapientia nervos,
 Ingenium Pallas, palmam Victoria donet;
 160 Austriadum Deus illustri quia sanguine iunctis
 Neu metas rerum posuit, neu tempora regni.
 At tu salve iterum, salve, Maxaemiliane,
 Sis memor, o patriis cur huc digressus ab arvis,
 Tot cataphractorum late stipatus acervis,
 165 Consilii iuvenis inter Martisque peritos,
 Has aquilis complex dux atque leonibus oras,

151 Adsis, te primum vultu *Ed. pr.* Adsis ego vultu te primum
 165 inter *Ed. pr.* artis

Parcere subiectis, quorum pulcra ira, superbos
Debellare solet, vindex crudelibus armis.

- 170 Finge, tuos nunc ante cadat moestissima vultus
Foemina, quae supplex ululet lanietque capillos,
Quadripedum humectent lacrumis et crura resolvant
Pulveribus, sine fine eius, crescentibus undis.
Ex oculis tepido labantur flumina cursu:
Fecit amor rapidum ceu quondam Biblida fontem,
175 Ter caput et palmas ea sidera tollat ad alta,
Squalida det gemitum: dein tales pectore voces:
Illa ego cunctarum quae passa miserrima verum,
Gratulor, illa tuam quae exspectat anghela salutem,
Lux o Austriadum! quod in has te coelitus oras
180 Miseris: ah videas, quae moestae noctis imago
Me maneat, quae me Furiae, quae turbet Erynnis,
Ilias heic mera me compositaque Lerna malorum
Frangit, ut attollens vocem haec tua numina poscam.
Ut potes, o miserere mei, miserere ruentis.
185 Praesens exitium et certam licet omnia mortem
Intentent, precor, affer opem, potes, affer Achilles
Alter: inhumanos nisi tu prostraveris hosteis,
Ac nisi quod superest, duce Christo, viceris armis:
Nulla salus, nostro nulla est hoc orbe relicta
190 Spes: adeo extremos casura exantlo laboreis.
Ergo, velut rebus coelestia numina in arctis
Aspiciunt oculis motum clementibus aequor,
Naviget ut puppis pelagi tranquilla per alta:
Sic tu sis, oro, placabilis: aequora praesens
195 Haec tumida et motos componas ordine fluctus.
Rumpe, doma, vince adventu, concurribus, armis
Crudeleis superis Turcas nomadasque feroceis;
Concordeis in bella animas Martemque ligatum.
Causa dabit vireis, pietas coelumque triumphos.
200 Maximus at quoniam nobis ac tertius ille es,
Aemilia de gente trahis qui nomen avitum,

167 pulcra *Ed. pr.* pulcha

167—168 Parcere subiectis — cf. Verg. Aen. VI, 851—853

174 Fecit amor — cf. Ov. Met. IX, 449—664

175 Ter caput et palmas — cf. Verg. Aen. I, 93—94

177 Illa ego — cf. Jan. Pann.: De eodem Paulo aliter 4

182 Lerna malorum — v. Margalits

194—195 aequora tumida — cf. Verg. Aen. I, 142

Ardua iamdudum quos vexit ad aethera virtus,
 In patris proavique tui decus inclitum abibis.
 Omen habet fatale, gerat quem insignibus aureum,
 205 Austriacae phoenix domui quae vivat ovetque.
 Illa sibi pater et soboles rediviva per igneis
 Absque toro generosa parens, incendia postquam
 Fecit, in has rursus post seclum nascitur auras.
 Hanc imitaris avem: bis quinquagesimus annus
 210 Labitur hinc, primo postquam Romana dederunt
 Sceptra illum auratum, pro quo iam fortis es, orbem,
 Nominis huius et Austriaco, Maxaemiliano.
 Hinc miles tulit in Scythicas trux arma cohorteis,
 Aras atque focos pro Christi nomine nostros
 215 Defensurus: at egressum vix horruit hostis,
 Terga fugae nudans infamia, qualiter alta
 Cum lupus arva tenet, se subtrahit ocyus agna.
 Tempus adest, reparet virtus heroica cursum,
 Ad poenas vocet Harpyias Geticosque tyrannos;
 220 Qui Christum abiurant, qui templa et fana prophanant.
 Quare age, finge tuo quoque te iam sanguine dignum,
 Omnia florebunt per secula: sceptra Quiritum
 Romanasque aquilas, donec fulgore corusco
 Sol cernet, donec fama et praelustria facta
 225 Reliquiae Aeneadum vel nobilis Austria vivet.
 Austria magnorum genitrix et alumna virorum.
 I: decus Austriacum, nostri nova gloria secli,
 I: refer innumeros pulcra cum laude triumphos.
 Sis bonus atque tuis felix et munera pacis
 230 Aurea redde, precor, quam tot labentibus annis
 Martia per Geticos turbavit Erinnys Achivos.
 Pax Istrum faveat regem famulumque Tibiscum.
 Ut Savus atque Dravus volvant tranquilla colonis
 Ostia, et hospitio excipiant, quas advena merceis
 235 Aut Italus feret, aut septem devecta trione,
 Nunc ubi Teutonicas industria parturit urbeis,
 Pace Deoque diuque vigens Ecclesia crescat.
 Iam video, exundans Ister tot corpora volvit
 Caesa, quot et magnas dubito numerasse Mycenae,

202 iamdudum *Ed. pr.* iam dudum

216 infamia *Ed. pr.* infamiae

220 Christum *Ed. pr.* Christum

221 *Post hunc versum Ed. pr.* Dignum illis, quorum vivaci nomina Cedro. *Ed. a. om.*

230 quam *Ed. a.* quem

232 faveat *Ed. pr.* foveat

240 Ante tuos, o Troia, oculos cum bella fuissent.
 Clamet io, dudum vinclis constricta iuventus,
 Clamet ametque frequenter io, turba imbribus ora
 Humida quae lacrumis auxit, velut amne, Tibiscum.
 Sic ipse imperium, tibi sic Deus augeat annos.
 245 Si tibi devote supplex Thrax maximus olim
 Cedat, et Euxinus pede flexo pronus adoret.
 Sic Asiam et septem transcendas ostia Nili:
 Divisumque regas orbem cum fratre: triumphos
 Post mundi, donec tandem super axe locatus,
 250 Pro meritis roseas gestes sine fine coronas,
 Romulidasque tuos videas velut astra micantes.
 Heic fandi Hungariae finis; tremefecit Olympum
 Quum gravis interea fragor ac incensa nitri vis,
 Laetitia nota, bombardas explodere mandat,
 255 Horrida sulphureos per signa papaveris igneis
 Ingreditur Princeps, cita quem circumdare pubes
 Certat et exercet sua lumina saepe tuendo.
 Autumat esse Deum mentitaque numinis ora,
 Donec in hospitio dux linquat epiphia fessa.

249 super *Ed. a.* supero

251 Romulidasque tuos *Ed. a.* Romulidisque tuas

252—259 Heic fandi epiphia fessa. *Ed. pr. desunt*

SIRACIDES

vel Ecclesiasticus Iesu filii Sirach, Paraenesis ad vitam bene beateque transigendam, in locos communes redactae et versibus elegiacis redditae per M[agistrum] Ionnem Bocatium Wetschaviensem P[oetam] L[aureatum] scholae iam Epperiensis in Hungaria superiore rectorem. Dedicatae magnifico domino Christophoro Libero Baroni a Teuffenbach, capitaneo generali in Hungaria superiore et Quinque ibidem regis et liberis confoederatisque civitatibus, Cassovia, Leutschoviae, Bartphae, Epperies, Cibinio. Cum praefatione d[omi]n[i] Aegidii Hunnii, S[acrosanctae] Theologiae Doctoris, professoris et Pastoris Witebergensis. Witebergae typis M[agistri] Georgii Mulleri anno 1596.

A — N⁸ = [104] ffol. — 8° — init.

Scriptura: litterae uncis clausae semper vel nonnunquam sic proveniunt: *vocales*: (e) pro ae; (e) pro oe; (oe) pro ae; (oe) pro e; (u) pro v; (y) pro i; *consonantes*: (c) pro ch; (c) pro t; (ch) pro cch; (f) pro ph; (ff) pro f; (l) pro ll; (ll) pro l; (m) pro n; (m) pro mm; (m) pro mp; (r) pro rr; (s) pro ps; (th) pro t; (x) pro xs; necnon maiusculae pro minusculis et vicissim.

Editio, qua usus sum: RMK III. 880.

Fus.: TÓTH L. 20—21; JANSON 52—53; LAZAR: J. B. 243; MINÁRIK: St. lit. Prešov 248.

SIRACIDES

vel Ecclesiasticus
Iesu, filii Sirach:
PARAENESES

*

Epigramma ad Christophorum a Teuffenbach — Fridericus Taubmanus — v.
app. 1.

*

Ad lectorem — Aegidius Hunnius — v. **app. 2.**

*

[Epigramma] Ad Johannem Bocatium — Ernestus Hettenbach — v. **app. 3.**

*

Aliud — Salomon Gesnerus — v. **app. 4.**

*

Aliud — Nicolaus Steinberg — v. **app. 5.**

*

Ex epigrammate Johannes Spangenbergii in Siraciden — v. **app. 6.**

*

Reverendissimis ac doctissimis viris, D[omi]n[o] Severino SCULTETI pastori Bartphensi et quinque vicinarum civitatum seniori, D[omi]n[o] Thomae TIMAEO p[astori] Cass[oviensi], D[omi]n[o] M[agistro] Antonio PLATNERO p[astori] Leutsch[oviensi], D[omi]n[o] M[agistro] Samueli SAUTERO p[astori] Epper[iensi], D[omi]n[o] M[agistro] Georgio TROSTERO p[astori] Cib[iniensi], D[omi]n[o] Georgio FLORIANO p[astori] Saar[ossiensi] Dominis suis fautoribus et partim affinibus colendis. Et nobilissimis, amplissimis et ornatissimis viris, iudicibus, senatoribus ac centumviris quinque in Hungaria superiore foedere iunctarum civitatum: Cassoviae, Leutschoviae, Bartphae, Epperies, Cibinii etc. Dominis suis honorandis. S[alutem] D[icit].

- 1 More receptum est, viri reverendissimi et nobilissimi, ut illi, qui sive sint iussi et ab aliis persuasi, sive ultro quid in publicum, ob certas easque causas honestas et graves, scribere velint, in vestibulo libri quaedam praemittant, et vel causas instituti sui exponant, vel propter Zoilos, nec optimis quoque parcentes, asylon et perfugium sibi quaerant, ut ita quasi scuto muniti magis cordate malorum ictus et
- 2 tela suffere possint. Sicuti exempla non qualiumcunque; sed et nostri, et prisci illius seculi copiose testantur. Quod nisi ἐν τῷ φανερωῦ, et luce meridiana clarius
- 3 esset, quaedam hic allegare non dubitarem. Quod ad me, poetam crescentem et messem suam adhuc in herba videntem, attinet, utrumque paulo copiosius exponerem, nisi id, quod praestare deberem et vellem, vir clarissimus et omni immortalitate dignissimus, Dominus AEGIDIUS HUNNIUS et alii doctissimi viri praecoccupatione ex gravissimo iudicio profecta, et ex nullo meo merito huic
- 4 meo libello praefixa, satis perspicue declarassent. Si quis igitur talium virorum

3 messem in herba — Ov. Her. XVII, 263

censuram in loco aliquo habet, quod mihi plane persuasum est, non arbitror aliquem fore, qui conatus meos, nil sane aliud quaerentes, praeterquam gratam animi notam erga bene meritos declarantes, et discipulis duntaxat prodesse cupientes vel solum conantes, facile dente Theonino arrodant et sinistre accipiant.

5 Quippe non ignoro haec etiam nostram aetatem, ut aliorum doctrina in oculos incurrente praestantissimorum virorum, ita quoque poetarum celeberrimorum esse feracissimam. Adeo ut vere dicere possim, anserem me strepere inter olores,

6 quod rex ille poetarum Virgilius de se ipso pronunciare non dubitavit. Verum probe mihi sum conscius, quod omnis hinc exulet inanis φιλαυτία, quo vitio plerosque meae aetatis laborare non ambigo, cum cuilibet, quod aiunt, suum sit

7 pulcrum, et qui velit ingenio cedere, sit rarus. Bene de iuventute merendi conatu totus ardeo. Quoties enim dictum illud Christi mihi in mentem venit, cum ait: Merces vestra copiosa erit in coelo; ex animo mihi gratulor, quod pubem in officina Spiritus Sancti et Ecclesiae seminario ut bonis artibus, in quibus ut Plato dicit: Deus gratam de se famam sparsit, ita doctrina coelesti imbuiere et doctiores

8 vel tantum meliores reddere possim. Quis etenim negat, illa quoque de nobis in pulvere fere asinino (scholasticum intellego) laborantibus, pronunciarum? Et si de mei ordinis hominibus ita magnopere loqui concessum est, nonne et nos illi

9 sumus, qui sicut Daniel ait, multos ad iustitiam erudiunt? In labore iussit nos esse Paulus copiosos. Nil aliis alibi fideliter et cum magno iuventutis fructu quidquam velim detractum, de me revera id affirmare ausim, quod nulla me mundi ingratitude, de qua passim multi quiritantur, nullae molestiae, nullus labor adeo frangat, ut de conatu in docendo et erudiendo tam facile abduci patiar. Quomodo igitur cunq̄ fieri potest, sub mea ferula viventes, ut ad alia studia diligenter percolenda: sic etiam ad poetica studia exercenda invitare soleo. Non equidem omnes poetica capi satis experior: at nullam occasionem praetereundam esse censeo, quae iuventutem imbuiere queat, ut tandem divinum illud studium,

11 ambabus ulnis ut aiunt, amplectatur. Hoc etiam opusculum eo fine successivis horis concinnaram, non ut publice ederem, sed in παιδευτηρίῳ meo, rationem pro virili versiculos ex alia materia conficiendi monstrarem. Sed ubi casu labor hic meus ab uno atque altero bono et docto viro saltuatim lectus fuisset: nescio certe quid in eo offenderit, quod, ut cum aliis quoque versificationem meam communem esse vellem, suaderet. Ego quidem diu reluctatus sum; verum cum et aliis alibi pagellas aliquot legendas exhiberem: nescio certe, quo fato, mox non tantum illarum applausores, verum etiam ut typis excudendas darem, sum

13 propediem nactus. Nolui ergo hic adeo tenax esse, qui graviori iudicio hominibus non absecundassem. Quale quale denique de meo hoc opusculo aliorum futurum est iudicium, non valde laboro, cum vos, Reverendissimi et nobilissimi viri,

14 patronos elegerim. Multa a vobis accepi, multa me vobis debere agnosco. Spero

4 Dente Theonino — cf. Hor. Ep. I, 18, 82

5 anserem me — cf. Verg. Ecl. 9, 36

6 cuilibet ... suum sit pulcrum — Cic. Tusc. V, 22, 63

7 Merces vestra — Matth. 5, 12; Luc. 6, 23; 35 / Deus gratam — Plato

8 multos ad iustitiam — Dan. 12, 3

9 In labore — 2Cor. 11, 23

autem futurum, quin, pro vestra singulari in me pietate et humanitate tenuem hunc ingenioli mei foetum vobis loco magni alicuius monumenti, donec Deo ter optimo maximo meis studiis clementer benedicente his per occasionem plura accedant, dextre sitis accepturi meque et mea studia vobis commendata esse
15 passuri. Filius Dei faxit, ut omnes et singuli domi et foris diu cum omnibus vestris contra tyrannidem Turcicam et alios corporis et animae hostium insultus immunes maneatis. Amen.

Witebergae 28 Martii, ad fastos veteres, anno Dei nati 1596.

Vestrae R[everentiae] et A[uctoritatis]
observantissimus:
M[agister] Johannes Bocatius
P[oeta] L[aureatus]
Scholae Epperiensis pro tempore Rector

LIBER PRIMUS

ECCLESIASTICI

3

Elegia I

Haec ego Siracides Solymae generatus Iesus
Victuris etiam do monumenta libris.
Quae sine labe docent, ut longam ducere vitam
Et fieri sapiens quomodo mente queas.
5 Serviat haec aliis, mihi gloria nulla magistro,
Non mea sed vulgi commoda quaero pius.
Neve putes verbis modo me praestringere fucum,
Impetus hic puro purus ab ore venit.
Sed nimius felix nostras qui pectore Musas
10 Versat et exercet nocte dieque suo.
Non sine fruge cadet res illa, nec aurea perdet
Tempora, quisquis in hac se statione locat.
Nil equidem nostris ego viribus arrogo suasu,
Quid nisi nos miseri terrea massa sumus?
15 Vult tamen ingenio fieri compendia Numen:
A Domino vires cor sapientis habet.
Rebus et humanis est aptus nemo gerendis,
Ni faveant genio fata secunda suo.
Absque Deo series caecae sumus aemula talpae,
20 Visus et ingenium coelitus acre datur.

Elegia II

4

Ex praefatione

Inclyta priscorum quondam sacra lumina vatum
Numina quis toto magna fuere solo.
Voce genus mortale omnes docuere per oras,
Qui solidae mundo sit rationis honos.
5 Illorum passim sapiens industria vires
Sumsit et ingenii semper adauxit opes.
Perque prophetarum bene dispatiata labores
Legifero Domini codice scripta dedit.
Hinc alios cedro dignos, qui dulcia sueti
10 Conscripsere Deo, rettulit usque Viros.
Praemia nos meritis, quae digna referre tenemus
Isacis ex alto stirpe creata phalanx.
Ergo sacris posthac pia scriptis oscula demus,
Omnibus ut nostris sint documenta viis.
15 Nec sacra Eleusina haec sint nobis ipsa, sed omnes
Pullulet in terrae gratia tanta plagas.
Scripta rudimentum populis hoc orbe remotis,
Afferat in varias protinus aucta vices.
Praestitit hoc etiam Salvator nomine, cuius
20 Siracides ego sum factus et ipse nepos.
Cum sacra, quae manibus noctesque diesque revolvit,
Esset ei praeter biblia dulce nihil.
Scita IOVAE tenuit sanctasque volumine legis
Et quae fatidici cuncta dedere senes.
25 Aut bene praeterea quodquod gens aemula vatum
Arte sua felix enucleasset opus.
Is veneranda patrum vestigia nempe secutus,
Foetibus ingenuis est imitatus avos.
Pinxit enim bibulam calamoque sequace papyrus
30 Ordine literulas iussit habere pias.
Huc age corda iuvant quemcunque recocta bilance,
Ut trutinas iusta singula facta gerat.
Hinc pietas casus veniet spectata per omnes,
Surget et hinc morum nobile cuique decus.
35 Ut bonus et prudens fias, quid compita lustras?
Est virtus raris invenienda locis.

36 invenienda Sir. in venienda

Ex tenebris puras quae te via ducat in auras
Hic tibi nos etiam fila sequenda damus.

Elegia III

5

De sapientia

Ipse Deus cordis fons et sapientis origo est,
Pullulat aethereis Spiritus ille locis.
Solus enim toto Dominus cum providus aeo
Sit, quis eum praeter tam bene mente sapit?
5 Adsit is aequoreas recitet qui certus arenas,
Et pluviae guttas qui numerare queat.
Qui prius in rerum speciem quam cuncta venirent,
Noverit aetatem lunaque solque tuam.
Qui spacium vasti mihi praedixisset Olympi,
10 Nondum humeris coelum cum tenuisset Atlas.
Qui foret hos mundi tractus terrasque iacentes
Pertica et hoc triplex ordine mensus opus.
Qui serie longa lini maris antra profundi
Presserit annexo pondere ad usque basin.
15 Quique Deum dictis opera ad meliora vocasset,
Ut fierent aliis illa vel illa modis.
Principio DEUS est sine mens et originis expers,
Cuius habent homines numine quicquid habent.
Dogmata coelestis bene nosse salubria vitae,
20 Particulam superae mentis habere solet.
Aurea cui dulces dant iura Tonantis habenas,
Huic Deus ex vivo fonte ministrat aquas.
Ergo nec in numero tu quem sapiente reponas,
Sit, nisi mens illi desuper orta viro.
25 Hoc duce non dubites oculos tibi quaerere plures,
Omnia prudenti cum ratione geras.
Est opifex rerum, coeli terraeque repertor,
Cuius ad imperium cuncta creata tremunt.
Qui residens alti super aurea moenia coeli
30 Augusti titulos et Sabaothis habet.
Unicus is memor et secreti praescius heros,
Cui voluit rerum conscia corda dedit.

21 dant iura Sir. dantiura

tit. De sapientia — Eccli. 1, 1—40

Vivax ille Deus, Deus ille antiquior aevo
 Disposuit nutu singula facta suo.
 35 Ante videns res est omnes dimensus ad unguem,
 Protinus et certas iussit habere vices.
 Pro bonitate genus mortale sed inde beavit,
 Esset ut haud fallax quisquis imago Dei.
 Sensibus insuper hos posthac illustribus auget,
 40 Qui sua non dubitant iussa verenda sequi.
 Dulcia mente Dei sacra volvere, numen amare,
 Est sapere et vera cum ratione venire.
 Haec pius et prudens prae fulvo suspicit auro,
 Et putat in mundo dulcius esse nihil.
 45 Nemo vir est sapiens vere, quam sorte maligna
 Qui stabili fixus non timet esse loco.
 Quippe nec in rebus prudentia deserit arctis,
 Sed miseris tandem clara trophaea parit.
 Semine de sapiente sati tolluntur in altum,
 50 Si modo virtutem quaerat amore genus.
 Longa trahet secum ratio pia tempora vitae,
 Cauta petens animus fata secunda petit.
 Ingenium felix magni comitantur honores,
 Quae datur ingeniis gloria vera datur.
 55 Robur alit, sorti nec virtus ardua cedit,
 Eventus caetae res habuere bonos.
 Qui patulas cocto bene cordi praebuit aures,
 Postmodo non paucis doctor is esse potest.
 Quisquis in hac fixo pede se statione locavit,
 60 Tranquillos vitae sentiet usque dies.
 Fallaci quondam qui non fuit ore repertus,
 Hac poterit sospes commoditate frui.
 Ille suos etiam cernit florere nepotes,
 Participes tanti tempus in omne boni.
 65 At si difficiles aditus in fronte minetur,
 Et veniat vultus horrida tota dea,
 Non est: des ideo tua terga locove recedas,
 Quae mala iam sors est experire bonam.
 Scilicet explorat quae mens tibi nam sit in arctis,
 70 Parte minus laeta turba caduca sumus.
 Nectareis succos succis ea miscet amarus,
 Cernitur adversis quae bene firma fides.
 Sed sequitur fructus pietatem et praemia mentem,

Felix in duris qui remanere potest.
 75 Tunc virtus casus fuerit tua nota per omnes,
 In planum rursus te revocabit iter.
 Seque suasque tibi res omnes prodiga credent
 Pectora, mens etiam stabit aperta tibi.
 Capta secunda dabit, curaque tuebitur omni,
 80 Ne qua tuis noceant saeva pericla vadis.
 Non autem referet placidos offensio currus,
 Tristibus inconstans vita perire solet.
 Macte novis et adhuc sapientes integer annis,
 Plus oculis frenos accipe care meis.
 85 Sic tua rhinoceros meta praecordia firmes,
 Sic aliis quondam providus esse velis.
 Ut metat ac dulces referat cum foenere fructus,
 Sparsa per inversam semina condite humum.
 Dumque colonus agris flavas expectat aristas,
 90 Saepe tulit pluvias, frigora saepe tulit.
 Perfer et adversis patiens ceu robur inhaere,
 Si male nunc olim non quoque fiet idem.
 Vix ubi principium sors flebile sumit acerba,
 Orta malis capies gaudia mille tuis.
 95 Fructus erit iam iam iustissimus inde laborum,
 Dat merito tenui praemia magna Deus.
 Terga dat ingenuis male concio sana magistris,
 Nec duro molles accipit ore lupos.
 Neu perversa cohors prudentes audit habenas,
 100 Ast, ut equus sternax, excutit omne iugum.
 Lydius attritum non sic lapis excipit aurum,
 A lapide ut victum se fateatur idem.
 Se fatuus flecti negat et monitoribus obstat,
 Fortem et fictorem se prius esse putat.
 105 Tam ventosa placet sibi tantum gloria, tales
 Cum tamen interea cor[que] animumque voret.
 Huc age, cuius ego patris instar amore tenebor,
 Dulcia si fuerint haec documenta tibi.
 Consilio faveas, et habenas promptus ad istas
 110 Ardua praeceptis colla domanda sinas.
 Teque gubernari non aspernare magistro,
 Ingenuas illo dante tenebis opes.
 Has gremio occurrens geminis has excipe palmis,

97 sana *Sfr.* ana

101 Lydius lapis — cf. Eccli. 6, 22; Plin. Hist. Nat. XXXIII, 43

Quodque semel coepit pes bene carpat iter.
 115 Nec tibi per volucres veniunt ea commoda ventos,
 Cui nisi certanti bella corona datur?
 Quaerere non grave sit, decus est defendere parta,
 Qui sapit, ingenium numinis instar habet.
 Dat mora saepe brevis pro sorte tonante salutem,
 120 Gaudia moestitiam pone secuta forent.
 Vidi ego qui dura religatus compede, tandem
 Ferret honorato dulcia quaeque loco.
 Vidi caeruleae premerent quae colla cathenae
 Deposito aere aureis vestibus illa tegi.
 125 Vel diadema tulit villa de paupere natus,
 Induit ac humiles purpura docta viros.
 Certe aliquando fidem faciet lux inclyta dictis,
 Splendidus ut titulos experiare novos.
 Cara mihi soboles, cape quae praesentia, laudis
 130 Sunt seges, aeternos doctaque corda parant.
 Sensibus haec imis et in ipso pectore ponas,
 Ne frustra doceam, dem sine fruge sonos.
 Arripe, namque vides capiendi quanta facultas,
 In decus et laudes copia quanta vides.
 135 Aurea salvifici pro nectare dogmata verbi
 Ambrosiaequae loco sacra statuta cole.
 Est etiam facies rationem certa parandi,
 Ferre viro gressus cum sapiente suos.
 Ergo latus lateri iungas, ac tecta frequenter
 140 Quae cerebro sano non caruere subi.
 Sive dies fuerit, seu nox obscura, requiras
 Ipse Deus quo te gaudeat esse loco.
 Semper inoblito teneas hanc pectore curam,
 Ut facias Domini iussa verenda tui.
 145 Robur is arcanum dabit et plus aethere sensus,
 Ut tua salsa probe munera corda gerant.
 O quoties felix, qui coelica fata professus
 Voce canit vulgo fasque piumque rudi.
 Mysta vel antistes, qui Christi servat ovile
 150 Coelestique suas germine pascit oves.
 Ut subeat magno, par est, ardore labores,
 Ut bene pro rostris dicere nota queat.
 Usque moram nectas ita tu, partumque tueri
 Non modo, sed partis addere plura velis.
 155 Et quae culturam praebent loca saepe peragres,
 Mens perdit vires desidiosa suas.

Poneque dicentem furtim velut umbra sequaris,
 Fronte pilos gestat, post ea caeca Dea est.
 Si latet in tectis et vocibus utitur intus,
 160 Des operam capias aure patente sonos.
 Aut caput immittas per apertas forte fenestras,
 Aut stes de dictis pendulus ante fores.
 Contiguas habites aedes, tentoria figas
 Hic, ubi stat paries illius atque domus,
 165 Participes fient huius tua pignora nati,
 Perfugium quod eis dulce et asylon erit.
 O quam praesidio sub tali vivere dulce est,
 O mihi contingant talia tecta diu.
 Hic statio tamen est nulli qui numina ridet,
 170 Numina qui ridet, protinus exul aget.
 Qui pius in fanis versatur, et astra fatigat
 Accersens precibus pectus in acre Deum,
 Is feret aetherea sapiens cor ab arce profectum,
 Ut nisi quod fas est providus ante gerat.
 175 Pandet in occursum illi sapientia palmas,
 Et natum amplexu claudet amica suum.
 Hoc pia cum soboli dulces dant oscula matres,
 Hoc nova quae thalamos sponsa subintrat, agit.
 Inde boni gnaram Cererem fontesque sagaces
 180 Illius egregio proferet ille penu.
 Iamque novae subito venient in corpora vires,
 Ut peragant partes singula membra suas.
 Discat et is Domino quavis confidere sorte,
 Inceptum quondam ne pudefiat opus.
 185 Prae sociis apices at honorum ascendet in altos,
 Ut queat in medio verba diserta loqui.
 Officiis clarus laudum decora ampla tenebit,
 Magnificas cinget pulcra corona comas.
 Nomen ad astra feret, cum corpus mole sepulcri
 190 Sub gelida positum labile forte cadet.
 Non ita qui tenebris palpant ut lumine cassi
 Asseret a Stygiis corpora numen aquis.
 Nil quoque tale sibi promittat labe volutus
 Grex, qui pro nihilo ducit honesta sibi.
 195 Exulat hinc etiam damnosa superbia fastu,
 Hinc abeat, quisquis subdola verba dedit.
 Impia lingua sonos sine fruge profundit in auras,
 Scilicet a Domino est utile posse loqui.
 Vox habeat numen doctrix, ut fundat ab ore

200 Quae sunt proferri iudice digna Deo.
 Non est axe tegas errorem et numina culpes,
 Quod sonat os populis verba nefanda tuum.
 An latet, in mundo quid mens coelestis abhorret?
 Scis bene, quae placeant displiceantque polo.
 205 Non par hoc dicas: me duxit in avia mundi
 Rector, et in casus praevis ipse fuit.
 Ah cur haec animo probra volvis et ora resolvis
 In Dominum, cuius pectora labe vacant.
 An Dominus nostros quoque flectit in impia sensus,
 210 Ficta cupit nobis an simulacra coli?
 Una modo si te pietatis mica teneret,
 Grande nefas dictis spargere tale putes.
 Asper habe vocis rationem et respice ad ortus,
 Nos homines finxit qua ratione Deus.
 215 Libera ceu mens est, ita libertate beavit,
 Quod mentis partem iussit habere genus.
 Est via, quae meritum te fulgida ducat ad astra,
 Est via sulphureas quae tibi monstret aquas.
 Elige quam curras, bivio stat meta sub isto,
 220 I pete vel mortem, vel tibi quaere necem.
 Sunt elementa duo, quae pro ratione prebendas,
 Humor aquae fluidus cunctaque flamma vorans.
 Stat decus aeternum te coram, stant quoque busta,
 Vel decus aeternum, vel tibi busta cape.
 225 Res immensa Dei sapientia, facta stupenda
 Cuius nemo solo sat recitare potest.
 Corda hominum renesque probat, videt omnia vindex,
 Hosque colunt animo, qui pia facta levat.
 Gesta palam veluti cernit, sic gesta sub umbris,
 230 Qualicunque etiam picta colore, notat.
 Coelitus, in furias ut eat, quis quaeso iubetur,
 Cui Deus in vitium iussa severa dedit?
 Ipsa suos passim Sapientia iactat honores,
 Nec pudor est coram dicere vera grege.
 235 Quae sic non dubitat vulgo quoque voce fateri,
 Qua tenet augustum concio tota locum.
 Illa ego sum, referens, dio quam perculit aestro.
 Orbe statuta dedit qui veneranda Deus.
 Pandaque totius discurro per aëra mundi,
 240 Sic equitant nubes et per inane volant.
 Remque laremque modo supera statione repono,
 Lustrum modo currus lunaque solque tuos.

Sola pererro vias ego quicquid ubique locorum est,
 Qua patet aetherei gressibus orbis iter.
 245 Quaque suis tellus victus cultoribus affert,
 Et viridis gregibus pabula praebet humus.
 Hinc adeo metas penetroque magistra per omnes,
 Aspicio vasti grandia monstra maris.
 Illinc ad populos et gentes ordine cunctas
 250 Terrarum dominos et rude vulgus eo.
 Ut statio mihi certa foret certique penates,
 Omnia iam passim per loca blanda fui.
 Non tamen ambitio fructu caret illa, benignus
 Me rerum atque meus coepit amare faber.
 255 Me pius hospitio, complexus amore locavit,
 Et prius Hebraeos iussit adire lares.
 Sic Deus! in media maneat iam stirpe Jacobi,
 Mancipium volo sit gens Idumaea tuum.
 Sic ego: nata mea est a te pietatis imago,
 260 Tunc ubi nil rerum terra polusque daret.
 Interitus expers aevum durabo per omne,
 Quae me non videat, nulla futura dies.
 Ante steti praesto tentoria sancta Jehovae,
 Et gessi famulas fida ministra vices.
 265 Praemia pro meritis capio, quod in alma Sionis
 Moenia tam sanctos cerno recepta domos.
 Sed magis est, dominam quod ego regina per urbem
 Iam Solymae teneo sceptrata verenda gregi.
 Gratulor ipsa mihi, quod et agmina iusta, peculi
 270 More Deo quae sunt sede favente rego.
 Hic me radices transire iuvabit in altas,
 Hic ubi sunt animis omnia pulcra meis.
 En quam sublimes fundunt ea brachia ramos,
 Alta comis altus sydera tangit apex.
 275 Semper habens frondes Lybani sic cedrus odoro
 Omnibus optandas vertice laxat opes.
 Hoc est Sionio cyparissus culmine nata
 Ad Boreae spectans pallida fronde plagas.
 Aemula palmiferae sto florens arboris, altis
 280 Quae vitreas foliis semper opacat aquas.
 Me Jericho faecunda rosis non vincit amoenis,

265 in alma Sionis — cf. Eccli. 24, 15

268 Iam Solymae teneo sceptrata — Eccli. 24, 15

275 Lybani sic cedrus — cf. Eccli. 24, 17

281 Me Jericho faecunda rosis — cf. Eccli. 24, 18

Nec superat fructus dulcis oliva meos.
 Aereas imitor platanos, quae flumina propter
 Praebent alituum castra sonora choris.
 285 Praebeat fragrantis adapertis naribus auras,
 Ut quoque vix oleant cinnama fracta magis.
 Hoc lacrymata facit pingui de cortice myrra,
 Hoc faciunt Syrio galbana nata solo.
 Hoc incensus onyx famulantibus aede theatris
 290 Est, quando flammis mascula thura cremat.
 Non umbrosa Jovis spatii plus occupat arbor,
 Frondibus ut multam forte perreret humum.
 Laeta comis virides extendo per aëra ramos,
 Ex me iucundus protinus halat odor.
 295 Non aliter dulces defendit pampinus uvas,
 Cum latices anno nobiliore tulit.
 Quem peperit mater non flos fuit ille caducus,
 Semper honorificas sustinet arbor opes.
 Huc age, quem species capit haec mea plena favoris,
 300 Huc age, quem noster captat et aptat amor.
 Nobilis innumeras mea continet area fruges,
 Exple quaeso tuam dente minace famem.
 Aëra quando seco dictis redolentibus hyblam,
 Non dubites nostris sumere mella favis.
 305 Loton edet, mea quisquis edet, neque fercula spernet,
 Ob nostros capiet nausea nulla cibos.
 Quo plus me biberis, tanto magis acris anhelum
 Urgebit, sumas pocula nostra, sitis.
 Arx mihi parenti et sum propugnatio famae,
 310 Meque colens nemo sustinet esse reus.
 Nomen inane cui non sum, sed numen, is aevum
 Vivet, et aeternos cernit in axe dies.
 Si nescis, haec sunt, quae dulce volumina laudum
 Coelitus hinc omni tempore foedus erunt.
 315 Ista dedit Mosi magni regnator Olympi,
 Quae pro lege Iacob iussit habere domum.
 Hinc mentis fons est, hinc et rationis origo,
 Profluit hinc, quisquis cor animosque gerit.
 Urbibus hinc multis sapientia flumina manant,
 320 Utiliter quorum corda rigantur aqua.
 Auriferis Ganges undis ita volvit arenas,

285 Praebeat fragrantis . . . naribus auras — cf. Eccli. 24, 20—21

315 Ista dedit Mosi — cf. Eccli. 24, 33

316 pro lege Iacob iussit — cf. Eccli. 24, 33

Quando per immensos dispatiaturo agros.
 Sicut Achaemenius Tigris rapidissimus exit,
 Cum solvit rigidas vere tepente nives.
 325 Aut velut Euphrates germanus Tigridis ortu
 Emissio velox agmine rura caepit.
 Vel Syriae fluvius geminis de fontibus ortus,
 Cum volvit riguas tempore messis aquas.
 Flumine ceu Phariis Nilus quoque stagnat in oris,
 330 Pleias autumnio cum facit orta metus.
 Haud aliter commune penu sapientia vitae
 Innumeris aperit flumina multa viris.
 Cuncta patent, oritur quando lux publica mundi,
 Nil vetat ex illa lumen habere face.
 335 Nemo fuit, nemo nunc est, est nemo futurus,
 Illius immensas qui numeraret opes.
 Non divae virtus est percrutabilis ulli,
 Aequat enim superos provida mente Deos.
 Fluctibus innumeras ut volvant aequora guttas,
 340 Non tamen est vasti copia tanta maris.
 Illius ut sensus aequet cordisque profunda,
 Usque adeo immensis est ea abyssus aquis.
 In virides ex me quam plurimus exilit hortos
 Rivulus, ut foetu plena rigetur humus.
 345 Diffugio, crepito, salio per mollia prata,
 Dulce parit risus tramite murmur agris.
 Fons donec multus vastum concurrat in aequor,
 Fiant Neptuno mox nova regna suo.
 Ut nequeas oculis latos transcendere campos
 350 Sicco luminibus deficiente loco.
 Namque rudimentis terrarum transeo fines,
 Quolibet et virtus nostra sub axe patet.
 Qua sol iungit equos, qua sol dimittit habenas,
 Utiliter mea se dant documenta viris.
 355 Non mihi vatidicos teneo, sed vulgo labores,
 Servio per varios fida ministra locos.
 I nunc, meque nega, communi ferre salutem
 Commoda, privatus vel mihi rere labor.
 Quod paro, morte caret: factum indelebile nostrum est,
 360 Aethere mens vivat, caetera cura nihil.
 Exhilarant animos cum vino musica nostros,
 Docta sed afficiunt plus tamen ora viri.
 Cum iuvenile decus viridi mihi staret in aevo,
 Flore suo species pulcra niteret adhuc.

365 Patre satum claro ne me malus error haberet,
 Est prece nostra suum mens venerata Deum.
 Ut saperem, medio fani sub fornice palmas
 Ad dominum geminas supplice voce tuli.
 Et quamvis tunc me rex alti audivit Olympi,
 370 Elysium votis usque onerabo polum.
 Dum mea falce sua non rumpet stamina Parca,
 Sit mihi laetitiae summa caputque Dea.
 Qui volet, ad vites maturis gaudeat uvis,
 Plus animus prudens me sed in orbe iuuet.
 375 Illa mihi statio est imberbi semper ab aevo,
 Ac tenuit cursu res quoque nulla meos.
 Auribus illius patulis devote pependi,
 Et vigil ad fantem corde favente fui.
 Res mihi successit pro voto et pectore virtus
 380 Egregio mentis contigit esse meo.
 Ergo Deo grates dare pro ratione paravi,
 Quod foret is tanti maxima causa boni.
 Hinc mea firmari ne corda nefanda pararent
 Ausa, sed in medio commoda mille darem.
 385 Nec me frustrata est spes, nec deduxit ab ausis,
 Obtinui solidum cum pietate decus.
 Mens fuit hic tantum vigiles intendere curas,
 Sed pia non fecit vota caduca Deus.
 Dumque manus duplices reverenter ad astra levarem,
 390 Spiritus est auctus viribus ipse suis.
 Mox didici humanos demta caligine casus,
 Heu homo quam verae nil rationis habet.
 Anchora iam divam, veluti bene iacta tenebam,
 Ut fierent unum, pectora bina prius.
 395 At primis Dominum mea mens dilexit ab annis,
 Ergo mihi semper fata benigna dedit.
 Cum se difficilem praeberet, corde dolorem
 Sensi, me donec non relevaret ope.
 Gaudia concepi sed quanta beatus amice,
 400 Tunc ubi sum nihil hac laetius esse ratus.
 Vox igitur Dominum cecinit renovata datorem
 Tantarum, cum sit carmine dignus, opum.
 Vos, quibus est cor adhuc rude, ferte his vocibus aures,
 Praeceptor vobis atque magister ero.
 405 Vos etiam, credo, nimium sitis ignea vexat,
 Et labor est ingens discere nota parum.
 Namque loco sapiens hoc, ut loquar, ora resolvo,
 Vos dictis mentes his adhibete pias.

410 Qui poliant animos sermones discite gratis,
Felix, qui gratis res habuisse potest.
Illius in frenos non segnes ite sagaces,
Qualia pro magnis cunque tulisse iuvat.
Sed properate, sinunt dum res, cito tempora currunt,
Ut sapias, tenero discere flore decet.
415 Ipse brevi noster didicit quam plurima sudor,
Namque gravis, suavis fit pietate, labor.
Ut fulvas mirentur opes, quibus aurea cordi
Pondera, vos capiant dulcia sacra magis.

Elegia IV

6

De timore Dei

Legibus ex Domini sapientia quaeritur omnis,
Esse pium factis est rationis opus.
Integer et vita meliora statuta Jehovae
Qui sequitur, prudens iure vocandus erit.
5 Alma Fides et quae gaudet patientia duris
Sunt res, aeterno quae placuere Deo.
Mens Dominum reverens agitabit gaudia corde,
Et capiet laetos tempus in omne dies.
Quin etiam tandem benedictio larga sequetur,
10 Ex pleno cornu munera mille feret.
Res perhonestam Deum timuisse, corona timenti
Rebus in afflictis cinget honora caput.
In Dominum ratio celebri veneranda pavore,
Nobilis ut radix, pullulat omne bonum.
15 Cuius in aeternum florebit ab arbore ramus,
Perpetuasque geret fronde virente comas.
Una super spes est, quae te soletur in arctis,
Quod supplex Domini iussa pavere velis.
Ira viro Domini metus est sapientiae origo,
20 Quae virtute modo credula corda beat.
Foemineum pietate genus statio ista moratur,
Si modo foemineum cor veneranda gerit.
Non sua mens velis alibi tentoria figit,
Sicubi quam cernit fasque fidemque coli.
25 Plus formido Deum capiet, quam thuris honores

tit. De timore Dei — Eccli. 1, 11—40

Qui dat, et aeternum facta nefanda patrat.
 Corda timore Dei generantur inertia factis
 Turpibus, et veniunt gaudia longa metu.
 Prosper erit pia fata stupens in rebus acerbis,
 30 Prosper et in medio turbine laetus aget.
 Haec locuplete penu latices depromit et affert,
 Larga domo dat opes, munera larga tholo.
 In scelus ire vetat, crudelibus eripit ausis,
 Iam perit curru qui petulante volat.
 35 Vir sapiens animum minime dimittit egenis,
 Et quamvis taceat, desinit esse miser.
 Donec res humiles ope prona provehat aether,
 Donec eum clara vox pia laude vehat.
 Des operam ne dona feras fucata litesve
 40 Corde Deo ficto, vel simulanter agas.
 Des operam ne falsa crees, neu nubila vulgus
 Ante geras caecum compositosve dolos.
 Lance fer aequali quae sunt peragenda, repulsam
 Ne referas turpem lusus ab arte tua.
 45 Interitusque tuos legio circumflua risu
 Ne videat, factum cum ferat aura scelus.
 Nec nimis attolli cupias graviore ruina,
 Ne miser ex alto praecipitere loco.
 Fas nihil humanis est quenquam fidere rebus,
 50 Si nescis puro corde pavere Deum.
 Vos quibus est animo melior sententia recto,
 Vos et vestra magis credite cuncta Deo.
 Quippe suam firmus bene qui spem ponit in illo,
 Eccquid in afflictis ille perire potest?
 55 Vos etiam Dominus quibus est metus acer ab isto,
 Poscite res pede sed non abeunte bonas.
 Vos doceant veterum quoque nunc exempla virorum,
 Nullus ab hoc pendens pulsus abivit hero.
 Qui spes ac operas in eo posuere relictis,
 60 Irrita spes nullis, res rata, firma fuit.
 Da quem voce truci repulisset, et ore minaci
 A se reiiciens non retulisset opem.
 In miseris dextram dat, et ipsa labe remota
 Prosequitur venia non remorante reos.
 65 Quos pavor ob Dominum tenet, haud errore tenentur,
 Ne verbo ipsius dent habeantque fidem.
 Fisis in arbitrio superi spes obtinet omnes,
 Praescriptasque pavet non tenuisse vias.
 Quos pius ardor habet cultu, et qui numen honorant,

70 In lege ipsius rursum ut amentur eunt.
 Pectore propter herum magna formidine ducti
 Inclyta submisso poplite sceptrata colunt.
 Nonne Dei, referunt, foeda nos labe volutos
 Hic satius duras est cecidisse manus.
 75 Forte trucis gladio, quam succubuisse tyranni,
 Unde salus miseris nulla venire solet.
 Tanta Dei cum sit miseratio, quantus et ipse,
 Malumus in bilem strage venire Dei.
 Fastus et ira suos non sumunt coelitus ortus,
 80 Ut Dominus pius est, sic pia corda probat.
 Laus et honor comites sacra coelica semper amanti,
 Lege rudis supera damna pudore feret.
 Deponunt animos sua qui bene rostra gubernant,
 Et faciles motus rex pius omnis habet.
 85 Non premat imbelles veneranda potentia coetus,
 Sorsque suo maneat magna minorque gradu.
 Corde Deum coluisse pio bona et unica laus est,
 Ex meritis hominum gloria vana venit.
 Laude duces magna tolluntur in orbe potentes,
 90 Maior ei, cultor qui pietatis, honos.
 Non ratione sua regitur sine crimine vivens,
 Integer et vitae pectora recta fovet.
 Quattuor et sunt quinque meo res ore canenda,
 Et sua iam decimam lausque decusque manet.
 95 Pignora nata toro res caro laeta parenti:
 Interitus hostis posse videre sui.
 Cui sociam vitae prudentem fata dederunt:
 Ore suo nulli noxia damna ferens.
 Esse sub indignis quem non sors ardua cogit:
 100 Felix, cui misero rebus amicus adest.
 Iamque beatus et is ratio cui pectore summa,
 Qui iusto dictis tempore grata sonet.
 O supra laudes positus bene providus omnes:
 Omnibus his maior, qui stupet ora Dei.
 105 Vincit enim pia fata timens et pectore et ore,
 Quicquid habet coelum, quicquid et orbis habet.
 Non a lege fugit, non aspera frena rebellis
 Excutit, et posito dat sua colla iugo.
 Tangit acu verbi coelestia donaprehendens,
 110 Hinc veluti rutilans fax pietate micat.
 In tenues animam deiectus casibus auras

109 Tangit acu — cf. Plaut. Rud. 1205

Non dabit in fatum, quem timor altus agit.
 Ille sacro firmat dubiis hoc omine mentem,
 Rursus ab Elysia quod venit arce salus.
 115 Aurum et opes animos generant, plus fata timore
 Qui colit, is nullo tempore egenus erit.
 Mente Deum repetens generosi est aemulus horti,
 Qui ferat immensas tempore veris opes.
 Ah soboles animae dulces date plura secundis,
 120 O pueri gelido corda timore Deo.
 Nil homo faxit ei, nil corda pavore fatiget,
 Qui Dominum facie sortis utraque pavet.
 Firmus in hoc se spesque locat nihil arma stupescens
 Pallet ad hostiles corde tremente minas.
 125 Hos oculis placide facilis Deus aspicit alto,
 Qui sacra supremi iura tonantis amant.
 Fortis is est clypeus, bona propugnatio contra
 Hostis ab infesto quod iacit ore faces.
 Sol medio radiis cum coelo fervet, hiatu
 130 Ne pia turba ruat, prospicit ille casa.
 A quo laeta datur mens et pia gaudia vultu,
 Sanas in sana carne dat ipse vices.
 Me quoque scilcet [!] adhuc cum devius error haberet,
 Quam rudis indocto pectore doctor eram.
 135 Tunc mea notitia vidisses ilia rumpi,
 Cum mihi lingua fere nex truculenta foret.
 Ex tantis me summa malis bonitate redemit
 Gratia sat meritis non soluenda Dei.
 Iam sapio videoque pios meliore teneri
 140 Mente, quibus spes est non abolenda Deus.

Elegia V

7

De fiducia in Deum

Fixa Deo rebus fiducia credat agendis,
 Iussa modo res est hoc veneranda sequi.
 Vox illi spes ac res est sacrosancta tonantis,
 Cui sua de superis pendet amica salus.
 5 Omnis in omnipotente Dei cui credula mens est
 Semper in optato tempore laetus aget.
 Namque domus ferri quam firma repagula servant,
 Nec Borea nimium flante perire potest.

10 Quis calor est animi Domino se credere totos,
Quando movere viros ulla procella valet.
Aegra duae pariunt mihi res ac tertia bilem,
Marte vel arte potens cum vir in orbe iacet.
Cor sapiens lusus cum fit nec sentit honores,
15 Ipsius et meritis gratia nulla datur.
Cumque fide miseris rebus sese exiit alma
Credulus ante, ferens in nova sacra pedes.
Hos infelices bis acutus perculit ensis,
Ad Stygias abeant post sua fata domos.

Elegia VI

8

De verbo divino

Impia pars hominum veneranda Jehovahae
Pestis et horrendi funeris instar habet.
Quae sibi vir sapiens ducit pro munere magno,
Quae veniente die, quae fugiente legit.
5 Illa Dei vultus ratio sit recta colendi,
Aeternum vera numen amare fide.
Ille Dei verbum studio sectatur et audit,
Illa suis coeptis mitia fata gerit.
Non ita quae simulant perfusaque pectora fuco:
10 Exitium capiti nam sibi turpe parant.
Dulcia sacra Dei sapiens velut anchora prendit,
Sed simulator agit, quod ratis acta noto.
Quem mens sana tenet, non tardus fana frequentat,
Divinos facilis percipit aure sonos.
15 Falsa nihil de mente Dei sit opinio nobis,
Sacra tene Domini, pectore salvus eris.

Elegia VII

9

De operibus divinis

Nate, fer huc aures, cape dicta salubria vitae,
Salvificumque tuae disce salutis opus.
Me doctore vias nosces, quibus extat Olympi
Aurea stelliferi post adeunda domus.
5 Principio rerum bene conditor omnia finxit,

Omnibus et partes officiumque dedit.
 Nec fato manibus iam cessant cardine sanctis,
 Uno opera illarum cuncta tenore vigent.
 Invidia sine semper agunt quae credita quondam
 10 Muneris expediunt officiosa sui.
 Lumina per terras pater huc deflexit et illuc,
 Et virtus passim mox fuit orta Dei.
 Implevitque suis latum cultoribus orbem,
 Sunt nova per vastum monstra vagata solum.
 15 Inde rubra terrae massa spectantia pronum
 Fecit, et in matrem iussit abire suam.
 Hic duplex hominis genus una carne paratum,
 Mente fere Domino foemina virque pares.
 His dedit imperium, claris et honoribus auxit,
 20 Sceptra solo gererent, ut quoque sceptra salo.
 Omnia quis viridis parent animalia campi,
 Flumina qui tranant, alituumque chori.
 Quos ratio ac oratio, mens, ars, sensa bearunt,
 Cognitioque boni, cognitioque mali.
 25 Caetera cum teneant animantia talia nunquam,
 Ast hominum imperio colla domata ferant.
 Ut canerent illi praeconia digna parenti,
 Et ferrent superum laudis honore Deum.
 Hinc vitae leges Deus his aeternaque sanxit
 30 Foedera, quae puram dent capiantque fidem.
 Illius hauserunt auditi verba stupenda,
 Et poterant oculis ora videre Dei.
 Ad quos ille: nefas fugiat mens vestra, nec extra
 Praescriptas alio corpora ferte vias.
 35 Ex alto nostras res atque opera omnia lustrat,
 Nam quid in hoc non is cerneret orbe Deus?
 Constituit rerum dominos terraeque potentes,
 Solus at Israel rex moderatur opes.
 Quaeque duces peragant oculo vigilante pererrat,
 40 Et cum sole suam lustrat utramque domum.
 Luce vaga cernit quaecunque gerantur in orbe,
 Sive dolos aliis, commoda sive parent.
 Annulus ut gemmam, sic ille tuetur amicos,
 Pupula quodque oculis hoc benefacta viri.
 45 Nec mora longa aevi, cum surget ab axe daturus
 Praemia grata bonis, praemia dura malis.
 Sed quos luctus habet venia dignatur et audit,

Et gemitu fessis ne tumulentur adest.
 Os aliis liniens, fortis de more caballi
 50 Convocat hinnitu palpo sonante gregem.
 Sic: opifex rerum lucem plus aestimet unam,
 Nonne per alternas sol redit ipse vias?
 Quid ni? Sic placuit distinguere festa per annos,
 Sic iussit famulas ire, redire dies.
 55 Una dies aliis praestat, lux luce iubetur
 Plus votis, precibus, religione coli.
 Nonne luto Domini manus alma creavit Adamum,
 Ex hoc nos trahimus nonne parente genus?
 At nos conditio quos vasto cernis in orbe,
 60 In varios homines dirimit una gradus.
 Hos ornat maior sapientia, dedecus illos,
 Nomine cum claro non sinit esse loco.
 Alter cognoscit causas, non tollitur alter,
 Hos premit atra, illos sors peramoena levat.
 65 More levi argilla fingentis terrea vasa
 Componit facili nos faber ille luto.
 Arbitrio gerit omne suo: sine lege potentis,
 Qui dominas partes cum lubet, unus agit.
 Hinc homo statque caditque, nec est, qui proferat illud,
 70 Cur opifex ita me, quod cupis, ipse paras?
 Sic male conveniet iustis res improba factis,
 Quam male sunt uno vitaeque morsque loco.
 Aut ita iungetur populo pia turba nefando,
 Sicut qui stipulis postera grana legit.
 75 Tardus ego tandem longo post tempore veni,
 Sicut qui stipulis postera grana legit.
 Dives at hinc posui quoque tot sub fornice vina,
 Quot quibus est vitis culta labore suo.
 Usque adeo Deus est largus pietatis amanti,
 80 Usque suis adeo remque laremque dabit.
 In nova fert animus praecepta resolvere linguam,
 Fertilis, ut lunae cornua plena, loquar.
 Huc ad me pueri, grex sanctior, ite frequentes,
 Crescite flumineas ceu rosa propter aquas.
 85 Ite cito, pinguis dulces date thuris honores,
 Ex vobis gignant lilia blanda decus.
 Laudibus alternis date iubila, psallite chordis,

48 fessis ne *Sir.* fessisne

87 psallite *Sir.* psallide

81 fert animus — Lucan. I, 67

Stringite vocalis plectra sonora lyrae.
 Est bonitas ingens Domini, parat omne labores,
 90 Eius ad imperium plasma citoque facit.
 Non video quis eum verbis castiget, et ausit
 Hos importuna mittere voce sonos.
 Nam quid agunt isto superi iam tempore? Numen
 Non hoc praeterito tempore fecit opus.
 95 Nos melius: Deus ille, Deus facit arbiter omne,
 Cui supplex quondam terra polusque fuit.
 Cui famulas tulit ipsa vices et paruit unda,
 Ut murus populi clausit utrimque latus.
 Cum genus Isacidum vinclis deduceret arctis,
 100 Haec eadem Aegypti mergeret unda ducem.
 Dulcia sunt, fieri quae mandat et aequa ministrans
 Hic miseris omni tempore dexter adest.
 Ipse pater supero de coelo opera omnia lustrat,
 Qui sensus hominum cordaque cuncta notat.
 105 Qua sol exoritur curru, quave occidit idem,
 Non eius vultus, res nova si qua, fugit.
 Voce nefas magnum committitur: huius ad usus
 Quis fuerit, cur hoc fit geriturque modo?
 Tu melius contra: res frustra est nulla creata,
 110 Dispereat tellus si qua prophana gerat.
 Larga Dei huc equitat benedictio flaminis instar
 Desuper in terras agmine fundit aquas.
 Rursus ubi punit gravis indignatio gentes,
 Hem vicina mari terra calore sitit.
 115 Quicquid agit, capit egregie de labe remotos,
 Impius at risus grex ea cuncta facit.
 Quanta bonis est utilitas, quod condidit ille,
 Tanta viris res est exitiosa malis.
 Aes, aqua, flamma, oleum, lac, mell, sal, vina, farina,
 120 Sunt hominum auxilio singula nata bono.
 Dotibus exitium parat his pars frigida iusto,
 Quam rerum caecam turpis abusus habet.
 Utiliter multis volitat nigrantibus alis,
 Idem fert aliis tristia damna notus.
 125 Exercet rabies ventorum saeva procellas,
 Sternit et in praeceps, dat sata laeta boum.
 In stabulis armenta necat cum murmure clausa,
 Fert, ferit et verrit, qua valet ire modo.
 Grando, fames, ignis, gladius, mors, bestia, serpens,
 130 Sunt hominum species exitiosa malis.
 In flammis ea iussa ruunt, quae prima capessunt,

Cor salit hic, famulas expediuntque vices.
 Ante quibus non est compressa licentia fine,
 Ni iam sint hostes legibus ulta suos.
 135 Illa fuere, chelys quae laudibus extulit ante,
 Quod proba sint magni singula iura Dei.
 Tempore quae certo commendat nobilis usus,
 Ne malus his etiam Zoilus esse queat.
 Ergo pio grates Domino iam dicite corde,
 140 Laudibus ergo novis tollite ad astra Deum.
 Solve Deo psalmos, mea mens edocta per eius
 Verba, recepta suo codice verba sacro.
 Facta Dei digitis operata fer ordine iusto,
 Gratus ego certa lege docebo rudes.
 145 Sol decus astrorum parit orbis et urbis honores,
 Purpureo laetos lumine vestit agros.
 Finge tibi centum linguas, vel mille solutas,
 Non Domini parilis facta stupenda canes.
 O quando sat erit Deus, o tua dicere facta,
 150 O tua quam virtus est mihi magna parens.
 Tu solus cordis penetralia cernis et ima,
 Tu bene mentem hominum scis taciteque notas.
 Tu ventura vides, monumentaque singula nosti,
 Sint casura vides quaque quibusque modis.
 155 In loca sacra tuos ducens oracula pandis,
 Hinc, ubi mens hominum non sapit, ille sapit.
 Mens aeterna Deus, sapiens et originis expers,
 Non eius ratio plusve minusve capit.
 O operum facies, genitor, peramoena tuorum
 160 Arguit, omnipotens quod regis omne Deus.
 Nostra licet ratio penitus non noverit illa,
 Omnia nec nostro conspicienda solo.
 Attamen illa suo sic usque tenore feruntur,
 Ut faciant Domini singula iussa sui.
 165 Sunt aliis alia auxiliis operasque ministrant,
 Perque vicem mira se bonitate levant.
 Unica non vana est species, sine pondere res est
 Nulla, et nulla sua fabrica fruge caret.
 Nos oculis miseri vix cernimus aemula puncti,
 170 O ubi cernemus, quot satis esse queat?
 Emicat ex toto divina potentia mundo,
 Quam blandae passim coelica templa nitent.
 Clara dies noctem iam praedicat, atra diem nox,
 Sol decus omne poli, sol decus omne soli.
 175 Exsiccat radiis, quae proxima et obvia coelo,

Cum media mundi se statione locat.
 Aestuat ignis edax rerum fornace calente,
 Plus calidus flammam si per inane iacit.
 Arguit haec series immensa quod illius est mens,
 180 Qui celeres fecit rite volare rotas.
 Nocte iubar tollens vaga Cynthia dirigit annos,
 Et vicem iam versa qua fuit orta redit.
 Cerne rotas coeli magnum per inane volutas,
 Quam pulcre mundo nocte silente micent.
 185 Quarum nulla loco poterit se tollere virtus,
 Donec eas genitor non iubet ire loco.
 Cerne coloratae bene curvos Iridis arcus,
 Voce refer: dignus: laude magister erit.
 Quod sua nimborum Thaumantias axe creatrix
 190 Tergora tam velox curvat in orbis opus.
 Lata cavo superum volvit se fornice sedes,
 Ipsa manus Domini tam grave gyrat onus.
 Grandine permistos devolvit ab aethere nimbos,
 Concretasque gelu turbine fundit aquas.
 195 Cristallique domus stat aperta per aëra magnum,
 Unde truci facies prosilit igne minax.
 Alituum de more volant et ut agmina nubes
 Eripiunt clarum mole tegente diem.
 Mox lapides coelo natos iaculantur ab alto
 200 Nubila, praecipiti concomitante salo.
 Ad data iussa ruunt et perflant turbine terras
 Contra austri boreas saevus ab axe notum.
 Ut volucres huc inde cadunt, aut impete magno
 Quando cicadarum contegit agmen agros.
 205 Miranda nivium iaciunt albedine plumas,
 Lumina quae lactis nostra colore tenent.
 Aut salis instar agris est passim nata pruina,
 Aut imitata gerit stiria longa sudem.
 Iam glacialis hyems gelida desaevit ab arcto,
 210 Vellere cum niveo flumina dura facit.
 Duraque iam lymphis vada dantibus induit arma,
 Hic ubi plaustra modo, qua ratis ibat, eunt.
 Tunc exuta iacent omni iuga montium honore,
 Vestibus et cassam frigus adurit humum.
 215 Arboribus frondes spoliantur, gramina campis,
 Nulla decus picti floris eremus habet.
 Vere novo redeunte fugat sol mitior aura,
 Quicquid alit tellus, flumina quicquid alunt.
 Si qua perusta calent et hiant face solis in agris

220 Haec noctu vires rore cibante gerunt.
 Voce maris domina conclusit finibus undas,
 Continet atque suum margina lympha salum.
 Monstravitque voret quo limite litoris oram,
 Ne pereat muris insula cincta suis.
 225 Cum redeunt naves, numerant ponti horrida monstra,
 At qui narrantis pendet ab ore stupet.
 Multa modis illic miris animalia sulcunt,
 Squamigeri pisces squamigeraeque ferae.
 Classibus hac iter est, hac mille pericula tentat,
 230 Propter opes longos qui Garamantas adit.
 Litoris ora mihi legitur, sistoque carinam,
 Non sat ego mirum laude celebros Deum.
 Desino, nam tanta pater est in luce locatus,
 Ut meritis nequeam digna referre suis.
 235 Altior est quam voce feratur ad alta canora,
 Ille super coelos et super astra sedet.
 Huc age quisquis aves Domini magnalia gratas,
 Qua potis est dictis inclyta facta loqui.
 Quae pia corda valent Domino super omnia magno,
 240 Dulcia fert cito carmina, fert lyram.
 Quicquid habent vires expromite, non tamen illi
 Laudibus imponent carmina nostra modum.
 Si quis eum vidit, tanto dabit aequa magistro,
 Si quis in axe fuit, sat celebrabit eum.
 245 Nos sed adhuc misero qui degimus orbe locati
 Laudibus, ut par est, ferre nequimus eum.
 Est oculis mora multa, videmus ab orbe remotum
 Nil praeter summi lumina clara poli.
 Tempus erit, nebulas has abstrahet arbiter aequi,
 250 Notitiam rerum cum dabit esse Deus.

Elegia VIII

10

De misericordia Dei

O immensa Dei miseratio corde dolentum
 Quae capit, et vanas non sinit esse preces.
 Orantem veniam Stygio deducit ab Orco,
 Ut super astra miser tollat honore caput.
 5 Massa quidem rudis est homo, res obnoxia fato,
 Hunc tamen auxilio non remorante iuvat.

Omnia mundi oculus sol lumina lumine vincit,
Sed manet interitus hunc quoque rite suos.
Non igitur caro nostra, nihil quae cogitat aequi,
10 Perpetua posthac sorte vigere solet.
Templa Deus coeli colit altae molis, ab arcto
Pulvis homo matrem lumine cernit humum.
Mens aeterna facit solida omnia et omnia firma,
Quam solam iusti laudat honoris apex.
15 Nemo opera illius vehet aequa laude canendo,
Carmine nemo satis mystica facta colet.
Nemo potens quem sit trutinabit lance, nec edos
In miseros animo quam patiente Deus.
Sponte favet, si quem fovet et pro numine versat
20 Nos homines, diva pro ratione potens.
Non ita se luteo generi res exerit aequa,
Quam gerit et medio coepta labore cadunt.
Subiacet imperio fati, miser, aeger, egenus,
Nil prodesse Deo, nil nocuisse potest.
25 Est aevo brevis et centum vix exerit annos,
Mitia si tot ei dant modo fata dies.
Ut si gutta freto sit demta nihil minor unda est,
Sic quid ad aeternos tempora pauca dies?
Scrupulus a vasta fuerit si motus arena,
30 Anne notabile mox inde foramen erit?
Sic annus, dico, si vivitur unus et alter,
Tempus id aeternum tunc vocare potes?
Temperat ergo pater fragilem pro munere sortem,
Est bonitatis in hanc corde favente memor.
35 Non ignorat homo lethi quod iure tenetur,
Ducere qui nequeat secula mille solo.
Hinc fusa pietate libens complectitur omnes,
Si modo non dubia mente petenda petant.
Blandus amor dextram vicino porrigit aequam,
40 Sed bonitas quosvis sublevat orbe Dei.
Corripit et letho mox eripit, edocet, ornat,
Ut gregi pastor, sic cavet ille suis.
His plenus veniae est, quos foedi poenitet ausi,
Et moniti posthac numina sancta colunt.
45 Non frater fratri misero se subtrahit aegris,
Attamen hac virtus fortior ipsa Dei est.
Qualis hiante solo terris est imber apertis,
Talis et in miseros gratia dia viros.

Elegia IX

11

Gratiarum actio pro Dei misericordia

Summe tibi rerum dignas rex accipe grates,
Et sine me numen iam celebrare tuum.
Me, Deus alme, rogo quod iusseris ire furenti,
Me dirum linguae quem retinebat onus.
5 Ex tot ego telis per te sum liber amare
Vocis, et hostiles nil valuere manus.
Pronus in auxilium rupisti vincula nexo,
Pro pietate Deus, pro bonitate Pater.
O celebranda satis nunquam tua gratia clemens,
10 O cuius virtus non habet ulla modum.
Dextra tua eripuit rabida de fauce leonum,
Quorum ego iam dudum praeda cruenta forem.
Quin per te gladio sua demta remotaque vis est,
Fluctibus ex mediis me tua dextra tulit.
15 Ex facibus multis circum mea corpora fixis,
Ne caro sub cineres iret adusta suos.
Ex Phlegetontis aquis et Averni tristibus undis,
Ne fierem Stygiis hospes et esca lupis.
Ex linguis etiam quibus est detractio curae,
20 Ne me corripent iudicis ante thronum.
Iam vicinus eram fato, penitusque sepulcri
Debebant sub humo frigida membra tegi.
Grata mihi durae rupissent stamina Parcae,
Rebus et infernis par quotacunque forem.
25 Fortiter hinc ac hinc vinctum me incluserat arctis
Innumeri laqueis densa corona mali.
Nullus opem, quamvis clamarem voce, ferebat,
A te sed solo venit amica salus.
Namque tuum postquam numen memor ante malorum
30 Sollicita querulus voce precarer opem.
Ecce iterum tuta tua me statione locavit
Gratia, quae facili suscipit aure preces.
Quae parit eventus laetos pro tristibus ausis,
Inque pios gentes non sinit esse feras.
35 Ante Deum pia vota dedi, facilemque rogavi,
Ne mea perpetuae traderet ora neci.
Aut ego mente pia Dominumque patremque poposci,
Ne mea sub timidis cymba nataret aquis.
Tunc ubi me pede calcaret grex ore superbus,

40 Solus is adverso tempore misit opem.
Nocte dieque tuum pater o, colo carmine nomen,
Promtus eo in laudes corde patente tuas.
Quod prece te frustra non sum nec voce secutus,
Voce colendus et hac tu prece semper eris.
45 Laeta Deo plausu date carmina, fundite laudes,
Pectora nam habeat rusticus ulla pudor.
Hoc iuvat, hoc fieri cupit, hoc vult tempus et aetas,
Felix, qui grata munera mente tulit.

Elegia X

12

De peccato

Patrantem mala nulla, dein mala nulla sequuntur,
Et merces felix pro pietate venit.
Qui sub nequitiae specie sua semina terrae
Mandat, ei turpis foenora reddet ager.
5 Post veniam rursus labi res verbere digna est,
Continuare suum, certa ruina, scelus.
Poena manens facti tandem fert limite gressum,
Sicut et ad praedam cum tenet antra leo.
Vix est venales quae fert oratio merces
10 Laudibus, ut turpi crimine pura vacet.
Ut loculos pascat, vendens per numina iurat,
Victaque sub libra fas pietasque iacent.
Compacto fixus ceu muro palus inhaeret,
Cum premit et premitur faceque iungit onus.
15 Quid vetat, ut simili dicam ratione gravari,
Quem nimium lucri sacra cupido tenet?
At nisi par merces aeri pietate ministret,
Hostibus illa suis est spolianda domus.
Quippe fenestrati est homo res opera aemula cribro,
20 Scoria semper ei cum sua grana iacit.
Exulat a pietate dolus, nec agenda modeste
Praecipites animos, corda sed aequa probant.
Mi Deus, ipse mei qui nosti pectoris aestus,
Cuius ego video tot bonitate dies.
25 A rabie pater assere, me pater assere foeda,
Lumina ne capiat spurca libido mea.

Cum gravibus pietate viris et laudis avitae,
 Sim comes, in castas sit via nostra domos.
 Cur devota tuus vacuus ieiunia venter
 30 Sentit, at in prisco mens manet una loco.
 Non ita te facili Deus accipit aure litantem,
 Pro pretio mors hoc, pro prece poena datur.
 Non aliter manibus qui foeda cadavera tangit,
 Et puras abiens fert sibi fontis aquas.
 35 Ad loca nota tamen redeunti haud profuit unda,
 Cum digitis iterum tangit, ut ante malum.
 Nil adigat voces quoque te prorumpere in istas,
 Nam quid et hic alto me videt axe Deus?
 Scilicet haec supero cura est, tot ut agmina linquat
 40 Propter me, et totum deserat orbe gregem.
 Aemula res ego sum puncti, sine nomine corpus,
 Non metuam, pars me quae tu[e]atur erit.
 Furcifer heus, nonne ille tuos quoque cerneret ausus
 Ad cuius nutum terra polusque tremit?
 45 Fulmina cum coelo iaculatur in igne corusco,
 Exiliunt montes, et cava busta stupent.
 Saepe colonus agros cum vomere scindit adunco,
 Obstupuit tactos inter aratra boves.
 Nulla mali quod signa polo venientis haberet,
 50 Sed iam non dubias cerneret axe faces.
 Haec inclusa tenens animo spectacula, coelo
 Non credit claros cum videt ire dies.
 Templata sedens Dominus mens est super ardua vindex,
 Cuius nemo prius facta futura notat.
 55 Ut neget hoc vera gens a pietate remota,
 Illa tamen gladios et sua tela parat.
 Est scelus omne velut bis acuta cuspide ferrum,
 Et quacunque ferit, nulla medela levat.

Elegia XI

13

De poenitentia

Lubrica te quoties mala suasit inire libido,
 Heu fuge, care, tuam corripe, nate, viam.
 Funde preces, labem procul indulgentia pellet:
 Prona Dei, posces si modo corde, tua.
 5 Quin hoc triste malum nocuo plus aspide vita,

Tabe venenata ne tua membra necet.
 Dente feras rigidus cristis leo mordet adunco,
 In tua trux serpens pectora virus alit.
 Tolle moras vitio, nec luctus differ in aevum,
 10 Dum sano vitam corpore sanus alis.
 Linque malum, ne te fatum prius exuat aura,
 Ne miser hinc abeas, et nigra regna petas.
 Si superos mens est cultu penetrare recessus,
 Non simulata Deo pergat ad astra fides.
 15 Est Deus, et frustra quis eum tentaverit, ausus
 Cum tacitos etiam cernat in orbe virum.
 Sunt Furiae, mihi crede, animas quis fata revellunt,
 Hos illae miseros in sua iura trahunt.
 Cum rabie vexata Ceres rursus ilia pavit,
 20 Nonne per alternas post redit illa fames?
 Vidi, cui fuerant gazae locuplete metallo,
 Mox vidi modicis hunc eguisse cibis.
 Nescis, quid vesper serus vehat, ortus Olympi
 Sol albus nebulis in mare saepe cadit.
 25 Cor sapiens venit ante Deum, cum vita salutem
 In salvo titubans pectore ferre queat.
 Non haec venturi temnit mens gnara pericli,
 Quae fugienda fugit, quae facienda facit.
 Hoc quisquis cultu mentem imbuit, ore sagaci
 30 In medio prudens verba diserta facit.
 Ergo adiens Dominum susceptas elue sordes,
 Naturae vitium corrige, tolle luem.
 Sit statio Dominus tua, in aequo ponito gressus,
 Poplite nec divis condita signa cole.
 35 Ecquid ab inferno laudes Deus accipit altus,
 Cui nisi adhuc vivo spes rata corde fuit?
 Lumine nam cassi, nigra quos iam sustulit urna,
 Non ibi facta Dei concelebrare queunt.
 Dum levis aura tibi cibus est, refer ante ruinam
 40 Pro Domini grates pectore gratus ope.
 Nam quid adhuc cessas Domini sacra templa subire?
 Fors, si non hodie, cras moriturus eris.
 Poena repente venit, quando venit, ocyus Euro,
 Quae praevisa minus tela nocere solent.
 45 Nec probro scindas vitae quos poenitet actae
 Turpiter: egregio crimine tu ne vacas?

Ah quis in orbe manens est crimine purus ab omni?
Dum sumus hic, Domino sordida massa sumus.

Elegia XII

14

De oratione

Ad superum querulas effundens pectore voces
Ne dubia Domini mente moreris opem.
Et moveare prius, cito da stipis aera petenti,
Et praebe larga munera saepe manu.
5 Quae ratio struxisse domum subitoque solutam,
Mox frustra in planum praecipitare solum?
Tuque precaris opem, sed inertia pectore volvis
Verba, ac in superos omnia dira voves.
Respicit afflictos, tumidos fastidit, et illos
10 Cor quorum verae nil pietatis habet.
Ante Deum precibus sunt sceptrum ligonibus aequa,
Non Iro Craesus plusve minusve capit.
In viduos illi gemitus penetrabile cor est,
Ac cito pupillas accipit aure preces.
15 Ah miseros, ob quos plorat sine coniuge coniux,
Non frustra tristes obruit unda genas.
Mente Deum semper pura quicumque fatigat,
Momento citius quod volet omne feret.
Mens afflicta Deo votis gratissima res est,
20 Cuius nec media nube tenetur iter.
Nec prius absistit, quam quod cupit axe reportet,
Et lacrymis coelum pondus inesse sinat.
Illa dies veniet, vel adest, examine iudex
Cum bonus aequali singula lance probet.
25 Quando cadent causa, qui res et vota piorum
Fecerunt lusus, ac habuere iocos.
Non bene convenient, nec in una sede manebunt,
Hos polus, hos Stygius tollet ab orbe lacus.

12 Non Iro Craesus — cf. Ov. Trist. III, 7, 42

Elegia XIII

15

De sacrificiis

Non Dominum timuit fanis mens illita fuco,
Corde Deum gelido qui stupet, ille stupet.
Omnibus autorem vitae ergo dilige nervis,
Nec famulos eius destituisse velis.
5 Ista Deo reddens quoque da sacra iusta colenti,
Ferre sacerdoti praemia iussa tholo.
Da quae prima fuere tibi, seu pectore sordes
Quae tollunt, humeris quaeve levare solent.
Aut quae nos faciunt genus immortale feruntque
10 Astra super templi fornice dona, lites.
Thura Deo peregrina ferens ex pauperis arca,
Est qui filiolum patris ad ora necat.
Res male parta dolis inhonesta redibit ab ara,
Non capiunt superum farra scelesta Deum.
15 Non sacra qui tantum faciunt se crimine solvunt,
Sed quibus est Christi munere parta salus.
Ferre Deo dignas grates libatio vera est,
In miseros clemens fert pia dona Deo.
A foedis gressus retulisse oblatio grata est,
20 Corde timere Deum muneris instar erit.
Ergo mihi levis aere manus, non munere foeta
Sit, mea cum Domino reddere vota velim?
Non ita, sunt aliquid supero quoque munera iusta,
Munera qui iussit ferre, magister erat.
25 Munera iusta ferens altaria ditia reddit,
Dulce sacro iusti spirat odore focus.
Res accepta Themis tribuens sua cuique puella,
Cuius nulla potest immemor esse dies.
Quando Deo laudem dare vis, da fronte serena,
30 Et pede primitias non remorante feras.
Munera, non oculis adversa tuentibus, affer,
Cum decimas partes das, quoque laetus abi.
Magna ferant magni, fer cista paupere pauper,
Quae potes, atque tuae quae genuere manus.
35 Dona Deo referas aequo si pectore, septem
Mox Domini largas experiere vices.
Fraus iterum generat fraudem superisque ferenda
Furtim dona dolis imminuisse nocet.
Ultor enim Deus est, et amator arbiter aequi,

40 Plebs illi est uno magna minorque loco.
 Prompta sit in corpus bene partis cura levandum,
 Prompta sit offerri res tua tota Deo.
 Non sed ab his aversus eas, quos ipse vereri
 Debes, ne populus seditione ruat.
45 Contrahat haec Furias, fueris cum lusus, acerbas,
 Et veniet capiti poena luenda duplex.
 Sensus is est vanus: Dominum nil facta movebunt,
 Hunc ego thuricremis si veneratus ero.

LIBER SECUNDUS
PARAENESIUM SIRACIDAE

Elegia I

16

De πολυπραγμοσύνη vitanda

Dulcis ama soboles tecto latuisse sub arcto,
Sors humilis regno plus bonitatis habet.
Tanto plus in humum videas et supprime fastus,
Quo magis in celsa sede locutus eris.
5 Sic Dominus vultu te complectetur amico,
Qui colit aetherei templa beata poli.
Dic, quis eo fuit, est et erit quondam altior alter,
Qui colat aetherei templa beata poli.
Orbe Deus tamen hoc submissis viribus usus,
10 Cum vult interea summa stupere facit.
Fastidire suam sortem nocet: aemulus alti
Corruit, ac miser est, qui peregrina sitit.
Foeda quid ambitio te vexat? vix geris illa,
Quae bonitate tuae sortis adapta tenes.
15 Exitiosa fuit multis audacia: nullum
Conciliant animo turpia vota gradum.
Exitus infelix propriis plus viribus auso,
Munera quem capiunt exitiosa perit.
Saepe venit multis communis Erinnyes ab uno,
20 Turpiter audaces in sua fata ruunt.
Damna ferunt animos quos alta superbia vexat,
Ambitiosus honos Lerna salumque mali.
Rostra quid affectas, quid clari munera regis,
Conveniunt minime viribus ista tuis.
25 An petis, indicio sis arbiter ense severus?
Mixta geres dubio fasque nefasque foro.
Iudicis ora gravis male causa potentis ab aequo
Dives, et a vero dives abire iubet.
Quin Corydon maneat, sors quem Corydono paravit,
30 Laus quaesita fugit, gloria sponte venit.
Hoc age, lege Dei pede non abeunte: profanum
Turpiter imperium fer petiisse virum.

Res Domino curasque tuas committe: potentem
Ex Iro Craesum quem volet ipse facit.

Elegia II

17

De magistratus officio

Vos, quibus est fato rerum commissa potestas,
Tradita prudenti sceptrā tenete modo.
Sicut enim artifices mens iudicat aequa labores,
Daedaleumque suis laudibus ornat opus.
5 Principis haud aliter tolluntur ad aethera facta
Omnia, quae sapiens ante tribunal agit.
Esse ducem, res est summo coniuncta periclo,
Tunc ubi dux fatuos dat sine mente sonos.
Rex gravis imperii bonus ordo et cardo salutis,
10 Plus animos armis dicta severa movent.
Aula ducum sequitur mores, velut aemula rerum
Simia: quod rex, hoc caetera turba facit.
Remque gregemque malus praeses fundo eruit imo,
Urbs prudente diu iudice salva manet.
15 Omnipotente Dei nutu genus omne Deorum
Imperat: ipse deos datque rapitque Deus.
Regem herosa manus populis dat quando Tonantis,
Pendet ab arbitrio regia nulla suo.
Consilioque ducem dictis qui subleuet aequis
20 Vir, non a quavis arbore demtus adest.
Iure abeas summo, nec habenas mitte furori,
Nobilis ex nullo poena calore venit.
Auxilioque leves humilem, cape dicta benignus,
Ne causa iustus fors meliore cadat.
25 Nil vel amori, vel concedant iura favori,
Turpia pars referat neutra trophaea domum.
Virque viro cassae, tutor tutore carenti,
Huic coniux, illi sis pius ipse pater.
Sic pro prole sua te altissimus ipse fovebit,
30 Matris et ardorem vincet amore tuae.
Non prius in miseris dictis quem ponito partes,
Omnia ni certa cognitione notes.
Non strepitu voces clamoso abrumpe loquentis,
Altera pars etiam saepe trophaea tulit.

35 Cum tua non agitur res, fer vestigia retro,
 Hinc procul, hinc abiens iura nefanda fuge.
 Turpe, quod eunuchi servanda cubilia pandunt,
 Turpe, quod absolvunt iudicis ora nefas.
 Iniustas partes dictis absolvere iustis
 40 Est ad pauperiem semita prima novam.
 Remque laremque suum perdit, qui voce superba
 Arma minatur et hic iura silere iubet.
 At non difficilis Deus accipit aure querelas,
 Hinx velox illis poena luenda venit.
 45 Qui meliora tenax negat haec admittere dicta,
 Perversum reprobis cum grege carpit iter.
 Corde, Deum venerans, monitus pia verba reponit,
 Vir sapiens dictis quem capit, ille sapit.
 Arma parare Deo nimium impia, ridicula est res,
 50 Arma parare Deo, qui studet, ille cadet.

Elegia III

18

De tyrannis

In sibi subiectos princeps qui sanguine gaudet,
 More tibi pestis sit cita causa fugae.
 Sanguinolenta procul nam qui consortia vitat,
 Sub lare semoto tutius esse potest.
 5 At status is tuus est: prudens data munera tractes,
 Ne, quo non speres tempore, tristis eas.
 Sunt laquei, tuleris gressus quocunque, cruenta
 Perque locos plenos cuspide carpis iter.
 Rex alium superat regem, gens praebuit ortus
 10 Gentibus, et regnis regna domata navis.
 In promptu causa est: sitis auri, iura repulsa,
 Vis truculenta viris tollere scepra solet.
 O homo terra, cinis, pulvis, quae tollis in altum?
 Dum superas, vix es portio foeda luti.
 15 Ut medicus fragiles dudum tibi fulciat artus,
 Mox tamen infestis vermibus esca cades.
 Quin potius vox haec semper tibi personet aures:
 Rex hodie fueram, cras nece putris ero.
 His ego saepe oculis vidi detrusus ad ima

35 tua non agitur res — cf. Hor. Epist. I, 18, 84

20 Regi insperato rex sua scepra daret.
 Mille duces solio deiecti turpiter alto,
 Et vinctas alii saepe tulere manus.
 In sua consortem cum quis te culmina regni
 Attrahit, huic potius subtrahe colla iugo.
 25 Plus tamen invitum rex ambiet ore sequaci,
 Donec in oblato munere clarus eas.
 Neu patiare nimis toties te voce rogari,
 Alter ab alterius vir quia pendet ope.
 Expediasque cito tibi quae data munera rerum,
 30 Teque puta mediis nunc maris ire locis.
 Nulla fides Dominis: sunt ore pericula blando,
 Dum socium credis, qualis es ille probat.
 Tristia pro laetis iam verbis verbera miscet,
 Ira gravis Dominos, gratia lenta capit.
 35 Crede mihi, carcer durus, labyrinthus et haec est,
 Rustica non habet id caula, sed aula malum.

Elegia IV

19

De impiis

Voce nega, neque mente proba, quod praestitit ausus,
 Turpiter in Stygias mox is abibit aquas.
 Nec te commoveat, viridi quod forte resultant,
 Cum scateant vitiis impia turba suis.
 5 Non ventura vides, quamvis praesentia cernas,
 Sera, tamen quondam poena venire solet.
 Plus pius unus agit, quam crimine mille notati,
 Auget hic, hi minuunt orbis et urbis opes.
 Hoc oculis vidi, sed saepius auribus hausit,
 10 Casibus his monitus doctior esse velis.
 Sulphuris igne iacet Sodomae consumpta, nec unus
 Incola de portis corpora salva tulit.
 Nec manus impubis, nec tu nive cana senecta,
 Nec tu virgineus salvus es inde chorus.
 15 Iamque cremenda igni tantum Lot ductus ab urbe,
 Hospes ab hospitibus iussus at ante tamen.

11 Sodomae Sir. Sodome

31 Nulla fides — cf. Lucan. I, 92; X, 407; Auson. Epigr. 92 (95), 4

11 igne iacet Sodomae — cf. Deut. 29, 23

15 tantum Lot ductus ab urbe — Gen. 19, 29

Heu pice flamma ruit fatali, ac omnia perdit,
 In cineres abeunt urbs hominesque suos.
 Coelitus ergo mali solvunt pro crimine poenas,
 20 Cum sceleris vindex surgit ab axe Deus.
 Ter centena virum ceciderunt millia quondam,
 Cum Domini nollent iussa verenda sequi.
 Nempe sed unus eris tu, quem non poena sequatur,
 Nec veniet factis durior hora tuis.
 25 Magna quidem Domini miseratio, nec minor irae,
 Ille potest flecti, laedere et ille potest.
 Una quippe iacent hic gratia poenaque lance,
 Hacce dabit meritis praemia lance tuis.
 Diffugiunt frustra, quibus impia ducitur aetas,
 30 In mundi nulla parte latere queunt.
 In gremio Domini deponunt omnia iusti,
 Atque pium sequitur certa medela gregem.
 Sunt, qui foeda patrant male sanos propter honores,
 Heu miseros precio quos iuvat esse malos.
 35 Crimine pollutus grex lini more crematur,
 Limen ad infernas, qua meat ille, domos.
 Qui, dum forte pios fati peioribus uti
 Viderit, in risu solvitur ore novos.
 Hunc iterum quondam miseris dolor acer habebit
 40 Cordis, et hunc etiam flamma peruret edax.
 Degeneres hominum sceleri cum dira precantur,
 Inferno dictis seque suosque vovent.
 Trux ubi terribiles animo furor excitat iras,
 Grata malis res est, nausea foeda piis.
 45 Cui pietas cordi est, non respuit aequa monentem,
 Impius exemplis facta nefanda tegit.
 Non reditura fugax celeri pede labitur unda,
 Sic periisse dolo res quoque parta solet.
 Sic abeunt nebulae, sic atra tonitrua coelo,
 50 Ut gemit amissas grex sceleratus opes.
 Impius allato dum munere gaudet, ad urnam
 Fit genibus propior, perniciemque refert.
 Flore caret soboles, et qui nascuntur ab illa,
 In patria radix impia nata perit.
 55 Sin sita <ita> propter aquas fuerit seges illius, illa
 Messes aeternum nesciet unda suas.
 Labe sati et socii labis sunt horror amanti
 Sacra, sed in gemino suntque manentque loco.
 In sobolem transit patrium cum semine crimen,
 60 Cui merito semper tristia fata vovent.

Heu nimium infelix a se qui sacra revellit,
 In vita Furias et Styge mersus habet.
 Nata solo repetunt ortus: gens impia poenas
 Hic dedit, et poenas post sua fata dabit.
 65 Laeta pio generi tandem auferet urna dolores,
 In mala crudelis pars graviora ruit.
 Non animos faciat, quod et haec numerosa caterva
 Conscia militiae dat mala foeta tuae.
 Pone modum sceleri, vindex tua limina servat,
 70 Perpetuo cor edens vermis et ignis adest.
 Non sapit ille dolos, qui tristes fraude sagaci
 Consuit, et docta fabricat arte malum.
 Hoc fatuos, non corda decet sapientia, quisquis
 Aversam vera mentem habet usque fide.
 75 Per magicas artes colubrum qui reddit inermem,
 Anne ab eo laesus voce dolendus erit?
 Quando ferae morsu precium dant triste magistro,
 Vulnere quae faciunt plangere nemo potest.
 Sic operam foedus vel facta nefanda malorum
 80 Qui sequitur, sicco funere mersus obit.
 Materiam flammae cupidam qui praebet iniquae,
 Afferet in calidos et sua membra rogos.
 Fallor? at si parili ratione peribit, amicus
 Qui sceleri, florens addit et ipse scelus.
 85 Tigride cum tigris vivit, cum turture turtur,
 Sic par cum socio compare vivat homo.

Elegia V

20

Oratio ad Deum contra impios

Alme potensque Deus mundi, sator unice rerum,
 O pater aure patens haec pia vota cape.
 Exere vim, contra gentes, tua tela valenti,
 Tende cito feriens externa monstra manu.
 5 Frange viris vires, oculo te vindice monstra,
 Hostis nos populum cernat ut esse tuum.
 Ingenuo victi fateantur ut ore: Tonantem
 Hunc praeter solum quis Deus esse queat?
 Adde novum robur, molire stupenda, sub auras
 10 Quae tua lativagas inclyta dextra ferat.
 Sit furor in cursu, flammisque minacibus iras

Funde, sit adversis tristior hora viris.
 Contere quis animus non est tibi subditus, armis
 Mox hostile tuis tunde retunde caput.
 15 Conscia te moneant altaria, et illa memento
 Foedera, ut haec series postera facta canat.
 Bilis eos rapidis involvat at excita flammis,
 Securos peragunt qui sine mente dies.
 Qui faciunt aegre populis tua verba professis,
 20 In cursu pereant te feriente suo.
 Ne, fracta cervice, duces haec deinde profundant:
 Cedite vos, praeter nos quia nemo valet.
 Huc pater Isacides huc se cum semine sistat,
 Et sata Iacobi sit tua turba domo.
 25 Stirps generata tuo gerit hoc de nomine nomen,
 Quae soboles olim prima vocata fuit.
 Quin Solymas etiam placido vultu aspicias arces,
 Hic ubi sunt laudi templa dicata tuae?
 Da nova fulcra tuae sedi, pater alme, Sioni,
 30 Ut vox multa tuum tollat ad astra decus.
 Sorte tenes lectos dudum tibi, more peculi,
 Hos iterum renoves in tua iura Deus.
 Laeta fidem faciant oracula: namque canebas
 Quod nolis visos deseruisse tibi.
 35 Non dubitata manet spes vatium: expectat hiatu
 Cordis, et hoc gemit, ut perficiatur opus.
 Vota Deus placide sine pondus habere vocantis
 Te nostri moveat sanguinis autor Aron.
 Sors nostra hospitium quocunque sub axe tenebit,
 40 Te canat aeternum carmine fassa Deum.

Elegia VI

21

De officio parentum

Vos, quibus est Dominus facilis, thalamoque beavit,
 Vos, quibus innumeræ gratia prolis adest,
 Par est huic cervix teneris flectatur ab annis,
 Ad pueri duras arma movete iubas.
 5 Est tibi sitque precor praestanti corpore nata,
 Te decet hanc vinclis continuisse domi.

4 Ad pueri Str. Adpueri

Ne si forte locos fuerit spatiata per omnes,
 Quando puellaris zona soluta cadat.
 Suadeo, si procus est sat idoneus illius, illa
 10 Fac iaceant uno corpora bina toro.
 Nobile fiet opus, cum filia casta marito
 Nupserit ingenuo, nupserit atque viro.
 Copia natorum sors est, sed gloria vana,
 Cum numero certant triste parare malum.
 15 Vir propter sobolem frustra laetabitur illam,
 Pectore cui nihil est cura pavere Deum.
 Vana patri spes est, vana est fiducia natus.
 Robore qui pollet, sacra statuta fugit.
 Unica quae superat proles pia mille sinistris
 20 Praestat, quae sanctae nil pietatis alunt.
 Ne mihi tota domus natis sit plena superbis,
 Frigidus in sterili malo iacere toro.
 Nolo mea nomen capiant de stirpe nepotes,
 Quis sint degeneres a pietate dies.
 25 Moribus incomtus gravis est infamia patri
 Filius, et matri filia turpis, onus.
 Mille piam iuvenes sociam petiere puellam,
 Lictor at infamem vix adiisse cupit.
 Nata procax dolor est ingens, lac[r]ymaeque parenti,
 30 Nausea fit nacto summa deinde viro.
 Si vaga, vel praecox vinclis compesce puellam,
 Ac ut clausa domi praecipe pensa trahat.
 Et si forte vides, quod compita cernere gaudet
 Omnia, laetitiam virgo proterva cupit.
 35 Ast ubi salva manet, veniam concede furori,
 Nec nova res: calidus prurit et urit amor.
 Lassus in exemplo est, qui longa per arva viator
 Carpit iter, primo flumine potat aquas.
 In Venerem iuvenum sunt inguina prona senumque,
 40 Felix cui licitum est hanc relevare sitim.
 Qualis amor patris est, talis quoque poena sequatur,
 Cum videt a natis non toleranda geri.
 Paruit a tristi melius gens caesa magistro,
 A pueri lacrymis laetior esse potes.
 45 Qui sine lege ruit, nec amicas audit habenas,
 Ante alios patri causa ruboris erit.
 Tela manu, scuticam puero qui gestat, in hostem
 Fert: at amicorum spes nova poena malo.
 Laetitiae seges est natus, post funera patris,
 50 Cum referat patris nomen et ora sui.

Dum vixit pater, hunc pro nectare vivus habebat,
 Mortuus exequias iam quoque laetus agit.
 Successore pio nam gaudet, honore quod iste
 Aemulus in patrias possit abire vices.
 55 Aspicit, et lacrymis queritur data terga flagello,
 Qui natum notum non cupit esse Deo.
 Quid mihi profuerit pulcer sine lege caballus,
 Qui pede rectorem calcat et ore secat.
 Rem gerit huic similem iuvenis custode remoto,
 60 Qui velut asper equus respuit omne iugum.
 Sunt, qui fuste suos etiam tractare parentes
 Non dubitant: adeo blandus amore nocet.
 Causa tua est, male vir, quod gaudia perdis et aeger
 Is: tibi cum nato tessera iacta fuit.
 65 Tu consors operum per amicas ore loquelas
 Ibas, nec turpes sustulit ira iocos.
 Ad proprium arbitrium teneris qui vixit ab annis,
 Nunc aevo maior vix tolerabit herum.
 Sic puer impubis, ceu stirps tractabilis arte est,
 70 Mature dominum pascit uterque suum.
 Percute dum tener est, nil coerulea terga nocebunt,
 Mixta repentino verbere verba iuvant.
 Erige, dum nova sunt, nec inertia corpora linque,
 Percutiant querulas ferrea scepra nates.
 75 Filius hinc Pyllos tecum splendet in annos,
 Hinc cernet laetos curva senecta dies.
 Magno natorum genitrix in amore tenetur,
 Saepe sed a nata gaudia plura tulit.
 Innuba virgo patrem dare lumina fessa quieti
 80 Non sinit, et matrem cura novata tenet.
 Haec favor et labor est, ut honeste sponsa mariti
 Transeat in castum splendida tota torum.
 Cur timeant, multas sibi fingunt ordine causas,
 Ne veniat sero, neve puella nimis.
 85 Iam nova iura viri metuunt, iam gaudia carpat
 Ne quis ei cupidus mascula stupra ferens.
 Ergo manus genitoris habes quae provida partes,
 Sic etiam natae tu memor esse velis.
 Quando vagos oculos, nec humum deiecta modeste est,
 90 Erigit et castus non tenet ora pudor.
 Hic opus est duris quibus haec adstricta cathenis,
 Discat honorifice per fora ferre pedes.
 Plena voluptatis res est adiisse puellam
 Tecta peregrini non abeunda laris.

95 In partes virgo ne te deducat amaras,
 Fabula ne tecum fiat in urbe cave.
 Quos odio sequeris toto ludantur in orbe,
 Conveniens magis est hostibus ille pudor.
 Huc mundi proceres, aures huc ferte parentes,
 100 Quos Deus in coelo fecit in orbe Deos.
 Huc ades imperii qui tradita scepra gubernas,
 Sive tuas dives qui moderaris opes.
 Heu miserum nutu tibi si fors imperat uxor,
 Aut fraterna genu supplice iussa facis.
 105 Donec agis, tuus esse velis, ne triste potestas
 Te nova mancipium truxve molestet herus.
 Remque laremque aliis qui largus tradit habenis,
 Turpiter ad proprias poplite nutat opes.
 Dum tibi vitales alternant aëra folles,
 110 Ipse gravi quondam parta labore tene.
 Is certe miser est, qui tradidit omnia natis,
 Ut vivax Parcae stamine longa gerat.
 Me patre sed coram stet malo natus egenus,
 Et querulas certam sic sibi poscat opem.
 115 A genitore suo dictis est turpe rogari,
 Turpe quidem, fieri sed tamen usque vides.
 Ergo te dominum series tua tota salutet,
 Ante obitum nulli te patiari regi.
 Tunc sed ubi iam iam te fatum ponet in urnam,
 120 Haeredes facias dulcia membra tuos.

Elegia VII

22

De officio liberorum

Vos dulces thalami segetes et pignora lecti,
 Ferte parentales pectore et ore sonos.
 Hoc ideo, soles fatis melioribus usi
 Latos et laetos ut videatis humi.
 5 Iussa fac, afficias hoc semper honore parentes,
 Quem tibi donec agis, praecipit orbe Deus.
 Ora paterna colens veniam pro labe meretur,
 Quaerit opes vultus, qui genitricis amat.
 In patris assurgens nutum gaudebit et ipse
 10 Prole sua, et coelo quod volet omne feret.
 Observans genitoris erit vel Nestore maior,

Et pius in matrem gaudia quanta parit?
 Non genus officii coram patre praeterit ullum,
 Iussa timens Domini iussa paterna timet.
 15 Fer patienter onus, quod et acris iura parentis
 Imponunt humeris forte ferenda tuis.
 Felix in soboles benedictio larga parentum,
 Ad matrum bilem tecta parata ruunt.
 Turpe patris naevos illudere: turpe genitrix
 20 Efferat natorum scommata corde ferens.
 A se, qui lusus genitorem fecit, honores
 Tollit, et in fati turpia busta cadet.
 Proque parentali curam gere, nate, senecta,
 Ne facias volucres huic equitare Deas.
 25 Hinc fatuos placide ferat indulgentia sensus,
 Aetas in pueros cana redire solet.
 Virtus et genius lateat tuus: arduus olim
 Mente fruit, superas quem modo mente sagax.
 Sorte vel affectum tenui tu pasce foveque,
 30 Haec pietas multo foenore dives erit.
 Grata feres iterum miseris obnoxius: ast haec
 Sors procul, ut glacies sole tepente, fugit.
 Vulgus abhorret eum, patrios qui deserit annos,
 Aegra ferens matri praemia dira feret.
 35 Laudibus alta tuum gratus fer ad astra parentem,
 Hinc et eam, quae te facta dolore tulit.
 Ah soboles quamvis in dulces fida parentes,
 Praemia pro meritis reddere nulla potest.
 A genitore pio memori cape pectore dicta,
 40 Ut quondam reges clarus adire queas.
 Mater et erudiens quando tua corda gubernat,
 Illa tenere cito mox documenta velis.
 Namque parentales qui negligit asper habenas,
 Se tandem natum post miser esse dolet.

Elegia VIII

23

De officio herili et servili

Vir pius et facilis ius quando lenit acerbum,
 Nec Lybici crudus more leonis agit.
 Saepe reis prudens veniam dat furibus aequam,
 Nec dura lapsas conditione premit.

5 Indiga servitii res est domus atque supellex,
 Ut famulus vivat, munera praestat hero.
 Aera daturus at is non tristi fulminat ore,
 A quibus auxilio commoda multa tulit.
 Sis Dominus, Domino magnum qui versat Olympum,
 10 Tu quoque fer famulas servus et ipse vices.
 Turpe sed emeritis mora cum stipendia servis
 Protrahit, et semper sumere nilque dare.
 Ut maiora feras, amitte minora libenter,
 Munera qui retulit, munera rursus habet.
 15 Magnus es et famula tibi conditione laborans
 Fert operas, vacuas nec sinit esse manus.
 Planus in hunc Dominus sis mente, nec affer honori
 Tu remoras eius, nec male differ iter.
 Indulgente potest si numine liber abire,
 20 Ipse fer auxilium sollicitumque leves.
 Grex eget auritus post gramina fuste sequaci,
 Quo citius Domini perficiatur opus.
 Sic male ieiunus peragit sua munia servus,
 Ni cupido dulces carpserit ore cibos.
 25 Si gravis ore, labore levis, fuit utile multis
 Hunc etiam famulum fuste dolasse suum.
 Trade tuo, quod agat, cum fas, sine fine ministro,
 Serva quies Dominis noxia damna parat.
 Ocia qui sequitur se tollere quaerit in altum,
 30 Mox in herum servus corda superba gerit.
 Ad robusta bovem rigidum iuga ducit arator,
 Arbore trux posita pectora mollit equus.
 Adde malo plagas, melior fit stipite servus,
 Ne peragat vacuos nil operando dies.
 35 Ocia multorum sunt fons et origo malorum,
 Aeternam requiem nobile pandet opus.
 Nulla dies unquam pigris sit meta laborum,
 Ocia sectantem vincula dura ligent.
 Attamen ad poenam pro spreto quando vocabis
 40 Munere, conveniens esto luela reo.
 Tu quoque flagra capis cum servum vapulat agmen,
 Ergo tuos artus destituisse velis?
 Mancipium de more tuo tractetur: in illos
 Plebs animos, quales in tua corda, gerat.

34 peragat Sir. paragat

26 fuste dolasse — cf. Hor. Sat. I, 5, 23

45 Sed medio iam rursus eas, et siste parumper,
Lauticies haec se sit quoque causa fugae.
Quanta tuis passim se nausea gressibus addet,
Pristina si profugum munera obire velis.

Elegia IX

24

De adulteris et impudicis

Est, qui nocturno peragit cum tempora furta,
Talia non trepido pectore verba sonet.
Quis vigilante meos iam lumine cerneret ausus?
Delictis veniam nox dabit atra meis.
5 Ne quis ad haec videat, me dura repagula servant,
Anne meum partes dulce revelet opus?
An mea facta Dei tangunt, ut pessima, mentem?
Ille procul supera sede locatus agit.
Ah miser, ah caecus, qui talia corde volutas,
10 Nec Dominum tenebris cernere posse putas.

Non oculi fugiunt turpia facta fabrum.
Eius enim longe superant vaga lumina solem,
Cum media mundi se statione locat.
15 Hinc res humanas nebula addita ad astra tuetur,
Adde, quod hunc nubes nulla tenere potest.
Quin quod venturum est et adhuc hac luce remotum,
Quomodo venturum sit, videt omne prius.
I nunc vivaci tua patres crimina flore,
20 Atque Deum sensu et luce carere puta.
Et videt et vivit, stat praesto auditque volutans,
Tu tibi quae fatuo pectore verba facis.
Hoc animo subeat: veniet me triste merentem
Supplicium, haud nullo qui prohibente necet.
25 Ante oculos, ante ora hominum productus in auras
Non expectato tempore turpis ero.
Lecta tori vetitis indulgens pectore flammis,
Quae thalamo foedus non sinit esse suum.
Praemia pro meritis capiet, nec adultera turpis
30 Fallet eum, coelo qui super astra sedet.
Dumque suos taedis per furta repellere honores

14 mundi **Sir.** muudi

19 I nunc **Sir.** Inunc

28 sinit **Sir.** sivit

Incipit, et leges deseruisse Dei:
 Poena manens facti nunc eius lumina servat,
 Quae scelus admissum proferat omne palam.
 35 Quin etiam ante aras socio data foedera rumpit,
 Ultio perfidiae sic quoque maior erit.
 Hinc in legitimo spurios enixa cu[bili],
 Afferet ex alio turpia monstra [to]ro.
 Deseret hanc etiam Dominus thalamique polique,
 40 Supplicioque cito facta nefanda premet.
 Ex hominum medio trux agmine poena revellet,
 Inque Stygis tenebras praecipitabit eam.
 At Furiae natos memori cum plebe manebunt,
 Et series poenas postera quaeque luet.
 45 Radices aget haec nullas, nec pendula fructus
 Arborea dulces fronde lagena feret.
 Ut sapiant, miseros exercent illa nepotes:
 Exemplo felix qui mala cunque fugit.
 Illecebrae volucris modus est, sequiturque scelestos
 50 Ver breve laetitiae longa doloris hyems.
 Me tria corde movent, et ab aequa mente reducunt,
 Haec si qua cernant lumina nostra geri.
 Cum fastu vir inops tumet, ac ex paupere villa
 Prosiliens cristas ore crepante gerit.
 55 Frivola cum falso mendacia gutture iactat
 Missus ad imperium divitiisque potens.
 Cumque senex miles per castra Cupidinis ardet,
 Ut ferat illicito gaudia foeda tholo.
 Vena mero turgens et foemina visa morantur,
 60 Ne sapiant cauto pectore corda virum.
 Octipedes vermes, labes, contagio, lethum,
 Turpibus haec dantur praemia certa viris.
 Sicca Venus vires adimit, floremque iuventae
 Carpit, et ante dies Parca salacis adest.
 65 Eripe te cantu Syrenum, victus earum
 Ne miser in casses praeda vocata cadas.
 Fac tibi, et ipse pius nautis quod fecit Ulysses,
 Ne capiant aures monstra canora tuas.
 Utile formosas non cernere saepe puellas,
 70 Hinc iuvenum fomes flammaque corde venit.
 Cur lateri latus addis? edent contagia pectus,
 Pone sedens, pestem qui fugit, ille fugit.
 Turpis edax rerum mulier cum divite gaudet,

63 Sicca Venus — cf. Ov. Ars am. II, 685—688

Est opibus mulier certa vorago tuis.
 75 Est Veneri via prima oculis huc inde volutis,
 Ire per alternas, qua cibus iste, domos.
 Forma capit multos, dux forma libidinis: orbes
 Luminis avertas talia monstra videns.
 Non peregrina tuis sylva est venatibus apta,
 80 Quas tu turpis amas, possidet alter opes.
 A stipulis aegre calidus defenditur ignis,
 Fax calidusque viro faemina visa rogas.
 Heu fuge: blandiloquo fallax latet anguis in ore,
 Foemina quod loquitur tinctile virus habet.
 85 Quae modo palla fluit, longum depasta sub aevum,
 Haec tineae quondam vesti vorace cadet.
 Pala manus fortis quam praecipitavit in ignem,
 Pascit opus flagrans dum cinis ipsa cadat.
 Castra Deae flammis cui mens est foeda sequendi,
 90 Iam iam venturae semina mortis alit.
 Baucis ei cibus est Helenae dulcissimus, aestu
 In medio quando turpe peregit opus.
 Luxuriosa vago se prodit foemina vultu,
 Ore tremens oculis bestia spurca micat.

Elegia X

25

De virtutibus honestae coniugis et quomodo a marito sit tractanda

Casta marita toro fulvo preciosior auro est,
 Si sapis, hanc animam ceu venerare tuam.
 Lingua parit lites trux blandos inter amores,
 Tarda sed ad crimen debet inesse fides.
 5 Cum te quis iubeat de coniuge multa vereri,
 Dic: haec invidiae sunt mihi signa tuae.
 Quid seris has lites, quid et haec tu iurgia misces,
 Dispereat casto, qui movet arma toro.
 O quoties felix, quoties est ille beatus,
 10 Qui dicat: coniux est mihi casta domi.
 Quae digitos opera lassat, quae brachia nudat,
 Quae nunquam plenas cessat habere manus.
 Eia quid hac melius? cui vitam credit et omnes
 Quas sibi deposuit sub lare parcus opes.

15 Haec coeleste viro donum, quae prorogat aevum,
 Provida cui soles molliter ire facit.
 Vos, quibus est pietas animo, sperate, maritas,
 Quis Venus ex oculis luceat, ore pudor.
 Seu tibi sors fuerit terris angusta vel ampla,
 20 Laeta domi vultus haec erit ante tuos.
 Oris amoena bono blandoque decora lepore
 Nata viro prudens vulnera voce fugat.
 Coelica res mulier quaecunque silentia praestat,
 O decus, o opibus cara virago magis.
 25 Dic mihi, quid gemmis, fulvo quid carius auro?
 Nupta modesta domi, nupta modesta foris.
 Quod sine sole polus, torus hoc sine coniuge casta:
 Sol decus omne polo, nupta pudica toro.
 Forma secunda iuvat facies ubi frontis honesta,
 30 Haec tibi formosae lampadis instar erit.
 Sic ab ea tua tota domus ceu lumine sacra
 Lampadis ignicomae fulget in aede decus.
 Sospes is est nimium, coniux cui servat amorem
 Uni, nec Venerem captat in urbe novam.
 35 Dulce suo spectrum formosa marita marito,
 Huic ea sollicito gaudia mille parit.
 At par si formae pietas sit et ipsa secundae,
 Nescio, quid maius totus hic orbis habet.
 Nupta manu famulis quae rem disponit et arte,
 40 Semper erit domui firma columna suae.
 Sepibus incassos fera quaelibet irruiat hortos,
 Absque bona coniux coniuge damna dolet.
 Qui sobolem gignit, qui claudit moenibus urbem,
 Non sinit in calidos hunc Deus ire rogos.
 45 Plus ad secla marem transmittit foemina casta,
 Cuius in aeternum fama perennis erit.
 Flamma propinquorum dulcis: concordia fratrum
 Coniugio casto non simulatus amor.
 Haec tria stirpe satos humana ac axe locatos
 50 Exhilarant, animos cordaque laeta creant.
 Coniugalis amor vasto res unica mundo,
 Digna favore hominum, digna favore Dei.

15 prorogat *Sir.* pro rogat

Elegia XI

26

De vitiis foeminarum

Tunc male res agitur quando est amissa potestas
Effera foemineo scepra tenente choro.
Foemina, cui cor edit, morbo correpta nefando
Omnia vir potius membra dolere gerat.
5 Arte dolos mulier componit et arte sagaci,
Fallere plus novit foemina mille viris.
Invidiae stimulis nihil acrius, hostis et ira
Nulla libido truci maior in orbe fuit.
Ore venenato nihil est crudelius angue,
10 Ultio sed primas hic muliebris habet.
Malo mihi leo sit socius truculentus et asper
Horrida subter humum qui tenet antra draco.
Quam sociam vitae mihi foedere iungere et usu,
Semper acerba graves quae iacit ore minas.
15 Cum furit, in vultu macies sedet aemula sacci,
Pallet et indomita bile cruenta tumet.
Tunc aliquis melior saevos qui corrigit ausus,
Mox properata mari causa pudoris adest.
Foeminea decies minor est fraus fraude virorum,
20 Ergo refert illis praemia digna Deus.
Difficile ad montem per multas itur arenas,
Est coniux tacito garrula tale viro.
Illius in blandos ne forma invitet amores,
Nec dicas animis, convenit illa meis.
25 Non ego propter opes ducam, ne ditior illa
Me premat, et Codrum mancipiumque vocet.
Tela volant: quod humo vir surgis maxima causa
Haec ego sum: Dominam me volo fertio tuam.
Haec levitas animo crux est aeterna mariti,
30 Uxorem tenui praestat habere casa.
Est miser et per multa trahit suspiria noctem,
Ecquis in hoc domino posset amore mori?
Quid? quod in hoc cursu vix pallida ducitur aetas,
Quicquid agit miser hic semper ineptus agit.
35 Unica fons mulier nobis est labis avitae,
Heu miseris quantum perdidit illa boni.
Illius est mortale genus quod tollitur aura,
Illius ad Stygias quod via ducit aquas.
Aggere vallatur ne flumen transeat alveum,

40 Haec animi vinctos debet habere pedes.
 Si monitis lapidem frustra vir moveris omnem,
 Ultima discessu sit medicina mali.
 Dira mihi tria sunt, quartum bene sanus abhorret
 Quilibet, et pestis ducit id esse loco.
 45 Ore loquens blando tacite cum prodit amicum:
 Qui facit in dominos schismate turba ruat.
 Sanguine qui dictis non noxia polluit ora:
 Haec peiora truci morte vocanda puto.
 Quicquid at hoc fuit, est gravius cum foemina bachans,
 50 Latrat, et ante fores scommata dira iacit.
 Rumpitur in sociam dictis, spectantibus urbis
 Civibus, heu miserum iam quoque cerne virum.
 Magna minorque boum iuga distrahit inter arandum,
 Sic mala coniugio foemina virque bonus.
 55 Haec mihi non coniux, sed scorpio dirus habetur,
 Qui mea lethifera corpora pungat acu.
 Triste malum, vino coniux impleta, marito,
 Tunc arvum nudae cum genitale patet.
 Nosse cupis, quae se Veneri Pueroque dicavit,
 60 Ex oculis mulier noscitur illa suis.

Elegia XII

27

De pudore

Huc iterum pubes ades, o dulcissima, praesto,
 Ut quid honorificus sit pudor inde scias.
 Fas et vera loqui, cum debes iudice coram,
 Non tua tunc fallax occubet ora pudor.
 5 Labe sua victi demissis vultibus ibunt,
 Te decet ingenua dicere voce palam.
 Et cum pro vera facies re verba rogatus,
 Nemo tibi magnus, nemo timendus erit.
 Nulla virum capiat te spes, et neglige pondus
 10 Hostis, ut eximium, quod gerit ille tuus.
 Quod fas, quoque nefas queat esse professio veri est,
 Ore tacente diu turpia facta latent.
 Turpiter incutiunt vobis mea verba pudorem,
 Utile cum non est, res inhonesta pudor.
 15 Saepe pudore aliquis quae turpia comprobata,
 Saepe quis utiliter non rubet ante forum.

Concipiant animo tunc foemina virque pudorem,
 Quando piis thalamo, quod nocet, illud agunt.
 Vana duces pudeat vel reges dicere verba,
 20 Cum faciunt, rubeant iudicis ora nefas.
 Grex agat hoc, dominis quisquis parere recusat,
 Vicino metuat vir nocuisse bonus.
 Turpe sibi ducat spolians aliena, rapaci
 Turpe manu quae non sunt tua ferre domum.
 25 Te pudeat quod edens de turbae more prophanæ
 Ludis et appositus, dat tibi fulcra cibus.
 Hoc etiam pudeat te quod nunc aere profuso
 Carcere pro meritis detinet acer herus.
 Est pudor audita nil respondere salute:
 30 Turpe cupidineo vis quod amore mori.
 Non rubor, at scelus est horrendum foeda libido,
 Sanguine cognatam deperiisse sibi.
 Dedecus est ingens aera eripuisse puellis,
 Mox tamen in taedas transiliisse novas.
 35 Est sibi qui famulas alienas postulat effrons,
 Illarum in probrum ferre cubile pedes.
 Huic subeat rubor ora gravis, qui exaggerat illud,
 Quod sociis quondam, sed sine lege, dedit.
 Criminis instar habe, quod tu dimittis in auras,
 40 Aeternos fuerant, quae reticenda, dies.
 Nobile, crede mihi, fuerint genus ista pudoris,
 Felix teste bono, qui rubor ora tenet.
 I nunc, sic pudeat te, si tua quenque benigno
 Ora tenere suo nempe favore cupis.
 45 Sunt etiam versa vice, quis infamia non est,
 Sed decus, et felix sic puduisse labor.
 Non alios propter partes tenuisse sinistras,
 Velle Dei legem, foedera velle sequi.
 Iustas atque pias dictis absolvere partes,
 50 Vicino et sociis corde favore pio.
 Sanguine non aegre patrimonia solvere iunctis,
 Sedulitate sui ferre laboris onus.
 Iusta aliis mercem precio divendere lance,
 Et cubitis nullos addere pone dolos.
 55 Aeque animo lucrum componere, sive sit ingens,
 Seu curtum, et votis post fora missa minus.
 Venditor aut emtor quod fas cape, daque lubenter,
 Nec fallax aliis illa vel illa geras.
 A teneris dulces natos docuisse salutem,
 60 Ad famuli scuticas exhibuisse scelus.

Cum coniux sit iners res arctis claudere vinclis,
 Ne per eam carae diminuatur opes.
 Terque quaterque prius numerare examine longo
 Danda, nec huic frustra fidere cuncta domi.
 65 Quae das, quae recipis bibula signare papyro,
 Ut vigilant oculos erudiisse suos.
 De falso fatuos deducere tramite dictis,
 Ne miseri pereant regnaque nigra petant.
 A iuvenum serie rixas revocare seniles,
 70 Ne minuat canum fortior ira caput.
 Haec virtute tuus gerat insuperabilis ardor,
 Sic cum perpetua laude perennis eris.
 Post rutilos ignes horrenda tonitrua coelum,
 Humanas mentes ora pudica movent.

Elegia XIII

28

De modestia in capiendo cibo

Fors epulis quoque te convivia lauta vocarunt,
 Naturae facies debita iura tuae.
 Inter et heroas sat honesta sedilia presses:
 Utile sit gestus hic didicisse bonos.
 5 Turpe quod in patinas distendas rictibus ora,
 Miserisque gulae pabula tanta tuae.
 Quin potius volvas animo: dolet hospes iniquus,
 Quod mihi tam lautos praebet ipse cibos.
 Aspergit lacrymis, quod porrigit aeger, et escam
 10 Invitus me iam carpere saepe iubet.
 Frena tuos teneant digitos, ne litora lancis
 Omnia transvolitent et meliora vorent.
 Frustra quid evolvis, quid corrigis ense magistrum?
 Gessit enim in classes haec coquus ipse suas.
 15 Ne praecepta voces mea dura: fac ipse periculum
 In te cum quoque fors hospitis hospes eris.
 Ne quid agas stulte, vigiles hic pectore curas
 Nunc adhibe: ratio multa cavere potest.
 Sume dapes, quantum sat erit pro ventre canenti:
 20 Curta decent homines, pascua longa feras.
 Audit edo posthac male: quod natura poposcit,
 Qui sumsit, gratis fercula rursus habet.
 Te gravis et morum species commendat honesta,

Si modo mature clauseris oris iter.
 25 Ultimus in patina tacite ridetur ab illis,
 Iamdudum labii quis mola clausa vacat.
 Iussus adesse viris conviva potentibus, ante
 Hos oris tibi non occupet antra cibus.
 Qui vorat et nunquam stomacho moderabile suadet,
 30 Et gerit immodicis ilia laxa cibus.
 Praeter quod vires enervat corporis, atque
 Debilitat genii mando profundus opes.
 Cogitur insomnes male sanus ducere noctes,
 Ventre dolet, patinis ilia triste sonant.
 35 Vespere qui modice se pavit, transigit horas
 Noctis iners morbi, membraque fessa levat.
 Adde quod aurorae cum nuncius axe resurgit
 Lucifer, is placide linquere strata potest.
 Promptus ad officii se ex plumis munia tollit,
 40 Et gerit assuetas pesque manusque vices.
 Ergo opus est citius mensae valedicere, quando
 Plus iusto stomachus sentit habere cibi.
 I pete tecta domus, thalamoque supinus habenas
 Da somno, donec fiat amica Ceres.
 45 Verba senes faciant, quibus est prudentia maior,
 Ac fuit in magno panda carina salo.
 Respice praeterea, post te qui carmina dicit,
 Voce graves voces sibilat esse tuas.
 Pars choreas ducunt, hanc tu clamando lacessis,
 50 Ne capiant, quos dat tibia rauca sonos.
 Quid nunc enumeras quam tu patriaeque tuisque,
 Commoda des, et quam sors tua saepe tulit.
 Dulce rubens veluti prodest carbunculus auro,
 Sic ubi convivis musicus ordo canit.
 55 Annulus et viridi ceu gaudet et ipse smaragdo,
 Non Orpheus aliter dulcia vina facit.
 Tu quoque, qui minor es, iuvenilia solveris ora
 Terque quaterque, sed haec transiliisse nocet.
 Quando rogatus eris, modice mox redde rogatis,
 60 Et nescire refer te, licet illa scias.
 Iam compesce tuum sene multa loquente labellum,
 Quo tacitis prudens hoc videare minor.
 Nunc vocat hora domum, nunc surge, nec ultimus aedes
 Tu pete, sunt alii, quos remanere iuвет.
 65 Sed propera, ne, dum tardes, iam plaustra Bootes
 Invertat serus, noxque per acta cadat.
 Verba domi facias, quot vis, peragasque labores,

Qui placeant, fiat cum pietate tamen.
 Nec vinum socios in praelia trudad inermes,
 70 Namque parare solet tristia bella merum.
 Sic dicas: ignosce Deus, mihi laetior ignis
 Quod venit ex isto, munere nempe tuo.
 Tu victum dape, tu potum se vite dedisti,
 Res et vita mihi te quoque dante manet.
 75 Quod tibi profuerit, cape nate, nec omnia ventri
 Ingere: sunt epulae, quas tetigisse nocet.
 At cur non liceat quaerenti reddo vicissim:
 Qui tibi non prosunt, sustinet ille cibos.
 Nec numero, nec more vora, patiaris amari,
 80 Ne quid ab immensa ventre dolente gula.
 Ingluvis multis res est obnoxia morbis:
 Mandoni stomacho tormina dira gemunt.
 Ergo gulae vitio citius non unus obivit,
 Vita cibis aevi plus moderata capit.
 85 Quos probitas morum spectatos reddit, adire
 Non cesses, quorum sunt sine labe dies.
 Affice iucundo tua tristia pectora sensu,
 At ne radices altius arbor agat.
 Si quid edis, nec vis, epulas discerne salubres,
 90 Felix, cui quod edit, non nocuisse potest.

Elegia XIV

29

De ebrietatis vitio

Nunc alia ex aliis doceo: bene consule vitae,
 Ne tibi, ceu multis, det quoque busta merum.
 Ut cinis aera probat, sic vite probantur amici,
 Sobria corda latent, pectora pota patent.
 5 Tunc nil celatur, non lex tenet ulla, recedit,
 Fas, sunt in nullo lingua animusque loco.
 Vina tenent animam, si sumas vina modeste:
 Est sine iucundo vivere triste mero.
 Dulcia vina parant animos, corpusque salubre
 10 Reddunt: sed magno gurgite sumta nocent.
 Ebrietas fatuos auget sub pectore sensus,
 Heluo ut in socios provocet arma suos.
 Proelia donec eant, autorque doletur amare,
 Multa ferat corpus, vulnera multa caput.

15 Quid ferus in socios gladios ad pocula stringis,
 Gaudia cur turbas, diraque verba iacis?
 Differ, habent aliud tua noxia iurgia tempus,
 Quin placidos iam nunc spargis ab ore sonos.
 Aspice, sunt hilari quam dulces mente sodales,
 20 Tu cygnos inter stridulus anser ades.
 Corrige quod tentas, tua corrige vota superbe,
 Fac placido quod iam quilibet ore facit.
 Iam loculos aperi, iam dulcia pocula sicca,
 Plaude, sali, canta sicut et ipsa cohors.
 25 Sic habere bonus vir, sic tu laude veharis,
 Sic te symposii concio tota canat.

Elegia XV

30

De honore senibus exhibendo

Grande nefas Pylios non esse in honoribus annos,
 Laudibus ac curvos non coluisse senes.
 Omnibus ex aequo subrepat inertior aetas,
 Ante puer, tardo qui pede serpat, erat.
 5 Posse puta fieri quoque te quem rideat alter,
 Et lepidi fatuum dicat habere nihil.
 Tu puer es, nec te cani sapientia vincat,
 Quae secum vitae tempora longa trahit?
 Quin cole prudenter, nec negliges quicquid ab illis
 10 Evolat, a patribus quae didicere suis.
 Namque rudimentum praebent, quae voce profundas
 Verba, et quae praestet detinuisse domi.
 Quae nisi sub tenerae discantur flore iuventae,
 Cana tibi quondam vita peribit iners.
 15 His ego praecipuas non denego carmine laudes,
 Quae bona canicies si veneranda sapit.
 Hos quoque semper amo, qui dum sua sceptrata gubernant,
 Expendunt aequo numine, quicquid agunt.
 Tempora cui properant cygnaea et provida mens est,
 20 Eius eat circum laurus odora caput.
 Qui numen cultu afficiunt et honore Jehovaham,
 Rursus et his posthac fama perennis erit.

20 Tu cygnos inter — cf. Verg. Ecl. IX, 36

Elegia XVI

31

De sapientibus

Ne rudis ingenio sapientes temne loquelas,
Sed placida salsos percipe mente sonos.
Lydius haec lapis et totius regula vitae
Sunt, quae vir prudens cum ratione serit.
5 Verba ducem sapiunt, qui monstret in omnia sensus,
Seu res cum tenui, sive potente viro est.
Cerne tuam in sortem quid proxima tecta ministrent,
Contiguo si quis vir lare forte manet.
Cum te dura prement, adeas quos esse putabis
10 Fides: plura uno lumina plura vident.
Protinus officium poscas, ut amicus amico
Consulat in medium, fataque dura levet.
Aequis observes animis quid proferat ille,
Si qua nocere queant, si qua iuvare queant.
15 Stulte quid in magni te confers divitis aedes?
Et casa qui sapiat, dat quoque parva virum.
Divite te coram nudas et poplite flexo
Stas, quem dic animum divitis esse putes?
Quin age et ex inopis cista pete quicquid egenus
20 Poscis, hic est genio consilioque potens.
Coelitus est, si cui pleno sapientia rerum est,
Ille suo nutu quid tibi desit habet.
Res perhonesto viro mens pauperi: at ille beatus
Plus est, qui sapit et iugera multa colit.
25 Quod sibi turpe putat vir dives, turpe sit illi
Non minus, et maius fors quoque crimen habet.
Tollit humo virtus: est qui iam sceptrum gubernat,
Cum mendicato vixerit ante cibo.
Usque levat sapiens ratio de paupere villa:
30 Aula rudis caula non simulanter eget.
Si sit, ut in multis, sapiens cor ab axe revulsum,
Negliget et superi iussa colenda sequi.
Sis mundo insanus, cape coelica: praestat id illi,
Quantum sol tenebras vincit in orbe nigras.
35 Ipsa sibi caros industria tollit in altum,
Sunt inter medios corda recocta duces.
Quem sua cura tenet coluisse laboribus arva,

3 Lydius haec lapis — cf. Eccli. 6, 22; Plin. Hist. Nat. XXXIII, 43
16 Et casa qui sapiat — cf. Sen. Epist. LXVI, 2

Ille sibi multas accumulabit opes.
 Sed duce qui coram non naribus utitur, ille
 40 Accumulat capiti multa pericla suo.
 Rebus in humanis melius qui iudicat, et se
 Nil facit, ac tenebris nocte dieque latet.
 Is tantum prodest, quantum thesaurus et aurum,
 Quod sub humo semper ferrea vincla tenent.
 45 Mentis inops lateat, ratio quem nulla gubernat,
 Patribus in mediis ingeniosus eat.
 Verba diserta gregi solers ceu flumina fundit,
 Ac veluti vivo fonte ministrat aquas:
 Integra cui mens est, auditque salubria dicta,
 50 Approbat, et plenis laudibus illa canit.
 Sed ratione carens naso suspendit adunco,
 Quod videt aut audit cum pietate geri.
 Fronte gerens oculos est undique laude celebris,
 Et vivax fama nobiliore volat.
 55 Clara per ora virum sapiens celebratur et audit
 Hic bene, qua steterit foeta corona gregis.
 Haec animae siet esca tuae, de labe remotos,
 Et vigili studio pectora cana sequi.
 Saepe quis ingenio satis acer et omnia lance
 60 Expendit, sed ei cor scatet usque dolo.
 Mens inhiat sceleri, ad fraudem convertit amici
 Vim genii totam, pectoris atque decus.
 Mille modos tenuit versutus corde nocendi,
 Et gerit arbitrio singula facta suo.
 65 Spectat humum cum vult, cum vult se tollit in altum
 Lumine, ut haec fieri pro pietate putes.
 Voce silente diu mos est audire loquentes,
 Ut res alterius callidus arte sciat.
 Heu tibi si dormis, nec ut artes arte repellas,
 70 Doctus es: ad casses te trahet ille suos.
 Si vero ratio est tibi nondum tuta nocendi,
 Sique hodie non est, cras magis aptus erit.
 Tu quoque tela feras, et ad has te oppone sagittas,
 Sunt gestus, his tu certior esse potes.
 75 Ingenium coeleste videt quae corde volutet
 Improbis, et signis pectora caeca notat.

48 aquas *Sir.* aquus

51 naso suspendit adunco — cf. Hor. Sat. I, 6, 5

55 Clara per ora virum — cf. Catull. XL, 5; Liv. II, 36, 3; Hor. Epist. I, 3, 9

Res agit, arridet, gressus vestemque repente
 Mutat, et invitus fert sua corda palam.
 Caeca fames auri fora placat et ora recludit,
 80 Ne maneat partem poena cruenta ream.
 Turba sapit melius variis exercita rebus,
 Mens luctata diu provida verba facit.
 Qui volet esse domi fornaci affixus et auras
 Negliget, in tenebris carpet egenus iter.
 85 Scilicet innumero sapientia venit ab usu,
 In veteri celebris pectore sedit honos.

Elegia XVII

32

De consilio

Admonitu melior potes esse per omnia cauto,
 Facta geri sana si ratione cupis.
 Verba diserta facit cum te sapientior, audi
 Promptus, et ut gressus dirigit ille, mea.
 5 Qui pia contemnunt animo consulta rebelles,
 In scelerum cursu nocte dieque manent.
 Non consulta gerens post turpia facta dolebit,
 Pro vitio poenas sorte abeunte luet.
 Ne fer eo gressus, loca qua salebrosa ruinam,
 10 Qua lapis et scopuli triste minantur iter.
 Et via plana quidem non raro sternit euntem:
 Plana minansque tibi sit via tuta minus.
 Nonne vides natos, qui ludunt fraude parentes,
 Nulla fides illis, qui tua tecta colunt.
 15 Utile consilium dant multi, commoda servant:
 Non semper monitis es minor ipse tuis.
 Non prius accedas, quam sint tibi nota bilance,
 Quae meliora tibi, quae nocitura putas.
 Saepe quis ore favet mendace vel annuit arte,
 20 Ut peragas coeptum, nec pede tardus iter.
 Is tamen haec secum: cur his non gratuler ausis?
 In mea sponte volans retia venit avis.
 Nec cui suspicio te propter vana resedit,
 More adeas, ab eo consiliumque roges.

79 Caeca fames auri — cf. Verg. Aen. III, 57

14 Nulla fides — cf. Lucan. I, 92; X, 407; Auson. Epigr. 92(95), 4

25 Sunt alii, quis invidiae tu causa, nec illos
 Posce, sua ut melius te ratione iuvent.
 Sic male respondet mulier consulta, quid eius
 Hostibus acceptum possit et esse bonum.
 Sic tibi cur pavidus ceu foemina quaeritur armis,
 30 Mascula quo fuerint bella gerenda modo.
 Sic iussus merces emtor voce aestimet ante,
 Ipse tuas, vendis, dicet is, arce gravi.
 Sic tua mercator si vis diiudicet ultro
 Heu tibi quam precium cistula vile feret.
 35 Sic non legitime respondent invida corda,
 Quae bene sollicitos facta iuvare queant.
 Sic et opem perdes, ubi pectora dura rogabis,
 Ut miseros capiat mollior aura reos.
 Sic non Herculeos suadebit turba labores
 40 Languida, cuius iners pectora torpor habet.
 Sic male conductus reddet mercede, penates
 Cui nulli, non sit quando cubare nefas.
 Sic piget oeconomus raro de rebus agendis,
 Annuet hortatu non minus ipse suo.
 45 Hos in consilium non assere doctior usu:
 Sis comes agminibus, donec es orbe, pius.
 His animus veneranda sequi sacra maxima cura est,
 His unus tecum pectora versat amor.
 Fata licet tibi sint interdum devia lapsu,
 50 His placide monitus mox pius esse potes.
 Tunc per eos iussus meliori assuescere vitae
 Facta mali nolis improbus ulla sequi.
 Felix adversis cui fidus amicus adhaesit,
 Dulce, cui dicat, tu mihi asylon eris.
 55 Multa nec in specula vigili hoc armata virum vis,
 Quod sapiens uno lumine saepe videt.
 Nec patris aeterni favor exulet: irrita fiunt
 Consilia, auxilio quae caruere Dei.
 Res quoties peragenda venit, prius adde magistros,
 60 Et nisi consilio seria nulla geras.
 Praebet opus mortem vel vitam, conscia virtus
 Quod gerit, et dictis provida cura notat.
 Lingua necat, confert eadem quoque lingua salutem,
 Pendet ab auxilio spesque timorque suo.
 65 Saepe valent aliis multi bene mente polita,
 Se nequeunt ipsi sorte levare tamen.
 Sunt, qui dicta velint dare docta, sed ore fatigant
 Plus importuno dantque molesta viris.

Ergo a divina bonitate quod exulat, illud
 70 Nil profecturo cuncta labore facit.
 Frustra quis Domino non indulgente resolvit
 Se, vigil ut multas cernere possit opes.
 Sunt, quibus est usu satis experientia longa,
 Illis pro voto prospera quaeque cadunt.
 75 Corde frequens citius, quod avet grex poscat ab illis,
 Et sua consiliis sunt rata vota bonis.
 Lex Domini fano cum sit spargenda ministro,
 Anne solum ferro curvus arare potest?
 Doctor enim in sacras qui vult prorumpere voces,
 80 A rebus vacuas debet habere manus.
 Quem calor in terras animi fert, scindat ut agros
 Vomere, vel bobus pone magister eat:
 Pro calamo scuticam, pro libris portat aratrum,
 Enumerat vitulos voce sonante suos.
 85 Sole oriente quibus det pabula, sole cadente,
 Sollicita haec animis unica cura sedet.
 Sic et ab artifice qui quaerunt aera labore,
 Ut faciant operas noxque diesque monet.
 Cum dat Praxiteles solertia membra quieti,
 90 Nobile cultello sculpere mallet opus.
 Scilicet et noctu manus exit aperta cubili,
 Et statuam digitis fingit adesse suis.
 Dum parat in vanum, vocat hora resurgere lecto,
 Caeca sopor quamvis lumina pascat adhuc.
 95 Hoc facit aere domans validis incudibus aera,
 Brachia cui frangit malleus ante focum.
 Cura animum exercet ne pigra forcipe massa
 Corruat, et poenas ille vel illa luat.
 Iam sonat innumeris circum trux ictibus aures,
 100 Iam versat cineres flamma retenta suos.
 Nulla quies animo, nisi pulcros vertat in artus,
 Quicquid non formam debet habere rudem.
 Arte levi figulus patinas qui format et ollas,
 Tam celerem planta torquet utraque rotam.
 105 Fictile quo placeat vas, applicat ante colores,
 Incrustans vitio tergora nuda suo.
 Heu quoties humeros curvat, quam fiat obello
 Digna uno tandem pulcra patella suo.
 Foetidus irrepit furnos piceasque lagenas
 110 Purgat, ut immundi nil ferat ille locus.
 Sic iuvat artifices magno sudore cohortes
 Officii partes semper obire sui.

Quid facerent amplae tractu sine talibus urbes?
 His hominum series nulla canere potest.
 115 In statione sua remanet tamen omnis, in arte
 Quem sors fabrili iussit habere locum.
 Publica non tractent, quos cura domestica frangit,
 Non opifex teneat scepra verenda manus.
 Mystica pandentes secessum ac ocia quaerunt:
 120 Vatibus est sacris penna liberque labor.
 Est sua mechanicis itidem solertia rebus,
 Quam tamen ingenium dicere sacra vetat.
 Ore potest docto sacra spargere verba sacerdos,
 Sed nequit artificis ferre laboris onus.
 125 Scindere dura valet bene vomere rusticus arva,
 Non ovibus Christi pascua ferre potest.
 Scilicet in propria se iactet quilibet aula,
 Rura colonus aret fortia, mysta libros.
 Quem capit ingeniosa Dei proponere vulgo
 130 Dogmata et alta homini, quae sit ad astra via.
 Is monumenta virum priscorum callet ad unguem,
 Doctus et ante homines, doctus et ante Deum.
 Abdita vel vatum libris rimatur apertis,
 Evoluit studio biblia cuncta pio.
 135 Cogitat in sensus meliores si qua rigescunt
 Intuitu primo, nec satis apta legi.
 Hinc labyrinthaeos evolvit et ordine nodos,
 Ut redeat foetus optima forma novi.
 Regibus ostendit quo vitam tramite ducant,
 140 Quae deceant magnos dedeçantque duces.
 Munus obit clarum, magnos legatus ad urbes,
 Et pede non pigro cum gravitate redit.
 In varias Proteus veluti se vertit et artes
 Cuncta peregrino sub lare tutus agit.
 145 Mane creatorem rerum sub corde volutat,
 Poscit et aeternum voce sonante Deum.
 Proque gregis veniam delictis mitigat ore,
 Non dubio castas pectore dante preces.
 Ac simul has Dominus non respuit, aure sed aequa
 150 Accipit, illi alto spiritus axe venit.
 Hinc medio dictis novit sapientibus uti,
 Ac alios quod sit iusque piumque docet.
 Larga Dei verbis ornat benefacta canoris,
 Aurea cum gratas tollit ad astra manus.
 155 Ergo Deus precibus non tantum flectitur aequis,
 Sed facit optatis pondus inesse piis.

Hac tamen interea reputat sub pectore secum,
 Quae velit in medio cum grege verba loqui.
 Nam vigil aethereis bene temperat omnia dictis,
 160 Resque suo sacras ore frequenter habet.
 Unde rudes vulgi capit admiratio mentes,
 Ipsae cum rerum flamina tanta vident.
 Morte caret sapiens, quod lingua profatur in auras,
 Cumque viro ratio non tumulatur humo.
 165 Nulla viri docti capient oblivia nomen,
 Ingenioque suum stat sine fine decus.
 Mille vides alios, quos gloria nulla salutat,
 Nec vivis etiam fama pusilla manet.
 Ut servent nummi vitam redimantque salutem
 170 Aera reo: miseris sunt sua fata tamen.
 Ingenium contra fugit urnam et busta beatum,
 Et qua dispereat, non erit illa dies.
 Impia carnifices generant consulta dolores:
 Felix, voce alios qui sapiente levat.

Elegia XVIII

33

De stultis

Aspera te duris quanquam sors versat egenum
 Auxilii, nec te qui tueatur adest.
 Te tamen ingenio noli concredere vano
 Consilio, et sana quod ratione caret.
 5 Quos furor extimulat, comites fuge, ne qua redactus
 Tramite decreto conscia damna feras.
 Et saepe indignos sors punit acerba sodales,
 Unius ob fatui facta scelesta viri.
 Munera parva tulit cum fido cantus amico,
 10 Exiguum docto flumine pingit opus.
 Supprimit hoc dictis os stultum quidquid amoeni,
 Munus habet fatua garrulitate suum.
 Quae tibi cunque dabit ratio, quem nulla gubernat,
 Occidit, et posthac utilitate vacat.
 15 Sic fert, ut referant cum foenore dona vicissim,
 Nec patitur munus nomen habere suum.
 Quanta tibi dederit quotiesque, per omnia spargit
 Compita, praeconis voce sonante modo.
 Sole abeunte dedit, nondum redeunte reposcit:

20 Scilicet in tali est munere dulce nihil.
Ergo amens querulum cum se quoque fingit amicis,
Non pudor est tales fundere ab ore sonos.
Fonte ministravi pleno benefacta, nec ullus
Est mihi, qui grates pectore gratus agat.
25 Nec memor ille mei, quem more parentis alebam,
Si memor est, ludos me facit ille suos.
Sed quis eum merito non rideat obuius aure,
Dicat et haec? O quam te malus error habet,
Talia plus animum volitantia tela moverent,
30 Quam si de summo ferrer ad ima gradu.
Evenit id, quibus est rudis intra pectora sensus,
Ut sic praecipites in sua damna ruant.
Vox sine lege cadens quamvis ea proferat ore,
Quae bona sunt: at cum sint sine fruge, gravant.
35 Cui caput est cerebro vacuum, non sentit habenas,
Sic mordax frenis ore repugnat equus.
Vana tamen ratio quoque multis noxia saepe
Damna dedit, miseros fecit et ipsa viros.
Delirus vacuae vertex est aemulus olae,
40 Propter enim rimas nil tenuisse potest.
Illius ex facto cito vulnere diffluit unda,
Ac documenta suo corde fovere negat.
Plaustra vias onerant stultorum sermo capaces
Aure: mel arguti profluit ore viri.
45 De sapiente frequens animo quia concio pendet,
Quicquid ait prudens numinis instar habet.
Lege carent stolidus temere quae verba profundit,
Sic domus a vento praecipitata iacet.
Sanus et amentem quis percipit aure loquelam,
50 Cum nihil ex illa certior esse queat.
Vidi ego, qui vinclis vellet compescere stultum,
Sed vidi, hunc celeri terga dedisse fugae.
Vesano dura pro compede proque cathenis
Optima proferri cum documenta videt.
55 Doctrix armillae vox est sapientibus aureae,
Nec festos animos occupat illa bonos.
Morio tecta subit sine fronte, nec ante salutatur
Hos, data quis ab hero est cura tenere fores.
Ora petunt veniam sapientia, limina tangunt
60 Quam prius, et veniunt iussa venire pede.
Tuque domum lustras per apertam stulte fenestram,

Cum sapiens nectat vestibulum ante moras.
 Ianuam ad est stultum voces captare loquentum,
 Hoc sapiens magnum dedecus esse putat.
 65 Vox sine lege rudis quod habet sub corde profundit,
 Sana diu faucis vox moderatur iter.
 Mentis inops laxat nimis ora proterva cachinno,
 Sed modice risus cor sapientis amat.
 Mille prius redigas in corpus fragmina testae,
 70 Quam cesset stultus pectus habere rude.
 Oscitat ex dulci quem somno corripis ore,
 Et pigra respondent pectora voce: quid est?
 Sic responsa rogans amentis in aëra spargit
 Nil profecturos voce loquente sonos.
 75 Tu pia defuncti qui corpora plangis amici,
 Et culpas rigidae iura severa Deae:
 Hoc lacrymare super cui mentem fata negarunt,
 Ut memor humanae conditionis eat.
 Non adeo veniunt plangenda cadavera, cassa
 80 Lumine, quae sub humo iam fovet alta quies.
 Corda dolenda magis fatui male sana, quod inter
 Nos vivos illi mortua membra gerant.
 Donec ab axe iubar non septima proferat Eos,
 Ad cava busta sedens lumine mittit aquas.
 85 Impius et stultus donec super orbe vagantur,
 In meliore boni pectore flendus erit.
 Quam bene consuluit, qui pauca in verba resolvit
 Os, fatuo coram non capiente sonos.
 Tam male coniungit, sibi foedere quisquis amicos
 90 Eligit, ingenium quis rude, pectus iners.
 Ergo velut pestem fatui commercia vites,
 Dexterâ de maculis commaculata redit.
 Os ori iungens foetenti foetet et ipse:
 In latus adiunctum sudor abire solet.
 95 Integer ut maneat morum probitate, nec ullae
 Damna feras, hos tu destituisse velis.
 Lingua sibi fraudes struit ipsa proterva dolosque,
 Et stulta vir se garrulitate gravat.
 Quid gravius plumbo? plumbum quae brachia portant,
 100 Non humeris fatuos sustinuisse queunt.
 Pondera vel ferri, salis aut pila, grandis arenae
 Mantica sive mihi tam grave non sit onus.
 Quam si cum stulto cogar perferre labores,

62 nectat moras — cf. Flor. IV, 2, 42; Sen. De ira III, 39,2

Et socium iubear munus obire mali.
105 Obluitur paries gypso conspersus amoeno,
Ni contra coeli se tueatur aquas.
Montibus in summis paleae sparguntur ab Euro,
Et sepes alto nulla manere potest.
Quolibet ex vento timidus procumbit humi pes,
110 Neu peragunt coeptas corde pavente vias.
Stultus et in plano cadit, et mox pallet ad umbram
Ipse suam, positum ne gradiatur iter.
Quod prodest nunquam cessat vox dicere prudens:
Constantes animos nulla pericla tenent.
115 Semper ut instabili fertur vaga Cynthia curru,
Sic abit in varias mens quoque capta vices.
Pone tamen metam stultis quicumque propinquus
Officio cupias cum gravitate frui.
Ingenium sapiens pro tempore mutat, et ante
120 Quod prodest, alibi deinde nocere potest.
Cum veneranda virum te cingat utrinque corona,
Ingenium cursus debet habere suos.
Verba piis nimium faciens vox strangulat aures
Stulta, animos ea ceu grande fatigat onus.
125 Perspicuo quoties laxant sua pectora risu,
Peccatum toties fertur ad ora Dei.
Insuper hac nimium dum se tentigine scalpunt,
Multa molesta piis, multa dolenda ferunt.
Aemula corda gerit fatuus versatilis axis,
130 Quam celeri portant quattuor orbe rotae.
Hac illac volucris quia morio mente vagatur:
Compositos error nullus habere solet.

LIBER TERTIUS

ECCLESIASTICI

Elegia I

34

De ira et vindicta

Ante Dei vultus cur audes ire cruento
Pectore, qui Furiis libera frena geris?
Quomodo se facilem tibi rerum praebeat autor,
Cum socios dura conditione premas?
5 Tu quoque talis eris, qualis per te manet alter,
Qui nihil humani sentit inesse tibi.
Heu cui tam fragilis massa est et portio parva,
Cur feritas animo tam tibi longa sedet?
Parce tuis sociis, ut cum clementia flectat,
10 A quo tu veniam pro feritate rogas.
Non prius ob scelus admissum quoque mitigat iras
Numen, quam te aliis sentiat esse bonum.
Quisquis in ultrices flammis ruis impius, in te
Rursus erit vindex, qui colit alta Deus.
15 Nonne vides, tua iam Lachesis quod stamina rumpet,
Cor adamantinum pectore quisquis habes?
Ecquid adhuc vivit tua flamma, manetque repostus
In memori caecus pectore nempe dolor?
Effuge crudeles iras: fugat ira salutem,
20 Non furit in Domini, qui bene lege manet.
Tolle minas, placidoque hominem complectere vultu,
Ut quoque stes ipsum molliter ante Deum.
Irrita ne facias, quae Numen foedera sanxit,
Quod cupit in socios, lenis ut ante sies.
25 Quam tibi sint etiam divini signa favoris,
Et fiat laesi mollior ira Dei.
Lis inimica feris, homini data candida pax est:
Pax est innumeri fons et origo boni.
Bilis amat rixas: agit in discordia fratres,
30 Bella furens animus dat quoque deinde necem.
Ut multas frondes incendia magna sequuntur,

21 Tolle minas — cf. Verg. Georg. III, 421

Et comitatur edax arida ligna rogas.
 Sic fuerit, quanto maior quem perculit oestrum,
 Corde nigro spumans aestuat ira magis.
 35 Saevior est stomachus, cum divitis ora minantur:
 Dat flammis vires, qui sine fine furit.
 At Deus exolvit vice, quid patrantur in illis:
 Quod faciunt aliis, experiuntur idem.
 Non verbosa foro tua tractent iurgia causam,
 40 Censor enim iustus quem verearis adest.
 Res oleumque tuum sub iudice perdis iniquo,
 Ut mala sit palmam causa potentis habet.
 Nil non divitiae vincunt: ne damna reportes,
 Non in iura voces sunt, quibus aera domi.
 45 Aurum et opes capiunt animos et munere magni
 Saepe gerunt reges pectora muta dato.
 Denique nulla tibi captetur rixa furentis,
 Sive domi, comes aut rura per ire velis.
 Pene nihil mortem ducit furiosus, et arma
 50 Sanguinolenta loco muneris esse putat.
 Ni tibi praesidium tutelaque fida sit illum
 Contra, mox vitam finiet ense tuam.
 Heu miserum, tibi nempe tuo cum iudice res est,
 Nemo iura lubens in sua damna citat.
 55 Ira superbiorum post iurgia traicit artus,
 Unde cruor magni fluminis instar eat.
 Tela sed astanti volitantia taedia gignunt,
 Vir bonus irasci cum scelus esse putet.
 Proximus ad flammam gradus est non parcere posse,
 60 Bile calens tepido cor parat ense necem.
 Ex tenui ventus scintilla provocat ignem,
 Mors est in prunas humor ab ore cadens.
 Aurea responsum sequitur concordia molle,
 Calcar et ad stimulos vox inamoena facit.

41 Res oleumque perdis — cf. Plaut. Poen. 201; Cic. Ad fam. VII, 1, 3

61 Ex tenui ventus — cf. Curt. VI, 3, 11

Elegia II

35

De avaritia

Nam quid in aere tuo sita spes est unica, nullo
Sicut egenus opum tempore flere queas.
Frangere tuos animi motus, facibusque repugna,
Est, qui te iusto tempore maior erit.
5 Arbiter est alius, cuius te iuncta sequetur
 Ira repente tuis exitiosa minis.
Ante, nec haec dicas, habui quoque labe gravatum
 Cor, sed me nemo, qui superare erat.
Magna quidem bonitas Domini, sed et aequa facultas
10 E medio quoties sustulit omne nefas.
Si tibi mite semel numen fuit, iraque cessit,
 Ne peragas laetos impius usque dies.
Nam quo lenta magis, tanto venit acrior ira:
 Hinc retices tales ore caveto sonos.
15 Spes veniae quia magna datur non saeviet in me,
 Quicquid agam, bonitas ipsa benigna Dei.
Talia fronte tamen qua verba profundis in auras?
 Differt non aufert tristia fata Deus.
Res male parta tuis vana et fiducia rebus,
20 Nam quo non speres, tempore Codrus eris.
Iunge pares, fuge magnatum consortia parvus,
 Grande tuis humeris ne requiescat onus.
Mille legit partes testam, qui iungit aheni,
 Ariete pulsa suum, cum cadit illa latus.
25 Cui per dulce nefas vis est opulenta, quis, inquit,
 Haec a me fieri non ita poscat inops?
Pauper ad haec musset nisi, et his mox annuat ausis,
 Ipsius lateri vulnera quanta navant?
Ergo dissimulans ferat haec et supprimat ultro,
30 Et grato grates insuper ore canat.
Dum fortuna manet, fidum se praebet amicis,
 Nec tecum pudor est quemlibet esse cibum.
Cum fugit interea sors, multum absumitur aurum,
 A te quam celeri dat sua terga fugae.
35 Dumque volam pedis ostendit, fert pectore plausus,
 Quod miser accepto vulnere flendus eas.
Te tamen ante dolis ita erat complexus, ut aequo
 Acciperes animo, quae tibi cunque daret.
Fraude latent risus: vultus sibi fingit amicos,

40 Qui cupit optatis pondus inesse suis.
 Pinguia promittit, sed fallax munera differt:
 Posce a me, quae vis, signa favoris, ait.
 Iam semel atque iterum te coena vocabit in aedes
 Illius, et mendax hospitis hospes erit.
 45 Hoc tamen in scelerum cursu sua commoda quaerit:
 Ut capiat, miseram area inescat aves.
 Tu vigil haec teneas, ne cum fortuna recedat,
 Te linquens tacito rideat ille sinu.
 Nulla tibi lapsis dabit is solatia rebus,
 50 Conferet in fatum verba scelesti tuum.
 Gaudia nata illis caput ob tua damna movebunt,
 Afficit in sociis corda maligna dolor.
 Ergo time fucum, fuge mellea dicta loquentum:
 Sub viridi coluber gramine dirus agit.
 55 Ut praedam capiat, nostrae sedet aemula vocis,
 Ac veniens fallax corpus hyaena vocat.
 Hoc facit aere potens cum paupere iunctus amico,
 Ut capiat voces, erudit ille suas.
 Trux leo per sylvas animalia dente feroci,
 60 Dilaniat miserum dirus in urbe virum.
 Sunt male summa imis coniuncta: sodalis ut aegrum
 Non humilis, ditem nec vir egenus amet.
 Sic agitur: locuples casurus fulcra ab amicis
 Et quo confugiat, rursus asylo habet.
 65 Quando ruina viro forsitan minuitur egeno,
 Quilibet hunc etiam trudit amicus humi.
 Divitis ad labem consurgunt mille patroni,
 Vix grandi tenuis de bove musca manet.
 Pauperis ad modicum facinus volvuntur aquarum
 70 Innumeri montes, naufragiumque venit.
 Ipse licet caute sua dicta resolvat in aequum,
 Quilibet hunc surda respuit aure tamen.
 Concio tota patens ad verba silentia praestat
 Divitis, et voces huius ad astra vehit.
 75 Ut primum pauper quoque fuderit ore loquelas,
 Sermo volat: quis is est, qui modo verba facit?
 Non ego tunc animos illorum utcunque moverem,
 Irent carnifices in mea membra manus.
 Quae ius possideant, quis opes culpaverit almas,
 80 Divitiae Domino quae sine labe placent.
 Paupertas opifex vitii scelerumque magistra
 Ore docet miserum saepe nefanda loqui.
 Ipse sibi parvus cur Euclio possidet aurum,

Et sua cui servat fulva metalla tenax?
 85 Quippe cui cor edit cura una, ut congerat aurum,
 Detrahit at stomacho debita iura suo.
 Materiem rixae cumulat post fata futurae,
 Dat segetem turpi posteritate gulae.
 Non aliis faciet bene qui sibi parcit avarus,
 90 Escaque cui quoties est capienda, dolet.
 Qui in vultus tristes pallorem sumit ab auro,
 Qui causas timeat, cur sibi semper habet.
 Non habuisse sui curam quam sordida res est,
 Tam Furiae parcos hae bene semper edunt.
 95 Sunt hominum genus, inscia cum benefacta dederunt,
 Tristia mox ideo corda dolere gerant.
 Dignus is est certe, querno qui fuste doletur,
 Cui bene sunt morsus facta dedisse piis.
 Is tenebris vultus obnubilat ante ferat quam
 100 Aequo animo ut miseris commoda dentur ope.
 Obtusum cor habet, nec eum miseratio tangit,
 Ut submersuras allevet ipse rates.
 Semper avarus eget: tacitam sub pectore vulpem
 Semper alit, nudis ut nocuisse queat.
 105 Mensa quod illius coenas invita ministrat,
 Ingemit in mensam pabula quando tulit.
 Praeque labore suo siccas in corpore vires
 Vix habet, ac tenuem quae tegat ossa cutem.
 Cura breves facit haec somnos, ut dives abundet,
 110 Ac tumeant nummis scrinia plena suis.
 Reddit se tenuem membris inhiando metallis,
 Mens vigil ex medio saepe sopore ruit.
 Sarcina talis eum premit, ut qui morbida lecto
 Membra gerunt, quibus est nulla dolore quies.
 115 Dives is est, manuum sibi qui sudore paravit,
 Utiliterque suas postmodo finit opes.
 Pauper is est, manibus qui nocte dieque laborat,
 Semper at in tenui sorte moratur inops.
 Quod sine labe manet fulvum cor negligit aurum:
 120 Qui mortale petit, flava metalla petat.
 Saepe fuit multis furor exitialis habendi,
 Tristia qui capiti damna tulere suo.
 Qui faciunt sacra Plutoni, sitiuntque metallum,
 Hos alto positos praecipitabit idem.

97 fuste doletur — cf. Hor. Sat. I, 5, 23

103 Semper avarus eget — Hor. Epist. I, 2, 56

125 Exitio incautos tabes dat pallida lucri,
 In fera quae Satanae retia quaeque trahit.
 Felix est operum, qui cum sacra dia sequatur,
 Auri multa domi pondera dives habet.
 Adsit is, huc adsit, quoque nos plebs aemula vaturn
 130 Illius in laudes officiosa sumus.
 Rem facit in populo perhonestam, ac inclyta facta,
 Non haec sunt ullo commoritura die.
 Iure viro tali sunt magnae praemia laudes,
 Qui bene divitias cum pietate tenet.
 135 Quem syncerus habet candor, qui fraude remotus
 Est, quamvis posset, non nocuisse studet.
 Huic reditus Deus auget, inops ne quando vagetur,
 Divite sed cornu copia fundat opes.
 Laudibus hunc etiam faciet super aethera notum,
 140 Mente Dei quisquis iussa verenda colit.
 Larga manu miseris qui munera praebuit olim,
 Semper eum praeco fama secunda vehit.
 Illius in laudes totus grex ora resolvit,
 Officiumque bonum dissimulare nequit.
 145 Tam bona non capiet, quem dura tenaxque cupido,
 Quamvis multa habeat, semper egere facit.
 Urbs depinget eum cum tota doloribus aequis,
 Pro foedis merces sordibus illud erit.
 Ore diu memori mores culpabit amaros,
 150 Fataque perpetuo tristia poscet ei.
 Ne diversa semel, mi nate, negocia tractes,
 Sit satis unius muneris esse virum.
 Quippe vias multas compendia nulla sequuntur:
 Posce parum, referunt plurima vota minus.
 155 Quod vigil affectas fugiet: quin corrige curas,
 Non, quod aves animo, sorte negante, feres.
 Nisus in adversum tuus est: patiere repulsam,
 Dum sibi non operae pars vacat illa tuae.
 Divitias labor est multis acquirere multas,
 160 Sed frustra properant, et sine fruge volant.
 Vidi ego, qui modice faceret res, tolleret acres
 Ex animo curas, expeteretque nihil.
 Quam stomacho victus, quam nudo corpori amictum,
 Notitiamque sui, notitiamque Dei.
 165 Mox quater et quoties non est numerare, beatus
 Indulgente Deo, prospera fata tulit.

Hinc tenuit totum rudis admiratio vulgus,
 Qui cita tam misero sors queat esse viro.
 Quem modo tot veluti mala consociata premebant,
 170 Corporis ac animi corde gemente statum.
 Accipe, qui rudis es, sapientior ordo docetur:
 Scilicet a Domino quod venit, omne venit.
 Sors ab eo florens, ab eo sors repit acerba:
 Una manus vitam dat, manus una necem.
 175 Cum volet ille, soli multas numerabis aristas,
 Nil tibi cultus ager, cum volet ille, feret.
 Cui favet Omnipotens, is opes et habebit acervos
 Nummorum, et reditus sentiet usque suos.
 Hic sectatores vitae melioris et aevum
 180 Transactum pure tangere debet honos.
 Sunt quoque non pauci, quos insatiabilis ardor
 Ditat, ut innumeras concomitentur opes.
 Una tamen spes est, unum solamen in istis,
 Proponunt animo cum sibi tale suo.
 185 Sed quid adhuc cesso dapibus iam pascere corpus,
 Cum sint pro voto singula facta meo?
 Nonne dedit nostro praesens fortuna labori,
 Mens mea luxuriae pectore quicquid avet?
 Auri et opum dives satis haec mea possidet arca,
 190 Nonne licet rugas exhilarasse semel?
 Huic ego: quid facis ah demens? tua busta requiras,
 Forsitan hinc iam te lux hodierna feret.
 Longa cui linques turgentis taedia cistae?
 Depositatis fato possidet alter opes.
 195 Dat foecunda bonis bona, si clamore vocetur,
 Floreat ut iusto tempore turba, Deus.
 Sed quid opes, inquis, prosunt mihi dives et aurum,
 Quod mihi larga Dei fudit ab axe manus.
 Sed neque tale sones: et opes ego semper habebō,
 200 Et miser a nullo post stipis aera petam.
 At tu quisquis amas non paucos aeris acervos,
 Fac sint officiis nomina pauca tuis.
 Hoc iuvat imposito cum fructu munere fungi:
 Viribus audentem plura tulisse, nocet.

Elegia III

36

De amicis

Ut sub amicitiae non ficto more sodalem
Aspicias facili lumine quenque tuo:
Et quanquam blandum te sentiat obuius ore,
Quod memor humanae conditionis eas.
5 Non tamen est illis pateas cur totus aperto
Corde, satis gravibus rarus amicus erit.
Te tuumque vito credas e millibus uni,
Erro per immensas ne spatiare vias.
Namque status multos simulant, qui pectore fido
10 Integer et laetus sortis habere solet.
Nemo favet miseris rebus, nec tempore duro
Invenias, qui te forte levare velint.
Posse puta fieri fortunae sole fugato,
Ut nullam posthac experiaris opem.
15 Fidus et ante tuis hostiliter exeat hortis,
Qui iuuet, ut possis vulnera mille pati.
Ille tuae quondam patinae non ultimus hospes
Sortis ad occasus impia terga dabit.
Ritus is est homini: laetis tam firmus adhaeret,
20 Ipse tua ut fictum pectore voce neges.
Munus idem gerit et nudatis imperet ulnis,
Inque tua perfert quaeque labore domo.
Ardua cum fuerint, idem te linquet acerbis,
Et qua tu cuperes, hic tibi nullus adest.
25 Parce quidem iungas lateri cui fucus inhaeret,
Ne sit fortunae pars quotacunque tuae.
Nec fidis etiam pleno des carbasa cursu,
Sunt etenim tuto quae vereare loco.
Sunt tamen a firmo non commoda parva sodali,
30 Quem clypei et turris duxeris esse loco.
Praestat amicus enim thesauro fidus et auro,
Quod minus est hoc ut quam caruisse velis.
Dulcia qui vitae dictis solatia praebet,
Ut sint in casus mollia corda tuos.
35 Munus is est magnum: datur autem sacra colenti
Numina de supero pro pietate tholo.
Dignus amore Dei, quoque talis dignus amore,
Illi iucundos hoc faciente dies,
Alter ab alterius vita compendia sumit,

40 Conveniuntque sibi moribus, ore, fide.
 Munera ne tanti fuerint, ut amicus ob illa
 Exulet, et socii nomen inane gerat.
 Ne qua loco tollant auri tibi fratris amatum
 Praemia, amicitiae foedus ut esse neges.
 45 Tempore ne cultum longo aversare sodalem,
 Nescis successor, quid novus ille ferat.
 Exemplo tibi sit, cum vina recentia potas,
 Plus annosa probas, poscis et ore merum.
 Rem facis huic parilem, veterem si linquis amicum,
 50 Praeteritis rebus gratia maior inest.
 Sicut aves funda lapides qui proiicit inter,
 Amplius in plano nulla moratur avis.
 Non aliter famam qui voce lacessit amici,
 Foedus amicitiae rumpit eumque fugat.
 55 Exere vagina contra ora sodalis et ensem
 Stringe, licet vitium non leve tale rear.
 Eliget ille tamen bis acutam forte macheram,
 Quam se vulnifico sentiat ore peti.
 Verba cicatrices post saepe precantia sanant,
 60 Laesa sed aeterno vulnere fama manet.
 Nil equidem sociis non est placabile caris,
 Praeterquam nomen commaculare bonum.
 Sarcina contemptus gravis est, fastusque sed aequo
 Hoc animo dulcis vir tolerare potest.
 65 Ore tacenda loqui dictis et spargere vulgo,
 Haec sunt officii, turpis amice, tui.
 Quive dolis violant ac tristia fraudibus audent,
 Non fas est illos tam coluisse diu.
 His de si falsae quid possis dicere culpae,
 70 Perpetuo illorum cymba carebit aquis.
 Perfer et obdures in amici rebus egenis,
 Ut simul a duris fata benigna feras.
 Sorte fatigato misera ne turpia vertas
 Terga, nec auxilio destituisse velis.
 75 Par animus, fas est insit par candor amicis,
 Par quoque fortuna sospite sospes amor.
 Res adeo praestans, tibi dulcis cum sit amicus,
 Ut vincat vastus quicquid hic orbis habet.
 Nulla sinas ab eo te rumpere tempora iunctum
 80 Foedere, sed stabili vincula necte fide.

65 Ore tacenda loqui — cf. Hor. Epist. I, 7, 72; Pers. IV, 5

71 Perfer et obdures — cf. Ov. Am. III, 11, 7

Ne qua palam facias illius pectoris ima,
 Hoc e te fidos rursus abire facit.
 Res ingrata tuis manibus cum labitur hostis,
 Non ab amicorum damna minora fuga.
 85 Non reditura volat tenues dimissa per auras,
 Ac sua ne repetat retia vitat avis.
 A te cum dulcem patiaris abire sodalem,
 Quae tibi restituat, nulla futura dies.
 Non est post ea cur divortia pone sequaris,
 90 Exul ob amissam nunc eris usque fidem.
 Ecce tuos cervi penetrarunt cornua casses,
 Fugit et e manibus praeda cupita tuis.
 O quot se fidos simulant, et nomen amici
 Ore ferunt caecos corde fovente dolos.
 95 Verus amor sociis vix est in millibus unus,
 Plurima mendaci nomine turba venit.
 Bilis amicitias semel inveterata repellit,
 Haec est ad fati noxa ferenda dies.
 Ah quam mella fides toto nunc amplius orbe est,
 100 Unde precor tanti fons et origo mali?
 Rebus in egregiis omnes laetantur ovariantque,
 Ac nimio plausu blanda trophaea canunt.
 Pallia nigra gerunt etiam, sed ut ilia pascant,
 Ut fidos iures, dissimulare queunt.
 105 Sors ubi se in nubes glomerat, velut agmine linquunt,
 In quos bacchatur nigra procella lares.
 Tecta subire iuvat nova, purus qua micet aër,
 Ac oculus mundi nubila nulla ferat.
 Sorte tua socius cur non laetetur amoena?
 110 Fas est ut compos fiat ubique tui.
 Fac partem capiat bona quae te cunque manebunt,
 Vera malis miseros non sinit esse fides.

Elegia IV [a]

37

De inimicis

O quam difficile est laetis cognoscere fidos,
 Tantum est in miseris inspicienda fides.
 Nam quoties melior vultu favet aura sereno,
 Turba nimis toties invidiosa dolet.
 5 Cum subeunt nubes coelo Titanque recessit,

Purior, heu celeres quisquis habebit equos.
 Nulla fides hosti, quamvis te voce salutet,
 Os loquitur blande, cor sed acerba foveat.
 Aera licet rutilent, repetunt ferrugine scabra
 10 Pallia, perpetuo nec manet ille nitor.
 Ut rutilo fallax speculo plus fulgeat hostis,
 Mox tamen aerugo foeda redire solet.
 Ad latus hunc iterum dictis adsciscere noli,
 Ne per eum summo praecipitare loco.
 15 De nihilo non est, quod amico nomine fatur,
 Ars haec te celsa sternere sede potest.
 Nonne tuis inhiant vel honoribus illa vel ardent,
 Te nullum tali nomen habere gradu.
 Dicta tuos animos capiant, nec sella caduca
 20 Te tenuis miserum postmodo reddat humi.
 Dum potes avelli, pare mihi quaeso magistro,
 Quid currente iuvat poenituisse malo?
 Fingit amicitiae speciem, cum dulcia fundit,
 Ac tua se simulat fata dolere mala.
 25 Ut flerent, oculos docuit, fictosque gubernat
 Vultus, quos omni fraude carere putes.
 Sed mens interea voluit qui fallere possit,
 Et miser in caveam praecipitare nigram.
 At nisi cautus eas, tua iam praecordia cuspis
 30 Transit, et ex ictu sanguinolenta furit.
 Insuper ut simulet praesens afferre salutem,
 Hostis ubi ferro pone domandus erit.
 Primus erit, lateri faciat qui vulnera caeco,
 Et qui se satiet sanguine, primus erit.
 35 Quanta trophaea canet victor, quot pectore plausus
 Edet, ob occisum gaudia quanta feret?
 Signa notasque dabit concusso vertice risus,
 Diducetque suas ore sonante genas.
 Causa Deus vitae, rerum bone fautor et autor,
 40 Quas gero, fortis opem fer mihi quaeso Deus.
 Hoc iam dum caveo Deus optime maxime praestes,
 Omnia fac hostis vota sinistra cadant.
 Illius effugiam procul hinc feliciter usus,
 Ne mea vita ab eo sentiat icta necem.
 45 O utinam duris esset mea lingua cathenis
 Clausa, fatigatum vocis et esset iter.
 Turpe nihil facerem, sed me venerabile numen

7 Nulla fides hosti — cf. Lucan. 1, 92; X, 407; Auson. Epigr. 92(95), 4

Duceret in cunctas luce micante vias.
 Neu me praecipitem mens ferret in avia cursu,
 50 Neu mala delictis parceret ipsa suis.
 Damna darem nulli, praecordia labe vacarent,
 Nullaque patrarem facta nefanda foris.
 Sic hostile meos casus non cerneret agmen,
 Nec fierem turpis barbariore loco.
 55 Sed manibus rectas lapidem qui mittit in auras,
 Accipit illius vulnere digna caput.
 In tenebris pungens alium se traicit ense,
 In foveam praeceps autor et ipse cadit.
 Ecce iaces, alto qui ne removeere volebas
 60 Impete non uno, quam miser ecce iaces.
 Quod non sperabas, nunc hostis ab hoste tulisti
 Vulnus: in autores damna redire solent.
 Non equidem laetor, quod obis, sed ploro ruinam:
 Una semel cunctis est in amoena dies.
 65 Sunt, qui res peragunt inhonestas propter amicos,
 Quos vel ab his tandem gratia nulla manet.

Elegia IV [b]

38

De elemosyna et mutua ope
aliis praestanda

Non imitere viros, dulcissime nate, tenaces,
 Qui nimis in miseros lumina caeca gerunt.
 Obtusum cor habent in egenos pauperis artus,
 Quos periisse magis tabe fameque sinunt.
 5 Ne facias lusus misere stipis aera petentes,
 Nec mendicatos despice voce cibos.
 Addere vim victo per sortem, pessima res est:
 Triste novus crucians pectora moesta dolor.
 Mox alimenta feras, quae vis, nec differ in horam:
 10 Qui cito dat, bis dat, det mora tarda nihil.
 Aure quiritalus facili cape, pauper ab ore,
 Quos iacit, et querulas corde repone preces.
 Triste nefas oculos avertere quando fatigat
 Irus, humique iacens vilia scruta rogat.

58 In foveam praeceps — Proverb. 26, 27

10 Qui cito dat — cf. Publ. Syr. 321

15 Nonne vides nudus miserabile transigit aevum,
Des, quod ei rerum flagitat usus inops?
Vae tibi si Dominus faciat, relevetur ut ille,
Accusetque tuas corde tenace moras.
At simul afflictis praebebit vocibus aurem,
20 Autor egestatis non minus ipse Deus.
In te de supero sententia lata Tonantis
Tam duras etiam trudet ab axe manus.
Ut quoque te rursus benedictio larga sequatur,
Fer, precor, exiguam pectore pronus opem.
25 Vox ut grata virum referat rumore secundo,
Teque canat, quisquis terrea regna colit.
Fas quoque busta tuis ornari laudibus atra,
Accedant meritis hic benefacta tuis.
Unda domat flammam, nudi miseratio labem
30 Tollit, et ad vultus est via certa Dei.
Cum bene fit misero, gaudet rex altus Olympi,
Nec frustra tenues grata tulisse sinit.
Quippe dat officiis precium cum foenore magnum,
Rebus in adversis cum benefactor eget.
35 De dulci melius meritis mereare sodali,
Ante tibi fera quam stamina Parca secet.
Pro modulo rerum facias super orbe benigne,
Nec rebus cassos destituisse velis.
Tunc etiam laetos ubi vis diffundere vultus,
40 Non dubita meritis pauperis esse memor.
Sic aeterna tuos pertinent gaudia pectus,
Sic videas hilares tempus in omne dies.
Non, bene qui fecit, non compensatus abibit,
Pro meritis capiet praemia quique suis.
45 Fac modo permanes aequus cum, nate, mereris,
Et nihil officio sit, rogo, triste tuo.
Cumque bonis ornas factis, det amica voluntas,
Quae dare vult, verbis gratia dura nocet.
Sole fatigatis ros est gratissimus herbis:
50 Quod ros est herbis, vox id amica viro.
Saepe etiam donum superat responsio blanda,
At pius et facilis vir dare utrumque solet.
Exprobat officium stulte vox rustica verbis:
Invitis meritis gratia nulla venit.
55 Sponte datum sequitur foenus preciumque vicissim,
Nil manet invitas post benefacta manus.
Munera quae te ferre Deus iubet, affer ad auras,
Si tua perpetuo vivere dona velis.

Qui non ante obitus extremaque funera praestat,
 60 Quae praestanda Deo, nil moriturus aget.
 Tunc tibi divitiae nil sunt, nil aeris acervi,
 Quos sudore tuae composuere manus.
 Morte tua trades aliis, et serior aetas
 Gaudebit loculis, ut male grata, tuis.
 65 Fac bene sorte fera parvae stipis aera roganti,
 Hoc iubet aeterni vox veneranda Dei.
 I nunc et caelo monitus bene confer in arcam
 Thesaurum, quo nil maius hic orbis habet.
 Pauperis in gremio cum foenore ponitur aurum:
 70 Felix exiguis qui benefacta dedit.
 Aspera cum res est hoc te deducit egenum
 Ex mediis iterum sorte favente malis.
 Praelia cum rigidi fuerint ineunda Gradivi,
 Id clypeos, hostes armaque tota dabit.
 75 Adde quod est hortus referens cum foenore largo,
 Quisquis in affictos mitia corda gerit.
 Et quamvis dominus det humo sua corpora nigra,
 Mens tamen illius vivet in axe poli.
 Neve malam referas laudem prius aspice cautus,
 80 Cui bene tu facias fataque dura leves.
 Floreat ut totum quondam tua fama per orbem,
 Mentibus officium dulce stet ante piis.
 Si cupias precium, precium te quando manebit,
 Ut peragas laetos laetus in orbe dies.
 85 Vel quia nil ingens vice cum casa pauperis affert,
 A Domino gratum pro pietate feres.
 Munere pro grates quae non agit impia turba,
 In Stygio poenas flumine mersa luet.
 Suffice larga piis exemplo numinis alti,
 90 Nulla alimenta sibi turba scelestas ferat.
 Dignus ut auxilio bonus est in rebus egenis,
 Sic reprobris merito tuque negabis opem.
 Utile saepe fuit vacuos mansisse malignos,
 Qui quo plus teneant plus male semper agunt.
 95 Ergo cum veniet, Cereris tu subtrahe munus,
 Ne scelerum cursus peior adire queat.
 Ne tibi post noceat malus hospes viribus auctus,
 Ne numero certet post benefacta malis.
 Odit et hos ita, qui solium premit altus Olympi,

88 In Stygio Sir. Instygio

92 reprobris Sir. erprobis

100 Perversoque dabit praemia dira gregi.
Omnia, quando damus, non raro perdimus aera:
Utiliter miseros saepe iuvamus ope.
Frater fraternos casus bene sublevat aegris,
Plus tamen adversis corda miserta iuvant.

Elegia V

39

De rebus mutuo dandis

Mutua si dare vis alicui, vigil aera ministres:
Qui cupit, is parcas debet habere manus.
Quo te maiori sunt forsán credita quondam,
Legitimam quando sunt reditura domum?
5 Illa perire putes, quas das utenda potenti,
Culpa sit a magnis quid revocasse viris.
Nobile praestat opus miseris, qui commodat aurum,
Sicut es is socii, quem gravis aura movet.
Vos quoque consortes locupletum divitis arcae,
10 Credite sollicito fulva metalla viro.
Crede, tenes quisquis loculos, qui pondere turgent,
Capsula fer quando poscit inanis opem.
Hoc tibi sed capias alieni debitor aeris,
Praescriptam nolis multiplicare moram.
15 Polliciti memor esto tui, nec tempora differ
Fraude: nefas fictis post habuisse fidem.
Qui semel est laesus, quamvis per numina iures,
Amplius haud aegris indoluisse potest.
Res quoque saepe datur multis, ut tempore certo
20 Possideant, sed qui res retinere volunt.
Credita mancipium dicunt non temporis usum,
Amisisti novus est ipse repertor herus.
Creditor an ne dotis non iure offenditur istis?
Cum res per multas lata sit illa preces.
25 Immemor est, manibus dederat prius oscula dantis,
Voce fere lacrymis deficiente sua.
Qui quod adhuc superat, vitamque per omnia ducit,
Prospera, scit socii munus id esse sui,
Si tamen haec iterum socius sua debita poscat,
30 Ne det, sat causas invenit ille morae.
Heu miser, ut querulus iam tempora culpat et annos,
Iam sunt ex aliis aera ferenda locis.

Reddere cum possit, non reddit, foenora dicens
 Dimidium quamvis vix retulisse velit.
 35 Si dare per sortem nequeat, non amplius ille
 Postulet, et gratis res abiisse putet.
 Ibit in hostiles animos cum debita poscet,
 Alter et effluxi temporis aera petet.
 Tam cito contrahitur vitium, dandoque parantur
 40 Arma, satis magna pro bonitate viri.
 Dira moneta redit, si quae redit, insuper ille
 Det magnas grates, dissimuletque faces.
 Hinc est quod miseris decimus vix elocet aurum,
 Auri sunt ipsi pondera multa licet.
 45 Cogitur hic mendax et vir pius impius esse,
 Ut male perdendas sic tueatur opes.
 At patiens fer eum, qui se debere fatetur,
 Et reddat, curam pectoris esse docet.
 Saepe etiam iubeas pauper sibi credita servet,
 50 Aut ferat auxilium mitior ira moram.
 Profuit haec pietas, ob amicos perditio quiddam,
 Cum teneant loculi pondera plura domi.
 In caeca nummi frustra tellure locantur,
 Magnus cum damno contegit aera lapis.
 55 Occidit, et lapides sibi iam cumulavit ad urnam,
 Amplam ementito qui struit aere domum.

Elegia VI

40

De vadimonio

Plura vadaturus non suscipe viribus, aere
 Pro socii, tua ne pectora frangat onus.
 De corio ne nempe tuo ludatur et auro,
 Supplicium capiti prae sibi triste parat.
 5 Vir bonus officio pro caris spondet amicis,
 Et reus ut non sit, sub cruce vota facit.
 Vir malus ingenio meriti non arbiter aequus,
 Promisso profugus tempore nullus adest.
 Fida vadis probitas est magni numinis instar,
 10 Elocat ob miseros remque laremque suum.

55 cumulavit *Sir.* comulavit

3 De corio *Sir.* Decorio

3 De corio ne tuo ludatur — *Mart.* III, 16, 4

Hoc socialis amor memori sub pectore condit,
 Thure redemptori gratus ubique litat.
 Impius ergo vir est, alii qui causa pericli
 Suppliciique fuit, nec memor illa tenet.
 15 Qui se praestiterit, miser est: haec unice multis
 Magnificas pietas dilapidavit opes.
 Trux veluti montes Boreas mare cogit in altos,
 Cum gravis ad summum volvitur unda salum.
 Sic miseros res illa viros huc iactat et inde,
 20 Ut quid eos olim vix habuisse putes.
 Mittit in exilium magnates, mittit ad oras
 A patria longas ire redire vias.
 Fraudibus expediat si quis se Marte forensi,
 Nec dubitet puram sic temerasse fidem.
 25 Nonne putes dignum, qui trino fuste doletur,
 Restituat plagis ut tua damna suis?
 Quanta potes socio praesta: fuit utile multis
 Ante malum vires consuluisse suas.
 Saepe quis haec fecit, quae non nocitura putasset,
 30 Is citius dicto vulnera mille tulit.

Elegia VII

41

De crapula

Res quamvis vetus est, assuescere plurima ventrem
 In latum dulcis pocula ferre meri.
 Attamen hoc omni plus est a parte fugandum,
 Quam fures media qui tibi nocte nocent.
 5 Heluo cum vitium longo firmaveris usu,
 Cumque frequens fuerit turgida vena mero.
 Pestis erit oculis innata, nec aera manebunt,
 Quae coëmant quales postmodo cunque cibos.
 Tunc ubi iam ieiuna nimis marsupia poscent,
 10 Ut nova visceribus sint alimenta tuis.
 Ni pereas, adeundus erit vir dives, ut aera
 Credat, et eximio foenore carpat opes.
 Illa dies veniet, quae mutua reddere cogat,
 Ni reddas, caeco carcere vinctus ages.
 15 Quem ligo longa iubet purgare vel arva, vel hortos,

25 fuste doletur — v. 35 97

Non sua thyrsigero perluat ora freto.
Ille nequit dives fieri, qui plura ministrat
Ori, exercitiis quam superare potest.
Qui bene composuit quae parva, relinquit acervos:
20 Fontibus ex modicis flumina quanta ruunt?
Dives erit, multos bene qui collegit obellos:
Felix, qui longo parta labore tenet.
Luxuriae comes est paupertas: negligit fastus,
Emergat quondam, qui modo repit humi.

Elegia VIII

42

De paupertate

Haec est commoditas miseris in sorte iacenti,
Parcius ut peccent, cor sine labe gerant.
Non Furias metuunt, nec habent in pectore testem,
Conscia perpetui causa doloris abest.
5 Eloquar humanae series quibus indiga vitae:
Ventre cibus gaudet, suppressit unda sitim.
Qualiacunque gerat nudum velamina corpus,
Stent pluvias contra tecta parata feras.
Si tibi vel tenuis, vel res est ampla, quiesce,
10 Nec pede mille petas non remorante lares.
Res inhonesta suos quoties mutare penates,
Ora, aliena domus vix aperire sinit.
Heu nisi te facilem tribuas epulasque ministros,
Quae iam sunt capiti dira parata tuo?
15 Hospitis est locus, huic tu non parere recuses,
Communes tecum debet habere cibos.
Ergo cito positas onerent nova fercula mensas,
Ito feras etiam fornice dulce merum.
Ni facias, acer Dominus quae verba profundet?
20 Vulnera non faciens vulnera forte ferēs.
Aut exire domo vox praecipitata iubebit,
Hoc nec te, dicet, posse manere loco.
Adventare novos propere iam fingit amicos,
Aut miser hic posthac frater alendus erit.
25 Haec submissa viri sapientis corda movebunt,
Hoc siquidem quoque nil tristius esse potest.
Concoquit hospitium propter tam multa locatum?
O felix, proprio sub lare quisquis agit.

Cum praeter modicum panem nil restet egeno,
 30 Et secum nil quam vilia scruta ferat.
 Nec tamen haec dubitat quis ei subducere technis,
 Nonne vel is latro iure vocandus erit?
 Ergo suis spoliat socii quicumque labores,
 Ense velut miseros trux homicida necat.
 35 Pauper ut est tenuis, tenuem plus expeto vitam,
 Sit modo mens sano corpore sana mihi.
 Possideant alii congestos aeris acervos,
 Et vix prae morbo pallida membra trahant.
 Cur aliquos celebres, claro quod nomine florent,
 40 Et magno positi sunt in honore graves?
 Cur aliquos, quod humi serpant, non laudibus ornas,
 Sed passim turpes ridiculosque facis?
 Parva quidem volucres inter, sed rura pererrans
 Colligit Hyblaeum pendula nectar apis.

Elegia IX

43

De mendicis

O tua non subeat praecordia, nate, malignus
 Torpor, adulanti ne roget ore stipem.
 Sponte sua pauper merito ridetur, et ipsa
 Prae mendicato mors magis apta cibo.
 5 Quem peregrina capit magis esca, quid ille labores
 Curet honorificos, quid piger ille gerat?
 In laudes vigil est in labes nescius a quo
 Pendet, et impuro cogitur ore loqui.
 Dictorum phaleris usus dat dulcia verba,
 10 Grata canit dominis impia lingua suis.
 Commodat, ut comedat, fert, ut ferat, albaque nigra
 Dicit, herosque iocis demeruisse studet.
 In quibus est sapiens animus, non ista sequuntur,
 Quisquis et ingenio deteriore vacat.
 15 At sua pauperies Gnathoni dulcia Hybla est,
 Pro fructu stipulas scurra nefandus amat.
 Tempus erit, vultus quo sors huic monstret acerbos,
 Cum scelus id poenas triste dolore luat.

36 Sit modo mens — cf. Iuv. X, 356

Elegia X

44

De labore

Audi, nec fastu, fili, documenta repellas
Haec mea, ne doleas improbitate tua.
Si qua meis fuerint praeceptis nata iuventae
Commoda, quod spero, tu quoque primus ades.
5 Aetatis tenero subeas cum flore labores,
Semper honorificas res age, sanus eris.
Thesaurus melior, pax aevi vitaeque sospes,
Merces exhausti certa laboris erit.
Pigritia torpens lapidis pars aemula lati
10 Stercore, nam puras non sinit esse manus.
Nam quamvis lympha sordes mundaverit ante,
Mox atrectato squallet, ut ante, luto.
Nec te poeniteat purgare ligonibus arva,
Haec ex divina munera voce geris.
15 Nudus ara, cole nudus agros, sudoris et unda
Corpore lapsa tuo iugera saepe riget.
Si tibi sunt stabulis armenta, in pabula ducas,
Lanigeras pecudes lactiferasque boves.
Cerne quid expediat, si videris utile rebus,
20 Agmen in arcta tuum claudere septa velis.
Post longos miseris qui subtrahit aera labores,
Sanguinolentus homo iure vocandus erit.

Elegia XI

45

De fama secunda

Ut melius de te praesens et serior aetas
Iudicet, et clarus laude veharis anu.
Fac decus immortale tua pro parte sequaris,
Rebus honorificis invigilesque tenax.
5 Nam pavet interitum, quicquid natura creavit,
Orbe nec hoc species ulla perennis erit.
Et repetunt ortus, ortus quaecunque tulerunt,

2 veharis *Sir.* veharcis

15 Nudus ara — cf. Verg. Georg. I, 299

2 laude veharis anu — cf. Catull. LXXVII, 10

Res tamen hic expers funeris una manet.
 Laus ea nomen habet, laus indelebilis aevo,
 10 Laus ab eo, cui te parcere terra decet.
 Splendida quippe viros post ultima fata coronat
 Fama, nec in miseris fertur ut omne vices.
 Hoc retineto magis quam millia divitis auri
 Pondera, quae lethum sunt habitura suum.
 15 Quamvis aut Pylium vincamus Nestora vita,
 Dentque licet laetos dulcia fata dies.
 Illa tamen veniet quondam nox omnibus atra,
 Mors qua nostra truci corpora falce metit.
 Cuncta ferit Lachesis, sed famae parcat honestae,
 20 Haec aeterna viris stamina Parca dedit.

Elegia XII

46

De superbia

Heu pudeat coelum terramque colentibus altis
 Exosum cristis turpiter esse suis.
 Quippe nefas ingens coram patrat utrisque,
 Hi tua membra, sed hos altior aula tenet.
 5 Vis dicam, subeat cur foeda superbia mentes?
 Laudibus a Domino qui fugit, ille caret.
 Qui vera partes cavet a pietate remotae,
 Illo nil totus peius hic orbis habet.
 Inde per immensas abeunt praecordia labes,
 10 Inde seges multi materiesque mali.
 Triste nefas multis damnosa superbia fecit,
 Quam merito Furiis annumerare potes.
 At pater alta colens non turgida corda moratur,
 Elatos lusum ridiculosque facit.
 15 Heu quoties reges sublimi sede locatos
 Deiicit ex alto per sua regna gradu.
 Insigni tenues sceptro et splendore decoros
 In deictorum surrogat ipse locum.
 Sola Dei virtus gentes frenare superbas
 20 Novit, et egregio praecipitare loco.
 Scire licet: multos ima radice revulsit,
 Et iussit regni ponere sceptrum sui.
 Transtulit ex humili non raro pulvere plantas,
 Et claro regum robore fixit agris.

25 Res et opes magnas evertit gentibus olim,
Regna superba nihil iam nisi nomen habent.
Nec minus ergo frutex exaret solis ab aestu,
Cum largas coelo denegat Auster aquas.
30 Nec minus illi, inquam, terras periere per omnes,
Nullius et laudem posteritatis habent.
Ergo qui proceres inter quoque rostra gubernas,
Quem titulum veri regis habere iuvat.
Cautior exemplo fragiles demittere cristas
Disce, nec in fastus pectore surge tuos.
35 Tradita scepra piis pro foedere moribus orna,
Utiliter vitam transige puppe tuam.
Non animos faciant vestes insignibus aureis,
Ne fors in miseros turgida corda geras.
Nec pia quod celsa te numina sede locarunt,
40 Cum fastu populis conspiciendus eas.
Nescis, quid rerum dominus proponat in alto,
Hoc scis, omnipotens omnia mira facit.
Non etiam tutum est sibi consuetudinis usu
Iungere ventosos in sua iura gradus.
45 A pice, quam tangit, digitus defenditur aegre,
Ut teneant puras et sine labe manus.
Discet inhumanas quoque vertice tollere cristas,
Qui sibi cum modicis vivere turpe putat.
Sublimes efflant flammis ex ore superbi,
50 Non hominem credunt, qui modo repit humi.
Omnibus insultant elata fronte, fatigant
Sub pedibus toto quicquid in orbe iacet.
Servat at interea vires Rhamnusia et iras,
Illorumque tenent noxia tela vias.
55 Hoc facit in praedam dulcem cum valle moratur,
Quam ieiuna diu sperat in ora leo.

Elegia XIII

47

De calumnia

Quid sequar hos dictis, qui fas in crimina vertunt?
Iudicioque rudi deteriora probant.
Non illis uno curret fortuna tenore,
Ast ruptae vitiis arboris instar erunt.
5 Arida cum siccis radix est laesa venenis,

Arbor nulla manu poma legenda dabit.
 Non minor illius poena est, qui voce sinistra
 Clam socium pungens toxica dira facit.
 In steriles frustra platanos is transferet hortos,
 10 Non surget siccis frondibus ullus honor.
 Illius interitus spectabit plurimus hostis,
 Fabula totius notior urbis erit.
 Rettulit in melius pia vox, et quicquid acerbi est,
 Mitigat ac dictis extenuare potest.
 15 Ergo cohors illam rursus complexa favore
 Fert in amicitiae iura sacrata suae.
 Nec qui detraxit maculas in rebus amici,
 Pro precio vulgi crimen habebit iners.
 Quippe in eum quondam si ebulliet ira malorum,
 20 Claudetur turpi ianua aperta sono.
 In melius quidam volitantia crimina vertet,
 Patronumque bonis unus et alter aget.
 Ergo cave dictis absentum stringere famam,
 Immeritos casu ne tua lingua premat.
 25 Turpe manu cistis aliena aufferre rapaci,
 Furarique domus tempore noctis opes.
 Turpius est, nomen quisquis spoliatur honestum,
 Hoc potuit nullum plenius esse nefas.
 Hostis ad invidiam si te trux obiicit omnem,
 30 Non est cur maesto corda dolore loces.
 Hostes consilii moliminis atque pudebit,
 Excipient lacrymas ora soluta suas.
 Proiicit autores Deus in mala summa bilingues,
 Seque carere palam quo fateantur ope.
 35 Garrula decrepitae movet iram lingua senectae,
 Qua coram imberbes pauca sonare decet.
 In sua vota Deum cum verbis ora precantur,
 Multa loqui sacrum damnat et odit opus.
 Iurgia ne mecum petulans tu necte susurro,
 40 Non sum, qui flammam augeat igne novo.
 Mens fatui, rogi ut lignis, accenditur ira,
 Quo plus irrites, plus calor ille furit.
 Nullus amor mihi cum sit inertibus esse iocosum,
 Ut dem iucundos voce sonante sales.
 45 Ille meo generi non parcat, et ore soluto
 In lucem stultus multa nefanda feret.

23 stringere *Sir.* struigere

43 iocosum *Sir.* ioco sum

Dispereat sua ridicule qui crimina iactans
 Laetitiam propter turpia facta capit.
 Illius hoc precium est: tota ridebitur urbe,
 50 Et titulo scurrae nobilitatus erit.
 Tu vero damni ne quid patiare, propinquus
 Esca cave levibus per sua verba viris.
 Exosum fallax hominum genus, ore profundit,
 In mediumque diu voce tacenda iacit.
 55 Quem tenet ambitio multarum pessima rerum,
 Ex omni dictis ille favore cadit.
 Qua non insulsus dimittit vocis habenas?
 Eblaterat bucca, quicquid in oris habet.
 Quid loquitur demens, nisi stulta et inepta propinquis,
 60 Frena negat verbis garrula lingua suis.
 Cor quibus est sapiens, trutinant quaecunque profantur,
 Mens bene docta nihil praecipitanter ait.
 Enucleata diu referunt cum lege sub auras,
 Qui melius rebus consuluisse volunt.
 65 De socii fama qui detrahit ore maligno,
 Ipse suo capiti maxima damna parat.
 Non est in numero positus sapiente: repulsam
 Fert quacunquē suos dirigit urbe pedes.
 Os cum fraude loquens et honesta susurro profanum
 70 Nomina commaculans, dirus uterque vir est.
 Longa per hos dulces inter concordia fratres
 Occidit, et fuso sanguine pasta rubet.
 Hac nulla est peior, nec in hunc violentior orbem
 A Stygio pestis proruit ulla lacu.
 75 Haec est paciferae turbatrix nata quieti,
 Haec facit hinc ac hinc multus ut exul eat.
 Diruit haec arces, haec moenia sternit et urbes,
 Sceptra rapit, summo deiicit atque gradu.
 Res populi sortemque fugat, loca dissita longe
 80 Ut petat, et vires nesciat ipsa suas.
 Hinc etiam nocet et castis invisa puellis
 Eripit egregias, nobile nomen, opēs.
 Ut miserae pulcraque comas gravitate carentes
 Sudores plangent nocte dieque suos.
 85 Una tamen spes est, vanae non credere linguae,
 Menteque composita dissimulare nefas.
 Quippe ab ea quisquis gressus abduxit et aures,
 Illius est animis aurea nata quies.
 Nobilis est multa casus vibice flagello,
 90 Et sonticam passus caerulea terga gerit.

Extrahit humorem fera lingua ex ossibus alnum,
 Omnia tosta velut siccaque membra facit.
 Aspera vis oris ferro plus sternit acuto,
 In medio strictum cum furit hoste suo.
 95 O felix, quicumque suum sic transigit aevum,
 Aspera quem dictis vox superare nequit.
 Aegra dolore vacat mens, livor corpora nullus
 Pascit, Tisiphone pectore nulla sedet.
 Non humeris onus impositum grave lassat eidem
 100 Brachia, et exitio sunt iuga nulla suo.
 Non ferro miser aut vinclis religatur acerbis,
 Sed quicumque volet, liber abire potest.
 Ut sit inerme manu genus id, sed voce lacessat,
 Ne sit percussis fama secunda viris.
 105 Plus tamen infelix est, quem fera lingua momordit,
 Aerea quam cuius vincula crura ligant.
 Probra super Stygias cruciant inimica plaudes,
 Flammaque sulphurea vix ita tristis aqua.
 Pectore sed quisquis numen bene suspicit, illum
 110 Vis haec in lacrymas cogere nulla potest.
 Impia lingua cadet sine fruge emissa per auras,
 Nil nocitura suo solvet et ora sono.
 Sacra perosus et a Domini se parte revellens
 Illius in flammis membra cremanda dabit.
 115 Heu quantos ibi cor hoc sentiet igne dolores,
 Non cessaturos perferet usque rogos.
 Ut leo ieiunas dudum se tollit in iras,
 Faucibus in praedam dente secante paret.
 Seu velut ingenti tollit se pondus hiatu
 120 Caeca frendentes valle moratur apros.
 Sic reprobos ad probra truci feritate repulsos
 Ira gravis tandem poenaeque multa manet.
 Quae strepitus vanos edit vox, optima facta
 Ut probro afficiat falsaque verba sonet.
 125 Usque adeo vires hac assuetudine sumit,
 Illius ut nunquam cedat ab ore nefas.
 Lingua velut gustu dulces examinat escas,
 Et cum iudicio tradit in ora cibos.
 Non minus ingenio rapidus studio illa sagaci
 130 Libat, quae fallax voce sonare solet.
 Corde nefas animus versans res ducit ad arctas,

125 assuetudine **Sir.** assetudine

129 rapidus **Sir.** sapidus

Quae fuerant grata conditione modo.
 Mens bene gnara mali dat falsis ore repertis
 Terga, nec in blandos gestit abire sonos.
 135 Excutit ergo foras, foribusque repagula ponit,
 Seque domi falso praetereunte negat.
 O virtus, o prisca fides, cur secula linquis
 Nostra? scatero dolo compita quaeque fides.
 Aucupio simile est, quod nos iam degimus aevum,
 140 Heu modulans miseris fistula fallit aves.
 Os loquitur blande, sed cor agit arte sinistra,
 Pene sit ut nulli nunc adhibenda fides.
 Turba proterva boni culpant ita singula facta,
 Ceu scelus his nullum grandius orbe foret.
 145 Optima quae fuerint dictis in pessima vertunt,
 Alternant subitas pro levitate vices.
 Ex tenui magnus scintilla provolat ignis,
 Hesternusque rogos dat quoque saepe cinis.
 Non ex insidiis blatero discedit, aperte
 150 Ni velut a miseris unda cruoris eat.
 Horum te Furiis citus exime, grande malorum
 Corde nefas volvunt duraque fata parant.
 Heu miserum probris si te premet, ore protervo
 Si tua per ventos nomina laesa feret.
 155 Dentibus infiget famae indelebile vulnus,
 Turpe tibi aeterno tempore nomen erit.
 Ergo mali quondam nil ausa, vel arma moveris,
 Cum velit hospitium tectaque clausa, neges.
 Ne tua perpetuis exurat pectora curis,
 160 Cogarisque tuum cedere forte larem.
 Non imitere sonos dandis, qui largiter edunt,
 Promittuntque levi munera multa fide.
 Vox a pollicitis, a dictis verba recedunt,
 Praesens auxilium cum rogat hora dari.
 165 Ut prius in ventos tollit se fumida nubes,
 Quam rubeo calidus luceat igne focus.
 Tristibus a verbis ita verbera multa resurgunt,
 Ira gravis fuso sanguine tingit humum.
 Non ratio cor habet proba, cum dant lumina nutus,
 170 Ipsa superciliis statque caditque fides.

137 prisca *Sir.* prisca

140 fistula fallit aves — cf. Cato I, 27

147 Ex tenui magnus — v. 34 61

Ut scelus avertas, non audit, abitque furenter,
Ut sibi propositum pectore fiat opus.
Dulcia nam coram te fundit verba, magistri,
Quas gerit egregii, res operasque vocat.
175 Clam struit exitium versutus et omne nocendi
In genus, et culpam te facit esse meram.
Inque novos sensus fallax tua verba resolvit,
Ne sit honos dictis pristinus ille tuis.
Illos ut pestem vel diros execror angues,
180 Illi sunt odio maxima causa sacro.
Illos namque simul coeli regnator abhorret,
Ut nec in aspectu possit habere suo.

Elegia XIV

48

De veritate

Mens Deus est verax, homines in imagine tali
Finxit, et exemplo nos cupit esse suo.
Turpe nefas igitur vanae mendacia linguae
Spargere, falsiloquis fallere corda sonis.
5 Te quoque cum retro quis iusserit ire prophanum,
Ne sis mendaci turpiter ore tenax.
Praestat enim quali se cunque exponere risu,
Et coram se non esse negare reum.
Quam contra verum dictis audentia ire,
10 At, nisi te lapsum verba dedisse, loqui.
Quanta tibi fasso veniet iam gloria crimen,
Quantaque si veniam supplice corde roges?
Quem bene poenituit, vix illum noxa manebit,
Supplicium maius lingua rebellis habet.
15 Si casu digitis oculos quis pungit apertos,
Ex oculos lacrymae mox properanter eunt.
Saepe quis in medio cum coepit dicere vulgo,
Fulmineo tacitum provocat ore virum.
Ut qui se pungi putet, indignatus amare
20 Cor paret, et fantem dicta probare velit.
Passere cum passer, vivit cum turture turtur,
Quaeque suo generi consociatur avis.
Exquirat socios non falsos ore repertos,
Quem pia simplicitas et capit una fides.
25 In fatui causa quod ages, ignobile fiet,

Serviat ingeniis impetus iste bonis.
 Clara nec officium praestare potentia debet,
 Non est conveniens in tua iura cliens.
 Vera tenax urge, non aequum cedat iniquo,
 30 In causa felix est meliore mora.
 Fas defende, tuos animus dum rexerit artus,
 Ut pro te rursus stet pia cura Dei.
 Cum Furiis contra te quis surrexerit, ille
 Vindex latratus non sinet esse ratos.
 35 Iura dolis donisque cadunt violata, ruentque
 Praecipites quibus est futilis aere labor.
 Inclyta semper erit pandentis gloria verum,
 Qua potes in veros ora resolve modos.

Elegia XV

49

De mendacio

Ergo pium cum sit socios non laedere dictis,
 Ne subeant linguae tela nociva tuae.
 Non id amicitiae nomen venerabile suadet,
 Non id sanctus amor mandat et alma fides.
 5 Mendaces animi foetus qui prodit in auras,
 Non illo quicquam turpius esse potest.
 Os sine teste loquens labes est foeda, nec illum
 Intrat, quem fandi copia vana fugit.
 Cui non ad fraudes lingua est assueta dolosque,
 10 Est gravis ingenio sarcina ficta loqui.
 Illa rudes mentes tantum capit, indiga cultus
 In verum sic nos turba proterva sumus.
 Non ego raptores, nec amantes approbo furti,
 Cum contra iustum res hic uterque gerat.
 15 Ast non raptores, nec amantes praefero furti,
 Illis, mendaces quos iuvat esse viros.
 Poena tamen quondam gravis illos auferet omnes,
 Raptor, fur, mendax, sunt cruce digna tua.
 Non redeunt fructus ad falsos ore repertos,
 20 Hoc est, cur multi turpia damna ferant.
 Gloria falsiloquos fugit, et qui labra resolvit,
 Ut fraudes nectat, funere turpis obit.

31 animus dum rexerit artus — Verg. Aen. IV, 336

Exitio multis fuit ars autoribus ipsis,
 Dantur ei rursus, qui dare verba solet.
 25 Est levitas adhibere fidem, sycophanta quod affert,
 Fruge caret, quicquid futilis error ait.
 Heu miseros, quoscunque movent, quae scurra solutus
 Protulit, est scurris credere turpe viros.
 30 Credere turpe viros equidem, sed mollia fraude
 Corda gerunt victi, quando repente iacent.
 Ne tamen ad nugas dulcis laedatur amicus,
 Et ne quid male fors impetuosus agas.
 Multa prius super illa roges, quae percipis aure,
 Parcius ante oculos ire memento tamen.
 35 Voce roga placide coram cur illud amicus
 Audeat, a iusto quod petulanter abest.
 Forsitan haec aliquis cupiens male crimina finxit,
 Martia quo modo tu saevus in arma ruas.
 Si quid alit morbi spem citra, corrige morbum,
 40 Ne furor in cursus exeat ille suos.
 Convenit affari te dulci voce sodalem,
 In te si verbis impius ille fuit.
 Non est, ut fertur, de te sic forte locutus,
 Non labor est illi sic nocuisse tibi.
 45 Aut si tale quid est, rogites, ut parcat honori,
 Ne magis ingenio post vacet esse truci.
 Effice, ne socius tibi longo cognitus usu:
 Cogatur vana de levitate queri.
 Opponunt odiis fraternos impia nexus
 50 Ora, fides animis ne qua manere queat.
 Illos inter te dictis mendacibus armant,
 Ut fera praecipites praelia quisque gerat.
 Saepe pio casu rudis excidit ore loquela,
 Qualem se prudens post sonuisse dolet.
 55 Nemo fuit semper tam iusta lege locutus,
 Ut malus auditor non potuisset ali.
 Iusta tuo prius hic des intervalla furori,
 Quam capias rigida protinus arma manu.
 Ante Dei subeant praecepta, repertus ut ille
 60 Improbis, offensis indoluisse queat.
 Mite cor est Domino, veniamque rogatus amice
 Non negat, et miseros sublevat ipse reos.
 Ille sapit, qui more Dei non punit acerbe,
 Cum lapsos animis poenitet esse malos.
 65 Non sine mente furit, cui sunt pia numina cordi,
 Ira parit rigidos impetuosa viros.

Aurea lex Domini sapienti regula vitae est:
Vir bonus arbitrii nil putat esse sui.

Elegia XVI

50

De iuramentis

Sicne tuam Furiis capit execratio linguam,
Nec cessas verbis dira fovere pio?
Assidue vanas iactas per numina voces,
Nique voces testes, est tibi turpe loqui.
5 Tergore ceu scuticam vestigia dira sequuntur,
Et faciunt nigras crebra flagella notas.
Sic os saepe patens in iuramenta profanat
Cor, et mortifera labe vacare nequit.
Grande nefas Deus est in testem saepe vocatus,
10 Heu miser hoc cordi est, cui levitatis opus.
At Deus in terris periuria punit acerbe,
Ut cadat illorum peste necata domus.
Pro precio clades levibus, quae triste sequatur,
Umbra nefas veluti, disiiciatque malos.
15 Non minus et scelus, et labes quoque venit ab istis,
Qui male dum iurent, tale decere putant.
Iuramenta nefas qui facto examine novit,
Et miseros nulla fronte gravere cupit:
Quanta putas illum de coelo poena sequetur?
20 Praemia capturum pro levitate neges?
O miser, infelix, ut homo periuria celet,
Excutiatque suum corde latente Deum.
Non tamen in caecas Domino sunt pectora fraudet
Caeca, at supplicium perfida lingua luit.
25 Ut quoque damna ferat simulato numine nulla,
Non tamen os veniam turpe loquendo meret.
Ergo Deum testem nunquam sermonibus addas,
Improba si ratio fors tibi corde sedet.
Quem pietas capit, is non frustra iurat ad omnes,
30 Quos modice fas est spargere ab ore sonos.
Improba cum Stygio se vox male devovet Orco,
Exstupet, atque pio stat coma dura viro.
Voce pios fugat, ac teneras non occupat aures,
Quas nimium Furiis taedet adesse mali.
35 Et iuramenti genus est mortale, quod Orco

Devovet Eumenidum seque suamque domum.
Assere Iacobi contra Deus alme nepotes,
Ne qua ferae gentis verba nefanda sonet.
Qui de iusticia, pietate fideque pependit,
40 Is cito periuris dat sua terga viris.
Qui maculis gaudet, maculis foedatur et ipse,
Salvus ab exitio qui fugit esse solet.

Elegia XVII

51

De taciturnitate

Ore tacenda loqui nocet, arcanumque sub auras
Qui tulit, amittet corde patente fidem.
Tota gradum referent ab eo, quae foedera iunxit,
Nullus ei dulcis, nullus amicus erit.
5 Grande manu medica cum sit sanabile vulnus,
Et cum dent veniam saucia corda reis.
Non est, ut placidos iterum sibi speret amicos,
Fassus in urbe palam qui reticenda fuit.
Exitus in dubio cum sit, neque gnara futuri
10 Mens tua, non coram ferre silenda velis.
Consilia ac tacitos retine sub pectore sensus,
Dum taceas, tibi fraus hoc minor esse potest.
Non adeo cui vis tuto te credis amico,
Oris enim praestat frena tenere tui.
15 Aura leves animos, quo vult, ceu turbine perflat,
Ingenium debet fortius esse viris.
Qua via ducit, eunt muliebria corda sinistre,
Pectora constantis nulla procella movet.
Sta solido firmus pede, nec te ducat in ullam
20 Partem, si dubias, te iubet ire vias.
Ore semel dicto solidus ceu robur inhaere,
Seu tibi sors fuerit turbida, sive nitens.
Non tibi proposito vir ab ordine cedit honestus,
Scurra aliud profert stans, aliudque sedens.
25 Aure bibas patula medio quae protulit alter,
Verba refer, sed quae ius pietasque sinunt.
Turpe est, praecipiti nec fas praeferre dolori,
Convenit ingenio reddere tarda bono.

1 tacenda loqui — cf. Hor. Epist. I, 7, 72; Pers. IV, 5

30 Ecquis eas vetuit ne viribus obuius hosti,
 Si modo legitima iurgia lege geras.
 Cum res ad iuris normas direxeris aequi,
 Des operam dictis victus amicus eat.
 Sed nondum victo nullus sit in hoste triumphus:
 Saepe tacendo aliquis victor abire solet.
35 Pondus inest verbis, et sunt sine pondere verba,
 Laus aeterna uno crimen et ore venit.
 Cum qua recensentur, num vera sit ista require
 Fama, nec indicio singula redde tuo.
 Non semel insignem retulit vox garrula cladem,
40 Infamis nemo, qui tenet ora, fuit.
 Rumores capias ut iniquos aure, sodalis
 De macula, in lucem tale tulisse dole.
 Ora tenens nunquam sibi damna paravit: at ultro
 Qui blaterat, culpa fertur et ipse reus.
45 Pectora ni violes reprimendo conscia vocem,
 Et nisi cor laesum relligione putes.
 Non est, cur fidis et amicis illa reveles,
 Utilius tenebris, quae latuisse queunt.
 De quibus ipse minus multo sit certior hostis,
50 Vae tibi, pro dictis aspera si qua feres.
 Promptus uterque quidem praebebit vocibus aures,
 Et cum iudicio singula verba leget.
 Attamen interea mens in te concita motu
 Saeviet, ac odiis te dabit illa suis.
55 Auribus ut captes aliquod rumore sinistro
 Crimen, in arcano tu retineto sinu.
 Tunc etiam tua cum transibit busta viator,
 Non sonet: occulti tu mihi doctor eras.
 Ilia ne rumpat, si quid sub pectore gestas,
60 Non portatori sarcina grandis erit.
 Nec memor infestum duos cor sentiet ignes:
 Mens bene sana domi, mens bene sana foris.
 Vox fatui dictis, ut abortus, prodit in auras,
 Embryo cum menses non habet ipse suos.
65 Ceu lateri telum fixo quod inhaeret, amarum est,
 Sic animos fatuos verba recepta gravant.
 Sunt, qui dum taceant, aspersam demere labem
 Ingenio ac dictis non didicere suis.
 Ast alii pisces imitantur, ut impete lapso
70 Se gravibus verbis expediisse queant.

Hoc faciunt cauti, non apto tempore mussant,
 Praetereant scopulos donec humumque petant.
 Tunc videas illos dare doctae flumina linguae,
 Cum iaciunt medio verba diserta foro.
 75 Cor stolidum nec adhuc formatos edere foetus
 Audet, et ora sonis impetuosa facit.
 O utinam linguam sic ferrea claustra tenerent,
 Ne possit vetitos edere voce sonos.
 Forte locuturo frenos imponeret ori
 80 Huic aliquis nostro, verbaque vincta forent.
 Horror inest animo, ne dictis grandibus usus
 Labar in errores, naufragioque cadam.
 Sed rear, expediat quid multis et sit honestum:
 Altera cum prosint, altera saepe nocent.
 85 Huc agite, o pueri, fatuis ne vocibus ora
 Vos in grande queant praecipitare malum.
 Namque docebo velut praestare silentia rebus
 Utile sit, noceat, si qua tacenda loqui.
 Triste dicax retulit precium causamque ruinae,
 90 Os habuit sternax impia voce cohors.
 Is quoque, qui dictis alios vexavit amaris,
 A sceleris cursu tristis abire solet.
 Non aliter faciens fera crimina, quique superbit
 In laqueos, aliis quos dat uterque, cadit.
 95 Ergo tuos tantum spinosis manibus hortos,
 Ne pateant multis, circumarasse iuvat.
 Libera sed quas vult, cur lingua vagatur in auras,
 Quam plus debebant vincla tenere domi?
 Fortia prima ori sit cura, repagula ponas,
 100 Ne noceant dictis, nec sine lege ruant.
 Vasa bilanx quoties argentea et aurea librat,
 Nil nisi dimensum pendula libra capit.
 Turpe quod ante suo caruere examinè verba,
 Cum recitata semel non revocanda volent.
 105 Donec in ore latent casus perpendat in omnes,
 Provida mens quicquid dicis, et adde moram.
 Heu quoties miser est, qui gaudia praeparat hosti,
 Quae fuerat voti summa caputque sui.
 Est hostes etiam coram periisse voluptas:
 110 Est labi tumidos dulce videre viros.

93 faciens *Sir.* iaciens

88 tacenda loqui — v. 51 l

Tu melius: fuge fallaces nimis ora repertos,
Irrita, qui populi pendet ab ore, facit.
Tu melius: dic hoc, novit rude fingere vulgus,
Non est arbitrii garrula turba mei.

Elegia XVIII

52

De adversis patienter ferendis

Munera, quae gestas, ut sint accepta Tonanti,
Ne tibi deposito subtrahe colla iugo.
Fer mala corde tenax, a spe te nulla revellat,
Vox in diversum si revocabit iter.
5 Quicquid alis carae patiens fer, et omnia praesens
Corde pio fixa spe tua damna leves.
Fide Deo, te difficili qui sorte iuvabit,
Ad Dominum coeli spes bona monstret iter.
Sicut enim calidis rutilum probat ignibus aurum,
10 Cum faber artifice percoquit aera manu.
Aut velut argillam carbo sub fornice durat,
Quam figulus celeri verterat ante rota,
Non aliter quoque nos meliores aspera reddunt:
Quod fas, quae pietas, quae nocuere docent.
15 Ecquid ei insultes, cui mens est turbida? probris
Ecquid in alterius damna trophea canas?
Arbiter est rerum, qui sceptrum gubernat Olympi,
Quem tu derides, ille levare potest.
Fundenti lacrymas spes et solatia praestes,
20 Fle cum flente, malis condoleasque suis.
Nate, sero ne cede statu, sortemque molestam
Mens bona et officii temperet aula tui.
Nemo adeo casu vixit miserabilis unquam,
Ut nequeat rursus surgere sorte sua.

Elegia XIX

53

De tristitia

Cur ita sollicito crucias tua pectora luctu,
Anxia cur gemitu corda rigere facis?
Mens hilaris, mens laeta parit robustius aevum,
Sunt vitae pauci corde dolente dies.
5 Quin celes a tristi squalore profectus in alta
Gaudia, compositae tu quoque mentis eas.
Grandis humi luctus prostravit casibus altos,
Tristia non unum corda tulere virum.
Saepe cadunt moesti, laeti cum vivere possent,
10 Moeror et anxietas nil statuisse queunt.
Dum subeunt curae, gravis ira dolorque fatigat,
Non fuerint vitae fila diurna tuae.
Laeta quies animo neque regia fercula curat,
Quicquid adest, labium cum pietate capit.
15 Corda tenet nullus pavor, et sine turbine mens est,
Aurea sors haec est, aurea vita solo.
Anxietas et res animos perturbat egena,
Cum fortuna nimis fulmina saeva iacit.
Parcius ure tamen miseris tua corda dolore:
20 Felix adversis qui moderata facit.

Elegia XX

54

De desperatione

Sis licet in moestis positus, qua ferrea sors est,
Eveniant animis tristia quaeque tuis.
Non adeo debes spes mittere pectore cunctas,
Amplius ut nullas iam superesse putes.
5 Auxiliis mora forte Dei si longior obstat,
Differt, non aufert tempora laeta Deus.
Ah miseros, Dominus quibus est fiducia nulla,
Aspera, neu credunt, qui levet esse super.
In varias nutant partes, nec pectoris aestus
10 Norunt, quo tandem deposuisse queant.
Heu miseros, quibus est spes omnis ab axe remota,

3 laeta Sir. lata

Nulla salus animo, corpore nulla quies.
 De supero quibus in miseris non pendula spes est,
 Mendacem faciunt corde vagante Deum.
 15 In se confisos Dominus velut arce tuetur,
 Miles et Hectoreas sustinet ipse vices.
 Vae quibus est animus casu deiectus acerbo,
 Pes stabilis tandem fata secunda feret.
 Res homo fortunae cunctis obnoxia telis,
 20 Cum volitant aequis mentibus illa feras.
 Aequare laetus obit, modicis qui fluctuat undis,
 Parva ruina solo, magnus ab axe fragor.

Elegia XXI

55

De somniis

Quos animus malesanus habet, luduntur inani
 Spe, quam concipiunt cum sua membra levant.
 Vana superstitio fatuis oracula pandit,
 Cum lemures noctu mente vagante vident.
 5 Somnia quem capiunt, ventos is captat et umbras,
 Stulte quid in Manes fers sine fruge manus?
 Praeteritae nescis, quod lucis imago recurrat,
 Ecquid et haec rerum dicere vera potest?
 Praeter difficiles in tristi pectore curas,
 10 Nil vaga monstriferae somnia noctis agunt.
 Plebs in nocturnas occumbit credula larvas,
 Ni veniant verbis consona facta Dei.
 Est sat ei vatum, qui pendet ab ore Tonantis,
 Praescipsit Dominus, qua gradiare via.
 15 Sana loqui novit divina statuta capessens,
 Exitiosa nimis devius error habet.
 Somnia quid iactas? quid inania sacra magister?
 Spemque laremque Deo credito, salvus eris.

LIBER QUARTUS

ECCLESIASTICI

Elegia I

56

De correptione

Saepe quis incensus per iurgia culpatur amicos,
Et iacit in medium crimina ficta forum,
Iussit at in rixas tergo vix ire caprinum,
Nec sat festivo proiicit ore minas.
5 Quod reor esse liquet: neque enim sapientis acerbum
In ius insontes aspera lingua vocat.
Malo tuas in me diras per compita voces,
Quam tacito mutum pectore vulnus alas.
Aequo animo poenas tolera: fuit utile multis
10 Crimen ab ingenio non repulisse suo.
Nam velut incumbit quando mens aegra dolore,
Extremique cui funeris hora venit.
Non est conveniens, ut vultus lusibus ant[e]
Illius exhilaret pectine blanda chelys.
15 Sic importuno lacerari tempore nullum
Praestat, et ut sileas, tutius esse putes.
Non est officium populum tum velle docere,
Cum rude privato sub lare tractat onus.
Hostis ubi nullus fertur, discedat ab armis
20 Miles, et in patrio vertat aratra solo.
Ne doceas alios, cum sis rudis ipse magister,
Artibus a vacuo discere nemo potest.
Si culpare voles, a te prius exime culpam,
Primaque vulneribus sit medicina tuis.
25 Res indigna, reus qua iudex praesidet urnae,
Curia ni caveat, crimine iura iacent.
In vitium lapsos qui damnat, et ante tribunal
Mente stat impura, crimen is ipse meret.
Non bene tunc vindex alicui sententia fertur,
30 Pendet adhuc dubio res ubi tota foro.
Ne quod fas dicat, constringitur aere labellum,
Muneribus iudex aequior esse solet.

Elegia II

57

De morbis

Ut nos turba sumus variis obnoxia morbis,
Sic habeas aeger, quam tibi sterno, viam.
Prima tibi fuerit superum bene cura litandi,
Placatus rediit corpora firma Deus.
5 Mentem averte malis, et crimina corde repellas,
Affer et innocua thura sacrata manu.
Dulce Deo facias, et pingues affer honores,
Sicut et is iam iam quem cava busta ferent.
Praesentemque Deum terris quia nata figurent,
10 Tolle moram, ac medicos i pete deinde cibos.
I pete Poenonia medicus cito gnarus in arte
Tentet Apollinea parte levare malum.
Plus tamen herbifero valet ara Machaone, quando
Voce poli Moses supplice poscit opem.
15 A Domino referunt communia vota salutem,
Ut sint aegroto mitia fata viro.
Luce carere aegram praestat quam ducere vitam,
Grata loco tristi mors properata venit.
Fercula lauta velut misero sunt nausea ventri,
20 Et renuit magnos funeris ara cibos.
Sint statuae quamvis Pario de marmore nares,
Non capiet nares suaviter ullus odor.
Dente nihil simulacra terunt, nec fauce recondunt,
Ut stet eis lautis splendida mensa cibis.
25 Non aliter qui plura petit cum plurima cista
Possideat, miser est, nescit et aere frui.
Quippe lues illum fato si vexat amara,
Parcus opum corpus tabe perire sinit.
Tot gemitus edit, quot nummos edit in auras,
30 Ex uno geminus fitque dolore dolor.
Sic iacet imbellis pulcra cum virgine lecto,
Qui nequit in Veneris castra venire spado.
Dumque sciat misero sibi quod sit inutilis ardor,
Ingemit, ac frustra dulce pererrat opus.
35 Res est incolumes invisere grata Tonanti,
Est opus ad miseros currere dulce Deo.

24 eis lautis *Sir.* eislautis

10 Tolle moram — cf. Lucan. I, 281

Digna favore venit maiore cupido levandi
Maior, et a coelo praemia certa feret.
Sit quicumque volet dives, tollatque querelas,
40 Quod vix membra gravi pressa dolore trahat.
Corpus et ingenium sospes mihi gratius auro:
Ditia quam misere corpora morbus habet.
Non ego laetitiam, plus illa exposco secundam,
Non mihi sit maius quicquid hic orbis habet.

Elegia III

58

De medicina

Gnarus Apollinea redametur in arte Machaon,
Est medicis etiam certus habendus honos.
Quid ferat hora sequens, quid vesper serus et Eos
Crastina, tu nescis, novit at omne Deus.
5 Is citius dicto bene sanos viribus artus
Orbat, et in renes spicula caeca iacit.
Una necat, vitam Domini manus altera reddit,
Ut vivas mediis utere nempe datis.
Est medicus coeleste bonum, produxit ab ima
10 Quod tellure suis viribus ipse faber.
Quis putet in modicis lateat vis tanta quod herbis,
Ut referant sanas pro bonitate vices?
Restituant animas, ubi pharmaca dulcia praebent,
Et faciant laeto membra vigore geras.
15 Arte potens, rerum dominis chirurgus amatur,
Admittuntque manus numina Phoebe tuas.
Rex medicum colit in suggesto nixus eburno,
Hinc ope pro multas ille reportat opes.
Te quoque forte decet, quod rex sibi ducit honestum,
20 Si nescis, soboles est medicina Dei.
Tu quoque qui Domino peccasti viribus audax
Ipse tuis, Domino, si cupis esse, lites.
Hinc docti doctas inquire Machaonis artes,
Illius officio vita manere potest.

5 citius dicto — Liv. XXIII, 47,6; Verg. Aen. I, 142; Hor. Sat. II, 2, 80

Elegia IV

59

De generis humani miseria

O homo, quam miser et quam res es plena laborum,
Principium, medium, finis et ipse malus.
Hic lacrymae, labor hic, mors hic venit aspera vitae,
Tunc etiam infantes cum videt aura novos.
5 Usque adeo nemo mundi sub cardine vivens,
Ex omni vitam parte beatus agit.
Sors dominos rerum, sors aspera tangit egenos,
Per variasque vices Craesus et Irus eunt.
Seu canabem duram, rex sive quis aurea gestet
10 Fila, domus cuius cingat honora caput.
Dum se calcari fert, et nos vescier aura,
Communis nostri pendula terra parens.
Semper habet rixas, et iurgia semper in iras,
Semper in invidiam corda cruenta tremunt.
15 Tunc etiam dulci cum membra sopore levantur,
Sustinet alternas spesque metusque vices.
Nam subit interea diuturnae lucis imago,
Et sua sospitis tristis Erinny's adest.
Nocturni terrent lemures, et inania ludunt
20 Monstra, dolor corpus, pectora moeror habet.
Palpitat angusto cor tramite, foedus ab alis
Hircus olet, lacrymis stragula tota madent.
Nunc hos ense minax sequitur, vel perculit hostis,
Nunc illos calido turbine flamma vorat.
25 Non aliter iugulo quam qui sua colla redemit,
Aut qui de media strage remissus hiat.
Mox ubi delusum se lumine cernit aperto,
Vanaque nil praeter monstra fuisse videt.
Heu quantos animo fert plausus? quanta recurrunt
30 Gaudia, sollicito iam pereunte metu.
Hoc genus humanum patitur, genus atque ferarum,
Quod sua cunque pigro membra quiete levat.
Plus decies una tamen aemula nocte recurrunt,
Facta die nequam si qua fuere viro.

18 sospitis *Sir.* sopitis

6 Ex omni parte beatus — cf. Hor. Carm. II, 16, 27

Elegia V

60

De morte

Danda solo lacrymis alii cum funera plangunt,
In lacrymas oculos fer quoque, nate, tuos.
Causa tui subeat fletus, bona mille per atrae
Quod Furias Parcae iam tibi adempta putes.
5 Si nitidum dederis moestam velamen in urnam,
Mandet et exequias summa parare dies.
Frigida non dubites inferre cadavera tumbis:
Defunctis etiam publicus extet honos.
Si fuit officio tecum coniunctus et usu,
10 Ex oculis large decidat imber aquae.
Sufficiatque dies vix unus et alter obortis
Fletibus, haec pietas corda aliena capit.
Ne quis ab officio te cedere dicat honesto,
Signa tui luctus moesta doloris habe.
15 Dulce rudimentum populo dabit illa sinistro
Forma: quis ex lacrymis non putet esse pios?
Meta tamen lacrymis obstet post funera veris,
Neu cor ad extremum sentiat aegra tuum.
Scilicet hoc iterum quod profuit ante nocebit,
20 Iam bene sufficiat iusta dedisse suis.
Carpit enim vires moeror, mortemque propinquam
Reddit, et in multos non sinit esse dies.
Immodicus tua corda dolor non occupet, aestu
Ne medio pereas, ipseque forte cadas.
25 Non ratio dulces reparandi est ulla sodales,
Non quis ab infernis rursus abire potest.
Tunc sat amicorum fati lacrymisque dedisti,
Cum requies illos sub pede dulcis habet.
Ille quod est hodie, tu cras potes esse dolendo,
30 Mors mortem sequitur, nex nece nulla caret.
Aspice te rursus, te consolare iacentem,
Quod quem deploras axe receptus agat.
O inamoena dies lethi statione secunda,
O quam difficile est, hic bene posse mori.
35 Cum properas, currusque paras, navesque Charontis,
Felici ac diti maximus horror ades.
Parca mane, intervalla rogant, quis aurea sors est,
Nulla dies quibus est aspera, Parca mane.
Parca veni, quibus est hoc durum vivere mundo,

40 Vita quibus tristis, mors peramoena foret.
Cui desunt vires, rebusque laborat egenis,
Quaerere quem victus curva senecta vetat.
Amplius et nullam qui sperat in orbe salutem,
Quique suis lacrymis quod facit omne rigat.
45 Ille, o Parca, tuas ultro se volvit ad aras,
Fert pertaesa diu fila secanda tibi.
Non animos atra solvit formidine mortis,
Qui bene quod sit humus glebaque novit homo.
Lex ea coelestis, fato pereamus ut omnes,
50 Terra quibus genitrix est rudis atque lutum.
Perque gradus alii succedunt, cum gravis urna
Fert alias, tumulo iustaque summa facit.
Cur igitur quoque tu dum sis obnoxius illis,
Non bene composita funera mente feras?
55 Mille solo dulces etiamsi vixeris annos,
Illa tamen semel est hic adeunda palus.
Scilicet hoc aevum nil fata novissima curant,
Pendet ab arbitrio vitaeque morsque Dei.
Terra quibus genitrix iterum vertemur in ipsam
60 Terram, ac interitus nescia nulla manent.
Sic mare, quas mittit, recipit concursibus undas,
Sic repetunt ortus flumina cuncta suos.
Sors hodie floret, Borea cras obruta marcet,
Alternatque suas lubrica Diva vices.
65 Fide minus, radios dum sol tibi praebet amicos,
Ne mox horribili lumina nocte tegat.
Scinde tuos iterum luctus, nam purior aura
Iam reparare potest Cynthus orbe diem.
Tempus erit, quod concilium ad commune vocabit,
70 Omnes clausa soli quos monumenta tenent.
Tunc rediviva imis prodibunt membra sepulcris,
Illos tu cernes lumine quosque tuo.
Se vindex hominum factis accommodat aether:
Pro meritis venient spesque metusque suis.
75 Fasque nefasque Deus tunc aequa lance probabit,
Nemo foret meritis plusve minusve suis.
Hora brevis miseros luctus in gaudia longa
Vertet, et in tristes omnia laeta dies.
Praemia post fatum veniunt, ceu corporis umbra,
80 A summo merces funere vera datur.
Ergo quid ante obitus tu dicas ore beatum?
Pendet ab extremo gloria vera die.
Iudicium patris a fato de prole resurgit,

Candida propter eum tempora natus habet.
 85 Ut sit dura, tamen vestis consumitur usu,
 Vix ut ea sordes tollere calce velis.
 O miseros, dulces ubi vix bene vidimus auras,
 Lux brevis in tenebras, nos modo rursus agit.
 Lata semel lex est mortalibus ista, reversi
 90 In ventrem redeant matris, humumque petant.
 Est caro nostra novi prato nimis aemula fani,
 Mane novo quod stat, sole cadente cadit.
 Busta locum bustis cedunt, aliisque peremtis
 Mox alii subeunt, ut nigra regna petant.
 95 Sic folia ex foliis nascuntur in arbore verna,
 Sic alio pulsum gramine gramen obit.
 Flos et homo vitae communi sorte tenentur,
 Ad Boreae rabiem fractus uterque perit.
 Cui statio de more data est variabilis herbae,
 100 Non res aeternos sentiet illa dies.
 Haec quoque fata manent, qui non mortalia temnunt,
 Cumque labor fabris, cumque labore faber.
 Esto memor vitam quod mors haud tarda sequatur,
 Non est qua lethum lege tenere queas.
 105 Illa, diu nosti, quo tecum foedere pacta est,
 Quo minime credis tempore Parca venit.

Elegia VI

61

De Veteris Testamenti patribus

Nunc etiam veterum canimus monumenta virorum,
 Iam seriem quorum continuare iuvat.
 Hinc priscos coelum tollemus ab orbe parentes,
 Quantum per laudes ars animusque valet.
 5 Nam Dominus per eos terris illustra gessit,
 Saepius et populis facta stupenda dedit.
 Mox ubi telluris nova sceptrata tulisset Adamo,
 Omnibus ut placidos poneret ore lupos.
 Hinc alii ex aliis tenuerunt regna potentes,
 10 Numina qui vasti clara fuere soli.
 Illorum nunquam perdet laus inclyta famam,
 Semper eis nomen, gloria semper erit.
 Egregias populis leges ac iura dederunt,
 Sensus ac census huc retulere suos.

15 Vaidica affari lingua potuere futura,
 Sedibus aethereis mente fuere diu.
 Multa gregem sanctae docuerunt mystica legis,
 Ut colerent vera relligione Deum.
 Ad cytharae cantus digitos ac ora moventes,
 20 Finxerunt docto gutture dulce melos.
 Aurea iunxerunt blandae modulamina linguae,
 Nulla dies illis laudibus absque fuit.
 Quin et opes magnas habuere favente secunda
 Sorte, nec ingenio defuit altus honos.
 25 Addita praeterea pax est, nec publica cladem
 Nex alicui Martis dura per arma tulit.
 Profuit haec pietas aliisque sibi que quod omni
 A memori digna est posteritate cani.
 Semper honos illis, uberrima gloria semper,
 30 Semper eis nomen fama que semper erit.
 Impia sed nullo se gens extendit in orbe,
 Cui cum morte sua concidet omne decus.
 Umbra vagabatur velut et sine nomine corpus,
 Nil erat in vita, mortua iamque nihil.
 35 Damna manent eadem natos omnesque nepotes,
 Ut teneant vitae tempore nomen iners.
 Fata piis meliora, et qui nascuntur ab illis,
 Nomen habent, triplex qua patet orbis iter.
 Ipse memor pacti semper Deus aequa rependit
 40 Praemia, quae nullo sunt peritura die.
 Candida posteritas legit vestigia patrum,
 In quorum sancto foedere fixa manet.
 Inque alias transit proles cum semine sensus,
 Ut bene perpetuo fasque piusque colant.
 45 Usque sed istorum sua stirps de stirpe vigebit,
 Secula quae superet copia semper erit.
 Fama que non aliquo vel laus intercidet aevo,
 Amplius in nullum nomen in urbe ferant.
 Pacifico multos quoque mors iam funere mersit,
 50 Nominem qui volitant clara per ora virum.
 Usque quod ingenium hi memorent, animosque loquentur,
 Urbis eos dictis concio tota canit.
 Dulcis amor magno fuit illa corona Tonanti,
 Quam ceu delicias iam fovet axe suas.

36 tempore Sir. lempore

50 clara per ora virum — cf. Catull. XL, 5; Liv. II, 36, 3; Hor. Epist. I, 3, 9

Elegia VII

62

De Enoch, Noa et Abraham

Tu mihi principium, Jarides, carminis esto,
In quem nil habuit iuris acerba dies.
Te pater humanis exemit corpore rebus,
Cum bene vivus adhuc clauderet ossa calor.
5 Perdere nam terras voluit fatalibus undis,
Ut mundi triplex obrueretur opus.
Ergo ne fluidis fieres quoque piscibus esca,
Te celer in coelum raptus ab orbe tulit.
Ut scelerum cursu metam posuisset, et ante
10 Diluvium melior turba nefanda foret.
Has quoque Lamechi vitavit filius undas,
Quod coleret pura fasque piumque fide.
Quippe ubi iam Dominus iactaret ab axe procellas,
Ultricesque nimis praecipitaret aquas.
15 Ligna tunc Noham supra cum prole ferisque
Ac sociis siccis flumine capsula tulit.
Eluit ira Dei pluviis ultricibus orbem,
Salva sed in rapidis arca natavit aquis.
Eversas hominum post res nova foedera sanxit
20 Isto cum, sicco mitis in orbe Deus.
De solio magni cum voce sonaret Olympi,
Quod posthac terras perdere nolit aquis.
Nam scelus humanum si sit cum labe futurum,
In calidos quondam debeat ire rogos.
25 Inde pater sequitur numerosae proles Abramus,
Quo multus toto clarior orbe fuit.
Tanta viro meritis maiestas, gloria tanta
Iuste ut eum divis annumerare queas.
Iussa Dei fecit, nec in avia gressus iniqua
30 A Domini sacra voce reflexit iter.
Ergo pater patrem tanto complexus amore est,
Tanto et eum dignum duxit honore Deus.
Iungeret ut dextram dextrae, foedusque pararet,
Quo pia posteritas posset et ipsa frui.
35 Tunc etiam stabilis mansit, cum dia iuberet
Dulcia filioli colla secare patrem.
O duplex animi decus, o vis mascula, salve,

tit. Enoch — Gen. 5, 22; Eccli. 44, 16 / Noa — Gen. 6, 8; Eccli. 44, 17 / Abraham — Gen. 17, 5;
Eccli. 44, 20

Humanae primum dulce salutis opus!
 Iure tibi magnas canimus nos gens quoque grates,
 40 Turba solo per quem iam benedicta sumus.
 Sacra tuos olim vox late extendit honores,
 Pollicita est digitis secula multa tribus.
 Verba fides sequitur nostrae quod carnis amictu,
 Natus in orbe fuit filius ipse Dei.
 45 Hunc fidei cupidus quicumque amplectitur alis,
 Sede poli vivus sicut Abramus ovat.
 Sed numero non est illos comprehendere certo,
 Quos iam Thariadae semen in orbe beat.
 Pulveread citius dictis numerabis arenas,
 50 Astraque flammigerum quae per inane micant.
 Quam populum inde satum vario sub cardine mundi,
 Qua mare ter siccum lambit et ambit opus.
 Oceanum supra vagus incola degit et infra,
 Ille Palaestina dulce levamen habet.
 55 Illa boni series gentes est missa per omnes,
 Filius accepit foedus, Abrame, tuum.
 Sors eadem late patre natum misit Isaco,
 Ipseque pollicitis dives Iacob erat.
 Haec sacra magnorum populos tria lumina patrum
 60 In bis sex classes distribuere suas.

Elegia VIII

63

De Mose

Nec te legifero Moses haec nostra tacebit
 Musa, quod ex illis tu quoque nempe satus.
 Fama olim de te volitavit ad omnia mundi
 Compita, lativagi qua iacet orbis opus.
 5 Nomen es aurorae statione repletus utraque,
 Ac tua quem fugeret gloria nemo fuit.
 Te coluere homines, Deus est dignatus honore,
 Splendidus ut titulis usque ferare tuis.
 Te decus egregium, te nomen ad astra levavit,
 10 Non minor est veterum sors tua sorte virum.
 Te Deus ad summos apices promovit honorum,

49 citius dictis — v. 58 5
 tit. De Mose — Ex. 2, 10; Eccli. 45,1

Te Dominus rerum fecit et orbe deum.
 Te, velut agna lupum, Mars impius horruit armis,
 Ut daret infami terga pudenda fugae.
 15 Tu quoque vel verbo miracula quanta dedisti,
 Ut te mortales vix genuisse putem.
 Te clamore duces, te regum sceptrā vocarunt
 Alloquio, cunctis non adeunda viris.
 Iussa dedit populo Deus ipse ferenda frequenti,
 20 Atque tuis humeris grande paravit onus.
 Nam tibi monstravit maiestatemque verendam,
 Quaeque sibi placeant displiceantque Deo.
 De grege selectum posuit statione verenda,
 Axe probaretur quod tua nempe fides.
 25 Quodque ubi nunc humili te limo tollere vellet,
 Ut regeres dominos legibus atque domos.
 Respueret claros tua magna modestia fasces,
 Viribus et maius diceret illud onus.
 Nunc audire sacras coram, nunc reddere voces
 30 Tu poteras, vultus, nube tegente Dei.
 Ipsa manus leges vitae quas dia paravit,
 Qui caperet manibus, tu quoque primus eras.
 Ut gentem, Iacobe, tuam ratio ista domaret,
 Ne posset pacti non memor esse tui.
 35 Ut veneranda statuta genus de stirpe profectum
 Israel coleret fasque piumque sequens.

Elegia IX

64

De Aarone

Hinc fratrem titulis et honoribus auxit Aronem,
 Ut caperet consors munus idemque sacrum.
 Namque Levi pronepos fuerat germanus uterque,
 Dum subitura Levi stirps sacra fana foret.
 5 Nec minus iste suo prae fratre celebris agebat,
 Officio quamvis esset et aede prior.
 Tradidit aeternum populis cum munere foedus,
 Ut fierent per eum dulcia sacra Deo.
 Ergo sacerdotis iam nomen amabile nactus,

5 prae fratre Sir. prae fratre

tit. De Arone — Ex. 4, 14; Eccli. 45, 7

10 Clarus honorificis vestibus aede stetit.
Corpus et egregio pictum velamine cinctus,
 Quam tunica celebris multicolore fuit.
Zona sacros gyro circumdedit aurea lumbos,
 Quam vix artifices mille dedere manus.
15 Omnia magnificos senserunt membra ministros,
 Gessit et in toto corpore dulce decus.
Illa stolam texit longam thoraca, sed illam
 Pars, femori egregio nobile tegmen erat.
Mille latus bullae cingebant fortiter aureae,
20 Edebant circum cymbala mille sonos.
In medio fani reddebant omnia voces,
 Fornice sub sancto cum graderetur herus.
Tunc ubi gratanti grex voce cieret euntem,
 Et memori coleret corde sonoque Deum.
25 Arte laboratam vidisses ordine pallam,
 Res tibi mira foret textile semper opus.
Aurea fulgentes hyacinthos fila tenebant,
 Lucida claudebat nil nisi gemma latus.
Purpura subter erat, lanaeque holoserica pallae
30 Aemula, Phryx doctas undique habebat acus.
Parmula servabat torto praecordia cocco,
 Nobile contextae quod caput artis erat.
Bis sex impositos lapides totidemque gerebat
 Levigenum medio litera sculpta tribus.
35 In solido manus artificis quae clauserat auro,
 Ne quondam illorum nomina surda forent.
Lamina de fulvo rutilabat fronte metallo,
 Ornabat castas infula sancta comas.
Denique vidisses nil non laudabile, nil non
40 Egregium, nil non dulce decore suo.
Sic ea praeteriti superabant omnia secli
 Arte, opera, ingenio, lege, labore, gradu.
Non tamen utendi cuivis fuit aequa potestas,
 Deme patrem tantum, pignora deme tori.
45 Solus enim genitor, proles, serique nepotes,
 Omnibus his poterant tempus in omne frui.
Bisque die calidas faciebat sacra per aras,
 Addebatque piis pinguia thura focis.
Illius implerunt holocaustis cornua palmas,
50 Unxit balsameo frater odore caput.
Officium sine fine dedit, prolemque futuram
 In patrias olim iussit abire vices.
Ne qua tamen dubiam turbarent secula mentem,

Hoc Deus aeterno foedere sanxit opus.
 55 Ut series ventura sui post fata parentis,
 Panderet in populo mystica sacra Dei.
 Alternas coelum donec versatile luces,
 Quadriiugis Phoebi spargit in orbe suas.
 Omnibus ex illis, vitales aetheris auras,
 60 Qui cum carcebant, lectus in orbe fuit.
 Ut Domino supplex iustus adoleret honores,
 Vel daret in mediis exta cremenda focus.
 Aut bene thuricremos flammis adoleret odores,
 Placerentque poli grana Sabaea Deum.
 65 Iussit eum sacri proponere mystica verbi,
 Foederis ut tua gens certa Iacobe foret.
 Ut rude formaret Iudaea per oppida vulgus,
 Quid Domini vellent saxea verba sui.
 Invidiam patitur quem sors virtusque levavit,
 70 Obvia res odiis, cui Deus ipse favet.
 Vasta tamen quamvis illi male vellet eremus,
 Livida cum nimium plurima turba foret.
 Ex quibus incesto nati de semine Ruben,
 Germani duo fax et tuba tristis erant.
 75 Cumque Abirone Datanque truci cui nomina fecit
 Calvicies, odii plurima signa dabat.
 Ipse tamen Dominus crudelibus obstitit ausis,
 Noluit et viso praeteriisse malo.
 Indigne tulit, et iustam commotus ad iram,
 80 Mox domuit poena conveniente scelus.
 Hos etenim terrae vindex absorpsit hiatus,
 Atque suo miseros utre reclusit humus.
 Ut fierent aliis exemplum ac horrida monstra,
 Perpetuo Stygiis monstra cremanda rogis.
 85 Adde quod ulterius Deus ipse beavit Aronem,
 Gloria cum titulis esset et alma comes.
 Terra satu prisco quaecunque benigna tulisset,
 Mancipium sacris vatibus illa dedit.
 Cultor et antistes ararum vivat ab aris,
 90 Dona sacerdotes pingua semper amant.
 Is Cererem fido retulit pro munere largam,
 Passa nec illius turba secuta fanum.
 Nulla soli tenere tamen quod iugera passim,
 Ne commune gregis ius habuere sui.

76 dabat Sir. dubat

95 Causa patet, Dominus patrimonia multa recondit,
Si cui terrarum portio nulla datur.

Elegia X

65

De Phinea

Ergo nepos Phineas tandem successit honori
Tertius, et patrios coepit inire gradus.
Tunc Eleazer ubi genitor discederet orbe,
Perque manus nato traderet omne suo.
5 Aemulus ingenti punivit is impia zelo
Facta, sacerdotis nomen ut aede tulit.
Corde stetit cultus contra ceu murus inanes,
Sumsit et admonitu pectoris arma sui.
Tum quoque cum populus nova sacra secutus iniret,
10 Nec Domini vellet iussa verenda sequi.
Effera tunc oestro divortia plexit acerbo,
Fecit et in solitis vocibus ire viis.
Tanta viro virtus, tantus fuit ardor ad aras,
Pro meritis ergo fata benigna tulit.
15 Nam genus Isacidum postquam placasset, et armis
Tristibus exisset Martis amica soror.
Aede togam sancta sumsit pulcerrimus, arcam
Foederis et nactus posteritasque fuit.
Magna quibus templi res et sacra cuncta tueri
20 Ad superosque fuit ducere cura gregem.
Post haec in sobolem fastigia duxit honorum,
Quam titulos etiam iussit habere suos.
Rex a patre genus qui duxit Iesse verendum,
Sic etiam foedus ceperat ante suum.
25 Eius in aeternum natus de semine Iudae ac
Oppida per sacrae solus haberet opes.
Non alia de stirpe satus data rostra teneret,
Praeter quem David rex genuisset herum.
Non aliter quoque posteritas debebat Aronis,
30 Sceptra sacerdotis rite fovere sacra.
Ut rude nos genus eloquio dictisque verendis
Efficerent superi noscere iussa Dei.

Semper eis tituli maneant, laudesque perennes,
Sentiatur aeternos fama decusque dies.

Elegia XI

66

De Iesu Nave

Frena dein cepit bello fortissimus heros,
 Omne coniunctum cui bene nomen erat.
Quod sibi commissos armis victricibus ille
 Assereret populos, laeta trophaea ferens.
5 Dictus Iesus erat Nav[e], post secula Mosis,
 Miles et ingenio vaticinante fuit.
Irruit infestos acerrimus ultor in hostes,
 Ne patrias aras perderet atque focos.
Sub solita Domini grex libertate maneret,
10 Posset et adversi sustinuisse nihil.
Turba sibi victrix ab eis spolia ampla referret,
 Seraque posteritas dives ut inde foret.
Gloria stat merces aeterna viriliter auso,
 Busto ac interitu mascula facta carent.
15 Talis eum tetigit quoque sors, cum stringeret ensem,
 Sub Iove lassarent aera corusca manus.
Cuspidis horrendam faciemque opponeret urbis
 Moenibus infestis, et fera signa daret.
Non animis melior, non illo audentior alter,
20 Qui tam Bellonae forte patrasset opus.
Magna, tamen res vera: illo pugnante tenebat
 Nil profecturum sol iter ipse suum.
Una dies imitata duas mirantibus astris
 Tempore sub noctis sparsit in orbe iubar.
25 Aurea tendebat geminas ad sydera palmas,
 Sollicitae pondus mox habuere preces.
Omnipotens, qui sceptrum poli moderatur, et axem
 Versat, in auxilium venit opemque tulit.
In medios hostes volitantia ab aethere saxa
30 Grandinis et spissas eiaculatus aquas.
In sua tela ruit gens effera, humumque momordit:
 Heu miser est, contra quem gerit arma Deus.

tit. De Iesu Nave — Eccli. 46, 1

21—22 tenebat sol iter — Ios. 10, 12—14

29 volitantia saxa — cf. Ios. 10, 11

Si qua manus lapides quoque sustinuisset et imbres,
Occidit in media sed tamen illa fuga.
35 Ergo feros notus populos Deus esset ut inter,
Pro grege pugnavit fortiter ipse suo.
Victor erit certe superus cui militat ordo,
Hostes tela poli qualiacunque necant.

Elegia XII

67

De Caleb

Iam quoque de bis sex exploratoribus ille
Nunidae socius laude vehendus erit.
Tempore cornigeri quod vatis fortiter ausus,
Virtutis dederit plurima signa suae.
5 Namque Iephoniades Iosuae sociatus in armis,
Corripuit saevi murmura dira gregis.
E medio Furias ac vulgi sustulit ausus,
Ne rueret contra seditione Deum.
Praemia fert pietas vel in hoc praestantia seculo,
10 Impia colluvies tristis obire solet.
En modo ter centum caesis de millibus, istos
Terra duos tandem sacra per arva tulit.
Hic ubi lactis eunt et puri flumina mellis,
Quae sancti haeredes obtinere vini.
15 Ad Canaae populos multis exemta periclis
Per geminos reges est ea ducta manus.
Ipse Caleb quamvis esset iam grandior aevo,
Et nivis exemplo frons fovet alba comas,
Non tamen exangues servabat stipite gressus,
20 Fecit et officium pes, velut ante, suum.
Usque Deus vires suffecit, et ignea corpus
Vis tulit Herculeum, nullaque laesit hyems.
Ut posset sancti superare cacumina montis
Praevius, et clari rura videre soli.
25 Eius at egregio quondam de semine nati
Utiliter sanctas incoluere plagas.
O nimium felix, Domini qui iussa secutus,
Isacidum sacros cum grege vidit agros.

18 exemplo Sir. exemplo

tit. De Caleb — Eccli. 46, 9

Urnaque quos iussit dictis decidere lites,
 30 Nomina iam quorum commemorasse labor.
 Laude forent etiam iam nunc super astra vehendi,
 Qui bene servarunt seque suamque fidem.
 Dum caperent alios idola prophana deorum,
 Quae res mille viris exitiosa fuit.
 35 Non illi fictos, gentis de more protervae,
 Egregia sculptos laude tulere deos.
 Sed stabiles Domini veneranda statuta colentes
 Una animas semper composuere fide.
 Donec in aethereas illorum spiritus auras
 40 Iret, et in tumbis linqueret ossa cavis.
 Quae sed adhuc retinent sub humo posta ossa vigorem,
 Ex urna quorum pullulat altus honos:
 Nomen in aeternos devenit et inde nepotes,
 Ut sic perpetua laude vehantur avi.

Elegia XIII

68

De Samuele

Filius Helcanae, Dominus cui favit amore
 Eximio, vatem fecit et aede sacrum.
 Semideos legit proceres rerumque potentes,
 Sacrarum reges ut renovaret opum.
 5 Ergo caput lectis pretioso tinxit olivo,
 Ut melius possent sustinuisse gregem.
 Lege suos dia populos exercuit aequus,
 Erudiitque sacrum semper in aede genus.
 Gens Iacobaea Dei vultus quoque sensit amicos,
 10 Hic ab eo quod se sit bene passa regi.
 Ipseque non paucos capiebat carmine fructus,
 Qui bene vaticos edidit ore sonos.
 Forte probabat enim decus eius conscius aether,
 Mensque reportabat praemia fida Deo.
 15 Nec mirum populis vera quod voce locutus,
 Deinde fides certe dicta secuta fuit.
 Namque Dei subito tetigerunt omnia mentem
 Vota, ubi sollicita voce rogaret eum.

12 vaticos *Sir.* vacidicos

tit. De Samuele — Eccli. 46, 16

Sicut in exemplo est, premeret cum fortiter hostes,
 20 Ac saevum saevo Marte caleret opus.
 Cumque sacros teneris cultros imitteret agnis,
 Ut fieret summo victima grata Deo.
 Obvius adversis ibat conatibus axis,
 Opposuit vires auxiliumque tulit.
 25 Signa Deus nimium toto dabat horrida mundo,
 Surgebant atro murmura multa polo.
 Fulmen humi stravit Tyria de sede profectos,
 Mille Iovis telo succubuere duces.
 Nec minus in dominos quoque bilis acerba Philistae
 30 Coelitus est vires eiacularata suas.
 Rebus at egregie gestis bustoque propinquus,
 Quam prius ante oculos clauderet orbe suos.
 Cor sine labe sibi monstravit in orbe fuisse,
 Et quod fecisset fasque pium[que] solo.
 35 Ergo Deum testem dictis Christumque vocavit,
 Se sceleris fecit nullius esse reum.
 Aera super miseros non accepisse probavit,
 Aera dedisse aliis pro bonitate sua.
 Neu pedibus viles voluisse reposcere saccos,
 40 Si quod dulce alicui forte patrasset opus.
 Iamque ubi se cuncto solvisset crimine, dictis
 Staret eum contra nullus et ore fero.
 Annueret verbis coram grex arbiter aequus,
 Diceret et iustum quilibet esse virum.
 45 In tenues placide migravit spiritus auras,
 Fatalisque tulit lumina victa sopor.
 Sed nihilo minus haec rediit post funera vivus,
 Exitium Sauli fataque dira canens.
 De media populis voces quoque sustulit urna,
 50 Ne vellent solitas turpiter ire vias.
 Sint etenim Furiae, sit Erinnyes et atra draconis
 Post Stygii tandem fata nefanda palus.

48 Exitium Sauli — 1Reg. 9, 2

25 dabat Sir. dabet

Elegia XIV

69

De Davide

Inde Nathan sacris praefectus in aede sacerdos
Prædixit sancto multa futura gregi.
Tunc ubi Iessides pia per suffragia lectus,
Rex Iacobaeorum sceptrâ teneret opum.
5 Ceu fluit a carnis pinguedo simplice massa,
Exit et e medio corpore tostus adeps.
Non aliter Deus hunc populo selegit ab omni,
Esset ut egregio maior honoris apex.
Mira loquar, sed vera loquar, florentibus aevi
10 Viribus Herculeo robore clarus erat.
Scilicet hunc Lybici puerum stupuere leones,
Saepius officii signa dedere sui.
Sic dominos catus novit caudaque ministrum
Se probat, et carum lambit et ambit herum.
15 Quin etiam rigidos audax minus horruit ursos,
Lanigerum pastor quam solet ipse gregem.
Goliatumque trucem viridi confecit in aevo,
Quo nullus toto grandior orbe fuit.
Mole Gigas populos Iovae ridebat amicos,
20 Quem veniens villa praecipitavit humi.
Pastor enim causae non armis fisus, inermis,
Et puer armatum percudit arte virum.
Funda manu lapidem dimisit in aëra iactum,
Haesit at illius quam bene fronte lapis.
25 Par ea vis Domino, nutu superare vel armis,
Hoc duce comittens praelia victor erit.
I nunc voce genus, miles, contemne Iacobi,
I nunc multa cito, multa minanter agas.
At Deus imbelli parvoque per arva Davidi
30 Addidit omnipotens in pia bella manus.
Asseruit per eum ceu millia multa virorum,
Thariadum genti staret ut usque decus.
Hinc novus egregiis est auctus honoribus heros,
Sceptraque, quae potuit nullus habere, tulit.
35 Pulcra caput cinxit gemmis auroque corona,
Pressit et egregias regia pompa comas.

tit. De Davide — Eccli. 47, 1—13

1 Nathan — Eccli. 47, 1

17 Goliatumque — Eccli. 47, 5

Sydera tunc aliis mox attigit aurea gestis,
 Iam magis atque magis Marte favente potens.
 Undique divino sed robore fretus abegit
 40 Ex invisa sacris agmina caede plagis.
 Inde Philistaeos felici strage subactos,
 In Stygios omnes iussit abire lacus.
 Facta sed illorum partes in cornua mille:
 Restitui nulla iam ratione queunt.
 45 Resque decusque viris radice revulsit ab ima,
 Est modo vix surdum nomen in orbe super.
 Voce pia gnates Dominoque Deoque rependit,
 Munera si coelo qualiacunque tulit.
 Res operasque suas posuit sub numine cunctas,
 50 Absque Deo fieri nil bene posse ratus.
 Si quando populis illustria facta dedisset,
 Restituit grato gutture dulce melos.
 Nec modo dulce melos emisit gutture grato,
 Movit at argutae fila sonora lyrae.
 55 Ora sonant, quod corda tenent et sensa recondunt,
 Mens occulta palam reddere voce solet.
 Saepe cani debet, qui fons et origo salutis
 Et laudes vitae causa caputque meret.
 Ordine multa sacris extruxit pulpita fanis,
 60 Staret ubi doctis musica turba sonis.
 Pars caneret cantus, pars duceret aemula chordas,
 Et fierent variis dulcia sacra modis.
 Tempora cum festis ritus digessit in aequos,
 Lege sua posthac quae peragenda forent.
 65 Rerum operumque dies vacuos dedit inde quotannis,
 Qui veherent summum carmine, laude Deum.
 Offerrent rerum patri per cantica grates,
 Cum nondum Eois sol remeasset aquis.
 Ante sacras pulcro quam lumine cerneret aras
 70 Bosphorus, aut clarum redderet orbe diem.
 Et licet a Domino venisset in avia lapsus,
 Pro tetra veniam postmodo labe tulit.
 Cum longos ideo lacrymarum effunderet imbres,
 Seque necis caneret corde dolente reum.
 75 Nempe Dei natus foedo de crimine solvens
 Pro bonitate ab eo sustulit omne nefas.
 Rex regi, Christus Christo succurrit egeno,
 Iussit et aeternos sceptrum tenere dies.
 Cornea signa dein stabilemque tenore perenni
 80 Cum sera sedem posteritate dedit.

Elegia XV

70

De Salomone

Hinc Salomon, quo nemo fuit sapientior unquam,
Qua triplex mundi Cynthia lustrat opus.
More patris tenuit sanctas moderator habenas,
Ingenio felix iudicioque gravis.
5 Tunc ubi iam genitor statuisset in orbe trophaea,
Et sacra perpetua pace vigeret humus.
Martis iners facies dulces redimita capillos
Usa fuit summis urbs Solymaea bonis.
Otia nempe Deo faciente benigna per aevum,
10 O rex ingenii macte vigore tuum.
Pace sacrum extrueres fanum florente Iehovae,
Qua fierent summo munia grata patri.
Aeterno templi res tempore salva maneret,
Esset ibi fidei portus et aura pia.
15 O tibi quam dociles fuerant in pectore sensus,
Cum puer imberbis floreque laetus eras.
Centum in fronte oculos Argus velut alter habebat,
Mente senex nec adhuc, sed tria lustra gerens.
Tu populos, campos ceu labilis unda, rigabas,
20 Et genii foetus rex novus ipse dabas.
Dicta rudimentumque ferens praeceptaque vitae,
Communes natis more parentis opes.
Te ratio sapiens late super extulit omnes,
Nec te quis toto notior orbe fuit.
25 Hic etiam sola sunt mari ubi circumdata vasta,
Quod loca sunt sicco non adeunda pede.
Voce vehebaris bonus et rumore secundo,
Clara per innumeros fama volabat agros.
Exterus ipse tibi grex voce animisque favebat,
30 Quod gereres placido sceptris quieta solo.
Solis ad occasum tua gens et solis ad ortum,
Carmina quae faceres longa per arva tulit.
Omnia quae laudes ad compita voce levavit,
Grata tibi recitans ordine dicta palam.
35 Sunt mirata tui decus immortale laboris,
Clastra hominum, vasti qua iacet orbis iter.
Quanta frequens genuit tibi lata paroemia passim

tit. De Salomone — Eccli. 47, 14—25

Commoda, cum caneret quilibet ore Deum?
 Quis non Isacidum celebravit pectore numen,
 40 Cum generes adeo corda recocta puer?
 Pondera tot solidi cumulasti providus auri,
 Stannea quod nunquam vasa fuisse putem.
 Nec minus argenti tua dives cista tenebat,
 Quam quot humus plumbi fata ministrat opes.
 45 Ah tantum potuisse suo fera Cypridis igne
 In miseros casus monstra tulisse virum.
 Heu facit infestos quoque rerum ea culpa potentes,
 Conspicuum crimen rex magis omne facit.
 Heu titulus quantum tibi tum decessit honestis,
 50 Fecisti natis multa nefanda tuis.
 Nam tua posteritas et semen Marte subactum,
 Non semel in miseris debuit ire vices.
 Iamque sati de te sceptris opibusque minores,
 Saepius et bilem sustinuere poli.
 55 Regia progenies varias disiecta per oras,
 Amplius in terris vix bene nota fuit.
 Usque adeo rabies et stulta libido parentis,
 Utilis, hic nocuit, debuit esse quibus.
 Hinc etiam verum Iudaea per oppida numen,
 60 Desiit ingenua religione coli.
 Ficta sed egregio simulacra fuere decore,
 Culta per Ephramidum tristia regna palam.
 Magna tamen Domini pietas, miseratio magna,
 Quae parcit, quamvis mittere tela queat.
 65 Quam bene se tenuit, nec misit pectore bilem,
 Immemor et pacti noluit esse sui.
 Non genus ex ima citus hoc radice revulsit,
 Maluit esse sibi tempus in omne super.
 Pignus in aeternum clari superesset amoris,
 70 In tua Iessides nabla canora Dei.
 At pater hoc Salomon cum patribus occidit orbe,
 Iamque senex letho lumina victa dedit.
 Non tamen in Roboam lectum sapientia regem,
 Transiit a fatis ingenioque patris.
 75 A patre rara venit natis cum semine virtus,
 Vir sapiens fatuos gignere saepe solet.
 Res inimica gregi sanae rex mentis egenus,
 Cum duce regna manent, cum duce regna cadunt.

Fana Nebothiades foedavit, et inde prophanus
 80 Isacidum sacras contaminavit opes.
 Cumque modus fieret nullus delicta sequendi,
 Astraque iam scelerum tangeret alta caput.
 Cum grege rex late positas est pulsus in aras,
 Ne coleret patrii iura beata soli.
 85 Impia finxerunt variorum numina divum,
 Qui tamen ut dii sint, nil rationis habent.
 Lenta gravisque Dei cum bilis ab axe veniret,
 Tristia sat sceleris damna tulere sui.

Elegia XVI

71

De Elia Propheta

Nec mora flammifero vates fuit ore repente
 Visus, temo foret cui sacer ille datus.
 Aemula missa facis sonuit vox ore per auras,
 Edidit in medio dicta stupenda grege.
 5 Ergo famem poenae vice mox immisit in omnes,
 Nulla Ceres cultis proveniebat agris.
 Sic epulis cassi perierunt mille, minorque
 Iam numerus crevit, religione, fide.
 Ille tenax operum coelo fervente sacrorum,
 10 Voce ter a coelo rite poposcit opem.
 Ter clausit coeli, qua labitur unda, fenestras,
 Ne pluviis siccos unda rigaret agros.
 Annuit Omnipotens, et pondus inesse rogatis
 Non negat, utile si lingua modesta petit.
 15 Nec minus et flammam deduxit ab axe ruentes,
 Cum ter in auxilium posceret ore Deum.
 O vir et o vates, quem secula nulla tacebunt,
 Quis par ingenio, quis genioque tibi?
 Annue cui post te fuit hoc imitabile factum,
 20 Defunctus Stygiis ut revocaret aquis.
 Hospes in aequorea susceptus at ipse Sarepta
 Reddebas viduo frigida membra toro.
 Tu thalami reges, media de nocte, superbos

79 Nebothiades — Eccli. 47, 29

tit. De Elia — Eccli. 48, 1—12

22 Reddebas viduo — 3Reg. 17, 7—24

Praecipites lecto Marte favente dabas.
 25 Nil non qui pius est vincit: Deus adiuvat ausus
 Ipse bonos, votis pondus inesse sinens.
 O miser, infelix o, cui quoque crimine laus est:
 Gloria flagitiis exitiosa fuit.
 Tu quoque palmiferae versatus culmine Sinae,
 30 Nosti venturam providus ante luem.
 Vertice post Orebi didicisti iramque futuram,
 Quaeque Deus coelo mittere vellet humum.
 Usque adeoque prius cecinisti praescius heros,
 Publica vel per quos poena futura viros.
 35 Iamque ubi flammifero veniens Deus aethere curru
 Quattuor hinc rutilus te rapisset equis.
 Vaidico vir erat tibi qui succederet ore,
 Et ventura prius diceret orbe super.
 Tempus erit, nostras venies redivivus ad auras,
 40 Ut vates homines in meliora voces.
 Ante Dei Furias mora longa, sed ocyor Euro
 Ira venit gressu praepete si qua venit.
 Tu patribus verae dabis hic documenta salutis,
 Ut novus in sobolem pectore surgat amor.
 45 Nec prior ulla tibi praesenti cura futura est,
 Quam Iacobi repetant pristina iura tribus.
 O ter et immensum felix, quicumque videbit,
 Te propter sanctae foedera amicitiae.
 Quantus honos illi, maiestas quanta resurget,
 50 Est nec et illius laus meritura solo.
 De nobis melius post fatum iudicat aetas,
 Ardua post obitus crescere fama solet.
 Hic nos errorum coeca sub nocte vagamur,
 Fulgor ibi vitae perpetualis erit.

24 Praecipites lecto — Eccli. 48, 6

29 culmine Sinae — Eccli. 48, 7

31 Vertice post Orebi — Eccli. 48, 7

35 flammifero curru — 2Reg. 2, 11; Eccli. 48, 9

Elegia XVII

72

De Elisaeo

Iamque ubi quadriugis raperetur ad aethera vates,
Protinus ignicomas turbine dante faces,
Ipsius in comitem virtus divina remansit,
Ut iaceret pariles ore potente sonos.
5 Imperii dominos cum staret et ante tyrannos,
Nullus ei pallor, nec metus ullus erat.
Pectoris infractum decus et cor utrique paratum,
Sive Dei iussu vivere, sive mori.
Nulla virum fregere pericula, nulla subactum,
10 Blandimenta uno voce tulere loco.
Quin etiam fato lucis cum caederet auras,
Non hic Lethaeae pocula sumsit aquae.
Quippe memor populis oracula reddidit heros,
Monstravitque sacrae dulce salutis opus.
15 Solis adhuc radios cum cerneret, horrida multis
Signa dedit, multis prospera signa tamen.
Amplius at nullos regeret cum spiritus artus,
Edidit in medio facta stupenda grege.
Non tamen in medio grege facta stupenda profano,
20 Officii in Domino causa fuere novi.
Admissae nemo plorabat crimina culpae,
Turpe sequebatur gens inimica nefas.
Donec eam e patria miseris eiecit in oras,
Natalique Deus iussit abire solo.
25 Per varios casus, varioque sub axe fugati,
Triste licet, certos non habuere lares.
At qui se purum Domino et sine labe teneret,
Vix super ex cunctis unus et alter erat.
Unde pio generi dux esset et aurea quondam,
30 Sorte sacra lectus sceptrum teneret humo.
Pars animo poenas aequo tulit, inque Tonantis
Se bene composuit mente fideque vias.
Pars aversa Dei nutu iussisque verendis,
Non verita est porro facta nefanda sequi.

tit. De Elisaeo — Eccli. 48, 13—18

17 regeret cum spiritus artus — Verg. Aen. IV, 336

25 Per varios casus — Verg. Aen. I, 204

Elegia XVIII

73

De Ezechia rege

Quam tenuit Solymam rex Aside natus egenam,
Unde introductis arte beavit aquis.
Cautus et implevit spaciosas flumine fossas,
Ne quod venturis hostibus esset iter.
5 Rupibus in mediis puteos duro aere cavavit,
Unde homines biberent et sine mente genus.
Tempore pacis adhuc circumdare moenibus urbem,
Est populis ingens utilitatis opus.
Soepius unda viris plus multis profuit armis,
10 Cum timet hostiles porta reclusa manus.
Nec mora, commoditas est summa secuta labores,
Cum rex Assirius Marte veniret eo.
Non tunc hostilis legatus in urbe, sed ante
Moenia propter aquas effera verba dedit.
15 Sennacherib dederat quae voce ferenda superbus,
Dederet ut fasces arx Solymaea suos.
Nulla valent, fallunt sed propugnacula, si non:
Desuper auxilium detque iuuetque Deus.
Gens Hebraea suis non fisa laboribus hostem
20 Palluit, urbs animis anxia tota fuit.
Regem ipsumque gregem trepidatio magna tenebat,
Venturum nimium corde tremente malum.
Non sic in menses est anxia foemina partus,
Cui genitali arvo gaudet abire puer.
25 Ante Deum supplex se concio tota ferebat,
Tollebatque suas voce precante manus.
Magna Dei bonitas mox hausit et aure querelas,
Subsidio facilis venit et ipse polus.
Ut nox Amosidae praedixit laeta salutem,
30 Ante opus horrendum laeta trophaea canens.
Aliger at iuvenis metuendus ab axe peregit,
Hostibus in mediis quae peragenda forent.
Assyrias dicto citius trux ense cohortes

6 Unde *Sir.* Undae

tit. De Ezechia rege — Eccli. 48, 19—25

1 rex Aside natus — 3Reg. 22, 2

2 introductis . . . aquis — Eccli. 48, 19—20

29 Ut nox Amosidae — 4Reg. 19, 20

33 dicto citius — v. 58 5

Stravit, et in Stygias corpora misit aquas.
 35 Sic Solymae dominum Dominus complexus amore est,
 Is patrium stabilis quod sequeretur iter.
 Instar enim rupis venerandis rebus adhaesit,
 Servavit castam cum pietate fidem.
 Nec minus hospitio vatis quod verba recepit,
 40 Est habitus posthac dignus amore Dei.
 Carus uterque fuit, vates cum grege, Tonanti,
 Ille dedit dictis, fecit at ille fidem.
 Tunc invertit equos sol retro gressus ad axem,
 Tardius et solito lapsus in aequor erat.
 45 Linea protracto cum dena calore vacaret,
 Et viduos dudum cerneret igne gradus.
 Non aliter Dominus regi quoque distulit aevum,
 Illius et vitae stamina plura dedit.
 Ergo mortifera iam nunc rex tabe levatus,
 50 Transegit reliquos cum pietate dies.
 Fataque vaticino cecinit quondam orbe futura,
 Aurea subiecto dans documenta gregi.
 Exiit miseros, solatia praestitit aegris,
 Ut pia sentiret turba Sionis opem.
 55 Nam sortis ratio si ferrea quando rediret,
 Corde ea constantes iussit habere diu.
 Hinc alia ex aliis divino flamine plenus,
 Ex tenebris cecinit multa futura pius.

Elegia XIX

74

De Iosia, Ieremia, Ezechiele,
 Sorobabel, Iesu Iosedec, Nehemia,
 Henoch, Ioseph, Seth, Sem, Adam

Nostra nec Ammoniden hoc ordine musa tacebit,
 Par bona semper eum fama loquatur anus.
 Ut fumans alios capiat de pixide nidor,
 Quem facit officio pharmacopola suo.
 5 Mella iuvent alios, quis dulcia mella, bibenti
 Vina Orpheus blandos misceat ore iocos.
 Me tamen ille suo plus dulci nomine pascat,

tit. De Iosia, Ieremia Adam — Eccli. 49, 1—19
 2 fama loquatur anus — Catull. LXXVII, 10

Quando mihi nomen nobile cunque subit.
 Illius est operae quod lapsus in avia coetus,
 10 Infandum monitus linquere vellet iter.
 Ne daret aut pictis, aut fictis basia divis,
 Sed coleret solum qui regit astra Deum.
 In Domino solide spes omnes resque locavit,
 Certus ab incepto post nec abire suo.
 15 Prostratas aras et sacra iacentia fanis,
 Rettulit in priscos pro bonitate status.
 Tunc verum vero cum numen honore vacaret,
 Essent exsculptis omnia plena diis.
 Quippe sequebatur lectos gens aemula reges,
 20 Nulla quibus pietas curae animoque fuit.
 Pro nihilo magni duxerunt iussa Tonantis,
 Coelica quem caperent biblia nemo fuit.
 Vos tamen excipio vasti tria lumina mundi,
 Aside te natum, teque canore senex.
 25 Tertius Ammonio de sanguine nate Iosia,
 Cuius in aeternum non morietur honos.
 Sed vice cum versa gens postera sceptra teneret,
 Relligione patres non imitata suos.
 Sunt aliis data rostra viris populisque remotis,
 30 Nullus ut Isacidis iam superesset honos.
 Moenia tunc Solymae ceciderunt alta per ignes,
 Heu quoque quod sacras flamma perurit opes.
 Non oculos positus tenuerunt pergama saxis,
 Atque super potuit currus abire Lares.
 35 Haec fore Ieremias bene vates ante canebat,
 Triste sed hinc precium, sicut ab angue, tulit.
 Quin male tractatus, meritis nil tale, recessit,
 Imbre pium duro percutiente caput.
 Heu scelus, atque nefas, vatem genitricis ab alvo,
 40 A grege tam diras obtinuisse vices.
 Nam Deus in tenebris et adhuc in matre latenti,
 Imposuit sacrum providus illud onus.
 Quo dictis gentes excinderet orbe superbas,
 Trux et in adversos esset ab ore viros.
 45 Sed tamen a vitiis monitos et labe remotos,
 Non sineret miseros pro feritate mori.
 Hoc facit in sylvis frondator ab arbore scindens,
 Si qua nocent, retinens arbore, si qua iuvant.
 Nec pius Ezechiel linquetur honoris egenus,
 50 Qui res Elisio vidit in axe sacras.
 Aligeros iuvenes maiestatemque verendam,

Pondere quam currus sustinet ille Dei.
 Percitus aethereo cor oestu os ante resolvit,
 Vaticum Pharaon rex quoque triste tibi.
 55 Voce genus blanda miserabile sustulit olim,
 Ut sibi divinam quisque rogaret opem.
 Sex bis adhuc vatum sub tumbis ossa vigorem
 Semper alunt, nullo quae moritura die.
 Quod gentem dictis sint consolata Iacobi,
 60 Numina quod miseros non sine fine premant.
 Quod fatale malum per dulcia verba levarunt,
 Cresceret ut moesto spesque fidesque loco.
 Da mihi Zorobabel cytharam, rex inclyte, laudis,
 Inclyte rex, cytharam da mihi quaeso tuae.
 65 Annulus ex fulvo commendat membra metallo,
 Quae rerum cernis quicquid ab arte gerunt.
 Tu decus omne tuis, quod fani tecta soluta
 Exilio nolles turpiter esse tuo.
 Et consors operum qui largiter aera ministrans
 70 Rursus amore Dei nobile struxit opus.
 Egredere quondam Iosedeci sanguine cretus,
 Omine cui iunctum nomen Iesus erat.
 Nam pius innumeris reparavit sumtibus illam,
 Qua decus aeternum staret in aede Deo.
 75 Nec minus Helciae natus, qui poela ministrans
 Magne Dari genitor, Persica forte tibi.
 Ad Solymas arces ac diruta moenia missus,
 Arcis ope hic iussit moenia stare sua.
 Has quod adhuc portas tam dura repagula servant,
 80 Quoque Lares colimus robore quisque suos.
 Id referamus ei, dicamus et ordine grates,
 Ne fors illius commoriatur honos.
 Sed quis ei parilis, qui latus in aethere vivus,
 Non sua deposuit frigidus ossa solo?
 85 Rebus ab humanis is clam subductus in alto
 Vivit, et aethereo permanet usque polo.
 Quid loquar Isacidiae natum, qui fratribus olim,

86 aethereo Sir. aethereo

54 Pharaon rex — Ez. 29, 1—16

63 Da mihi Zorobabel — Esdr. 3, 2

71 Iosedeci sanguine cretus — Esdr. 3, 2

75 Helciae natus — Ier. 1, 1

Invisus turpi venditus aere fuit?
 Fata levare solent, quem sors indigna gravavit,
 90 Est questus misere sed sine labe pati.
 A quibus Aegypti fuerat divenditus orae,
 Illorum Ioseph rex dominusque fuit.
 Namque prius domui tandem praefectus herili,
 Res omnes tenuit sub ditione sua.
 95 Asseruit fratres patria de sede profectos,
 Quando laborarent Isacis arva fame.
 Ad sua perlatus valido est cunabula busto,
 Cum placide Aegypti mortuus esset humo.
 Laudibus in toto duo sunt praeconia mundo,
 100 Ultima Adae soboles mascula, prima Nohae.
 Ipseque, de terra Dominus quem finxit, Adamus
 Est nostri generis primus in orbe parens.
 Prae reliquis ergo quos halitus auraque servant,
 Dignus is est certe laudibus usque cani.

Elegia XX

75

De Simone Oniae filio

Nec pius Oniades, licet ultimus ordine carmen
 Fiat, ob haec nobis ultimus esse meret.
 Dulce sacerdotis gereret cum nomen adeptus,
 Antistesque sacra maximus aede foret.
 5 Auxit opes, et opus fani, pluresque meatus
 Apposuit, passim fortia fulcra locans.
 Mole nova structum tangebant sydera templum,
 Servabant multos vincula firma gradus.
 Tunc etiam grandem fons passus forte ruinam,
 10 Iam tecto saxis amne negabat aquas.
 Sed collapsa iterum de saxis saxa removit,
 Munificus fluidum quo reseraret opus.
 Posset ut immunem populum omni reddere clade,
 Fortibus occlusit moenibus ante Lares.
 15 Optima quinetiam certo sub iura reduxit,
 Ordine vulgus iners et sine lege vagans.
 Ergo vel hinc magnas illi respublica grates
 Debet et egregium gens Solymaea decus.

Ex adyto mediam si fors prodiret in aedem,
 20 Quam rutilus sacra fulsit in aede comis.
 Matutina micat roseis ita stella capillis,
 Cum Venus Eoo portat ab axe diem.
 Sic ubi iam plenum sua cornua mutat in orbem,
 Pura soporifera Cynthia nocte micat.
 25 Qualis et in medio sol praebens lampade coelo,
 Cum sanctas fani lumine lustrat opes.
 Non aliter variis distincta coloribus Iris,
 Nubibus aethereis nobile curvat opus.
 Seu flos, quem peperit Maius per veris amoena
 30 Tempora, delectat lumina mille modis.
 Aut ita blanda suo non splendent lilia vultu,
 Edita coeruleas germine propter aquas.
 Thurea Panchaeos ceu fundit et arbor odores,
 Sol nive cum fluxa blandior intrat agros.
 35 Hoc est sacra Deum quando veneratur acerra,
 Et solvit pingues igne calente globos.
 Picta velut multis preciosis vasa lapillis,
 Decolor ex viridi quos legit Indus aqua.
 Frondet ut aeternum divinae Palladis arbor,
 40 Celsaque ceu late stat cyparissus humi.
 Sic tunicis lectus de more fluentibus aras
 Ante sacras, vultus stabat et ante Dei.
 Splenduit et rutilus implevit ut omnia flammis
 Illius exortum vertice lumen erat.
 45 Et pia cum caperet manibus de membra sacratis
 Arriperet structis flamma ministra rogis.
 In medio sacrum peragebat sacra corona,
 Ordine quae circum fulgida stabat eum.
 Sic ramos effert Libani de vertice cedrus,
 50 Frondeque lativaga sic bene palma viret.
 Gens etiam hic tenuit gressus de semine Aronis,
 Pone gerens casta vasa sacrata manu.
 Omnia spectabat totius concio vulgi,
 Innumeros templo vix capiente viros.
 55 Cumque Deo flammis iustos adoleret honores,
 Imposuit calidis exta cremanda rogis.
 Is quoque cultus erat gratissimus astra colenti,
 Annuit omnipotens ad sacra cuncta Deus.
 Implevit suavi divinus nectare mensas,

24 soporifera Sir. foporifera

60 Effudit rubeo dulcia vitra mero.
Fumida tunc roseos excepit ut ara liquores,
 Est supero factus nidor in axe duci.
Voce polum implevit genus ex Aarone profectum
 Non modica dulci parte canente tuba.
65 Ipse sonis aures intentus praebuit axis,
 Et clamore vago plenus Olympus erat.
Mox in humum deiecta cohors, velut impete, vultu,
 Effudit multas ore loquente preces.
Fautor ut astripotens foret in pia verba benignus,
 Ut caperet, fierent quae modo cuncta Deus.
70 At qui mellifluo moderantur gutture cantus,
 Nabla per et psalmos concinuere pios.
Adde quod ipsa melos quoque templa imitata canorum,
 Voci ad alternas exiluire vices.
75 Ut se praeberet facilemque bonumque Iehova,
 Et faceret preculas firmiter esse ratas.
Nec quisquam sacri transcendit limina templi,
 Ni prius ad finem singula ducta forent.
Hinc abiturus et is geminas de corpore palmas
 Exeruit dictis ultima sacra sonans.
80 Ut stirps Isacidum iucunda sorte beata
 Laeta domi ferret, tempora laeta foris.
Prospera fata gregi cum vates ore precatus
 Esset divino per via verba suo.
85 Grex pia supplicibus quoque poscens numina votis
 Sustulit effusas rursus ad astra preces.
Maius at optatis quo tandem pondus inesset,
 Edidit hos flexo poplite rite sonos.
Ferte pias Domino grates ac dicite psalmos,
 Quae iam nobiscum quantaque numen agat.
90 Et varias edit quod facta stupenda per oras,
 Qua modo cunque aliquis cernat, ut ille manet.
Sufficit is vires nobis genetricis ab alvo,
 Ne Stygias nati vix subeamus aquas.
95 O bonitas, o cura patris celebranda per omnes
 Ore dies grato dignaque facta cani.
Det quoque post ea fons nobis et origo bonorum,
 Ne, si sors fuerit ferrea corda cadant.
Det nos Isacides hoc donec in orbe feramur,
 Ne Martis fallax experiamur opus.
100 Ne sinat esse olim miseris in rebus egenos,

Neu procul hinc virtus exulet alma Dei.
Semper amore suo nos complectatur, anhela
Pulmonis nostro pectora donec erunt.

*

Epigramma in Syraciden — Stephanus Holtzmannus, alias Xylander — v.
app. 7.

*

CASTRA TEMPERANTIAE

Ed. pr.: Castra temperantiae vel Exertitia Poetica, quae lepidis aliquot festivis epigrammatis crapulam, ebrietatem, potationem et vicina vitia oppugnant, detestantur et eiurant. Per Ioannem Bocatium Epperiessini in Hungaria superiore exarata. His interiectae sunt clarorum quorundam hominum suppetiae. Lucae 21: Cavete vobis, ne quando graventur corda vestra crapula et ebrietate. Esaiae 5: Vae qui potentes estis ad hauriendum vinum et viri fortes ad miscendam siceram. Bartphae imprimebat Jacobus Kles 1597.

A — F = [48] ffol. — 8° — init., orn.

Scriptura: litterae uncis clausae semper vel nonnunquam sic proveniunt: *vocales:* (ae) pro e; (ae) pro oe; (e) pro ae; (e) pro i; (i) pro y; (o) pro u; (oe) pro e; (u) pro i; (u) pro o; (u) pro v; (y) pro i; *consonantes:* (c) pro t; (ch) pro cch; (j) pro i; (ll) pro l; (m) pro mm; (m) pro mp; (n) pro m; (qu) pro c; (t) pro tt; (th) pro t; (v) pro u; (x) pro xs; necnon maiusculae pro minusculis et vicissim.

Ed. part.: Carmina 76—86; 90—100; 102; 107—109; 111—112; 124—138; 140—182; 185; 187—192; 195 in Hung.

Textus, quibus usus sum: Ac. phot. A 248/V. et RMK II. 287.

Fus.: RMNy 788; TÓTH L. 21—22; LAZAR: J. B. 243; MINÁRIK: St. lit. Prešov 248.

CASTRA TEMPERANTIAE

Lector Amice

1 De duobus es mihi primum admonendus, ne praeiudicio me damnes, et quaedam legendo morosum et asperum te praebeas. Alterum huius materiae causam et occasionem te doceat velim. Quae talis? Aliquandiu Platonis fui discipulus, et semel solum de die vesci libuit, quod non obtinuit apud me superstitione, sed stomachi mei debilitas et ipsae Musae. Hoc deinde (sic medici clarissimi voluerunt) mutant et instituto me alii sacravi, voto sancte Deo facto. Ebrietatem enim blandum Daemonem, Syrenem suavissimam et illius filios detestor et execror. Gulam etiam vitae Charybdin penitus eiuro. Christianus es? Ne improba. Reliqua quoque moris erunt mei. Alterum habes? Quod honesto zelo ductus in vitia cordatius invehor, non est suspiceris, calorem haec mihi primum

1 Platonis fui discipulus — Plato Epist. 7 (326b)

extorsisse. Honestate et probitate malo meos canes vindicare, quum ita neminem impeto, licet in libera sim civitate, morte huiusce saeculi castigo, ut qui cognoscant, ultro corrigant. Pro me stat illud:

licuit semperque licebit
Parcere personis, dicere de vitiis.

- 4 Consule poetas veteres et recentes, idem faciunt. Caniculam me propterea nuncupandum censes? Falleris. Quod dextra tradidi, tu ne sinistra accipias, nisi sinister. Noli me temere iudicare, si bonus es. Apud caeteros (quis enim omnibus unquam satis fecit?) condet hoc invidiam et odium, nihil moror.

76 At tu livor edax, odio licet ilia rumpas,
Carpere vel noli nostra, vel ede tua.

Σὺν erit melius Θῆρ

*

Epistola Georgii Hoffmanni, Sac[rae] Caes[areae] Regiaeque Maiestatis Consilii ad Ioannem Bocatium — v. **app. 8.**

*

Ex epistola Friderici a Schliben, L[iberi] Baronis, ad Ioannem Bocatium — v. **app. 9.**

*

Georgii Hoffmanni, Caesarei Consilii — v. **app. 10.**

*

Brunonis Seidilii Doctoris ad nobilium et doctissimorum virorum collegium ἀμέθυστον — v. **app. 11.**

*

Epistola Ezechielis Hebsackeri P[astoris] Epperies[sini] ad Ioannem Bocatium — v. **app. 12.**

*

3 licuit semperque licebit — Hor. Ars p. 58 / Parcere personis — Mart. X, 33, 10
4 quis enim omnibus satis fecit? — Cic. Pro C. Balbo 1, 2
1 livor edax — Ov. Rem. am. 359

Miles Ezechielis Hebsackeri P[astoris] Epperies[sini] in Castra Bocatiana missus — v. **app. 13.**

*

[Praefatio]

Magnifice et Illustris Domine, Simon Forgacz, Caesarie
Consiliarie, Pincernarum regalium in Hungaria Magister;
Generose et Egregie Christophore Darholz!

1 Vobis hasce meas, ut infabre concinnatas pagellas, amicorum hortatu, sacro atque dedico. Tibi, quod inter praecones tuae virtutis aveam esse, qua prae sexcentis aliis ordinis tui corruscas, et iure φωσφόρος τῆς σωφροσύνης (piam gravitatem et cordatam sobrietatem intelligo) nuncupari iam diu meres.

Tibi, me quod aestimes, imo literas humaniores mecum in deliciis tuis reponas. Deus bone, quam humanitatem illam tibi tuam satis gratulari nequeo, repperi te coram licet aegro corpore, in libris et chartis, assiduum, accubuum vidi lubens, et non tam in aula, quam in Helicone tuo coenavi. O corporis et animi, profecto non dicam escas, sed ambrosiam, recordor: ad loton illam semper mihi animus. Verum habeto tu diu, quae ego non possum. Sic aio: Rei tu grandioris, quam famae.

4 Utrumque iam vestrum oro, tam vos in me meosque benigni et benivoli semper, et gerras has philosophicas vestra seria fronte suscipite, dum paullum noster Boreas se quieti, vos animos, iam sane merito per calamitatem publicam turbatos, tranquillitati ego, quondam candida dea fors adiutus, me feriis dedam, nam, nisi heic vos gemina sidera ab huius belli tempestate parumper abduco, mihi nebulas obduco, sed sub patrocinii ac tutelae vestrae tecto, vel nimbos non formido. Me iam usurpate, me contra dentatam illam Furiam defendite, vos Deus aeternum, a quo salvete, cui, sicut patriae et mihi. Valet.

Dedi Epperiessini: mense Aprili, anno MDXCVII.

Ioannes Bocatius

*

Ioachimi Goltzii P[astoris] Cremnicensis — v. **app. 14.**

*

*

77 Virtute duce, comite cruce: pedissequa victoria.
 Heus Christiane!

Moesta iacet virtus, laxata ferocia crescit,
 Infelix pietas iussa tacere perit.
Mars, mors, dira fames isto grassantur in orbe,
 Est hoc pol misero tempore dulce nihil.
5 Scilicet haec meritis ita fiunt omnia nostris,
 Ut sibi quisque Deus, sic sibi quisque lupus.
 Cum foret irati placandus numinis aestus,
 Fecimus (heu) Stygio sacra operata deo.
 Hoc est, sacrilego quod iam fuit: aequior hosti,
10 Ac dedit Eois laeta trophaea Getis.
 Cum facerent alii fera saevis praelia Turcis,
 Certamen nobis acre bibendo fuit.
 Cum fortuna istis bene vix rideret in oris,
 Quae tum luxuriae signa fuere novae?
15 Heu, dixi, quam nos victoria decipit ista,
 Ludit in Hungaricis rebus, amice, Deus.
 Haec sors in girum se vertet et haecce sequentis
 Gaudia principium nostra doloris erunt.
 Sic ego: sed nimium fuit heic mihi Musa prophetis,
20 Haec nimis est velox dicta secuta fides.
 Ecce (dole Pannon, bibulique dolete Alemanni)
 Spe citius, volvit nonne quod hostis, habet?
 Nec mora; ni sapies, iam nunc, Germania, tecum
 Res erit: o fatum disce timere tuum.
25 Incipe sic mutare tuos, Alemania, mores,
 Incipe nobiscum tam pia velle sequi.

9 fuit *Ed. pr.* fui
13 *Cum fortuna Ed. pr.* Ut fortuna
15 *quam Ed. pr.* quami

Invitatio in hanc militiam

Flos hominum, quem Paegaseis produxit in hortis
 Semper Apollinei sedula cura fori,
 Huc ades, in mea castra veni, si forsitan error
 Traxit in ambiguos ex Helicone locos.
 5 Si quem Castalio deduxit ab amne lacunas
 In bibulas, quales Liber amare solet.
 Dux ero non segnis: nec enim mihi gratia Bacchi
 Tanti, ut plus Phoebum non redamare velim.
 Me iaculis Phoebus donavit et aegide Pallas,
 10 Ne Bromius cornu me petiisse queat.
 Acer Apollo iuva; miles succurre Minerva,
 Ut mihi turba truci pareat uda manu.
 Sacramenta mihi simileis consortia mores
 Et parileis nisus vos socia arma date.
 15 Non facile est Lapithas Cereri Bacchove litanteis
 Vincere, nodoso rem quia fuste gerunt.
 Vidistine sues omnes cito surgere porci,
 Unius ex ira consona bella geri?
 Sic, faciente uno grunnitus, millia cursant
 20 Multa virum: o adsis fortis uterque deum.

Aliud

Huc age, quisquis aves misisse renuncia coeno
 Barbariae et vulgo linqere quisquillas.
 Heic ego casta, Dei iussu, tentoria fixi,
 Militiae scribo sobria membra novae.
 5 Non haec Enceladi sunt castra, sed ipse Michael
 Dux coeli est auso summa caputque meo.
 Si nescis hostes, faciunt mihi bella deosque,
 Cum sociis Bacchus thyrsiger atque Ceres.
 Cyclopesque petunt coelestia regna vicissim,
 10 Capripedes Fauni non minus arma gerunt.
 Ista Medusaeae sunt perniciose cohorti,
 Et nisi vincemus, musica sacra iacent.
 Arma viri, arma etiam contraria ferte domatim,
 O veniant classi millia multa meae.

15 Lapithas **Ed. part.** Lipithas13 domatim **Ed. pr.** domatine

V[iro] et Dom[ino] Ill[ustri] et Mag[nifico]
D[omino] Simoni Forgacz, L[ibero] B[aroni] de Gyms etc.

Thracia quem didicit, quem suspicit Hungara tellus,
Nobilioris ave Martis et artis honos.
O decus, o princeps magnatum! te quoque paullum,
Da mihi magne Simon, da generose Simon.
5 His quia bella paro castris, disponere turmas
Tu doceas, possim qua ratione meas.
Consule te dubii fuit in discrimine belli,
Et saepe indiciis usa iuventa tuis.
Macte hac canitie solerti, heic instrue inerteis,
10 Instrue, quaeso, meas in nova bella manus.
Saepe redit victis animus: sine proxima damna,
Differt non aufert tempora laeta Deus.
Tempus erit (clades modo nostra domestica cesset)
Occidet ut nostro Gogque Magogque solo.

81 Ad Gen[erosum], Egr[egium] et Ampliss[imum] Virum ac
Dominum Georgium Hoffmannum etc.

Magne vir, huic merito et studiis flos unice terrae,
Ardua caesarei cura decusque fori.
Quem mihi misisti nuper, fortissimus heros,
Militiae nomen iam dedit ille meae.
5 Classica quam primum cecini, vento ocyor, arma
Induit, et cito me fulgidus ante stetit.
Cumque meum lustrarem exercitum, is unicus omneis
Anteiiit, ut reliquas Hesperus ipse faces.
Belligerandi omnes rationes callet ad unguem,
10 Cum dubia Martis saepe phalange fuit.
Hinc mihi non tyro, sed longum exercitus armis
Strenuus, excellens et veteranus erit.
Addo, quod hunc omnis virtus confluit in unum,

tit. **Ed. pr.** Magnifico et illustri Simoni Forgacz de Gyms, etc.

7 dubii fuit in **Ed. pr.** fuit in dubii

tit. **Ed. pr.** Ad Georgium Hoffmannum Consiliarum Caesarem de illius milite in mea castra
misso

8 Anteiiit **Ed. pr.** Anteit

14 Gogque Magogque — Ez. 38, 2

Sicut in Oceanum confluit omnis aqua.
 15 Quis sibi iam bibulas miles constringit habenas?
 Ne certet plenos evacuare scyphos.
 Plus Macedo egisset, si seipsum vincere nosset,
 Proh, tantum patera posse periisse ducem.
 Ille meris autem coctisve abstemius undis
 20 Gaudet, et excubias pro grege solus agit.
 Luxum odit pestemque fugit pigrae ocia vitae,
 Nil sibi desidia turpius esse putat.
 Principis officium non militis ergo tenebit,
 Ut monstret, bellum qua ratione geram.
 25 Castra movebo brevi tandem, et Christo auspice turmas
 Conseram ad hostiles dura per arma manus.
 Si me sors signis referet victricibus, huicce
 Acceptum referam laeta trophaea duci.

82 Ad eundem de dono, missa mihi pecunia et comteatu

Ut ruptis nemo tellure incidere nervis,
 Viribus et motu deficiente, potest,
 Bella ita nulla geri possunt sine divite censu,
 Plus adeo innumeris viribus aera queunt.
 5 Tum male pugnat, ubi sua vix ieiunia portat,
 Cum satur est, melius praelia miles init.
 Imperat is timide, gelide stipendia quisquis
 Solvit, et officio quem retinere potest?
 Hoc tua cum potius solertia noverit, armis
 10 Adiunxisti nuper, large vir, aera tuis.
 Quae Transylvanum referunt in imagine Achillem,
 Sit mihi cum tanto ut sors quoque tanta duce.
 His et plura aderant, belli quibus indiget usus,
 Dira fames abigi ventre latrante solet.
 15 O generose Heros! sat in his exercite fatis,
 Qui potero meritis digna referre tuis?
 Me tibi sacrifico, tibi Musas mancipio nostras,
 Te duce dux et te sospite sospes ero.

V[iro] Gen[eroso] et Egr[egio] D[omino]
Nicol[ao] Orleto etc.

Cura gerendarum queis rerum publica Athenis
Incubuit, nunquam pocla bibere meri.
Lex quia civilis sic ordoque sanxerat urbis,
Ne quis in officio noxius inde foret.
5 Delirat quoniam vino prudentia regum,
Et Baccho fortes occubuere viri.
Scilicet est aliquid, vulgo parere potentes,
Sed cordatus homo nil nisi sponte facit.
Qui de more Lares extra se fraenat et intra,
10 Illustri meruit vir residere throno.
Nam simulare potest virtutem hanc rusticus omnis,
Mortalis Deus est, qui pia sponte facit.
Qualem tute offers mihi, certe emblemate vivo,
Magne vir, Hungarici splendida stella soli.
15 Summa tuae incumbunt fidei, illa negocia ut aulam
Caesaream clarent vina merumque fugis.
Dumque alii ad mensas madido certamine gliscunt,
Tota animos versat sobria cura tuos:
Ut commune bonum crescat capiatque Rudolphi
20 Incrementa solum, damna sed ampla Getae.
Omnibus hinc facileis das compellantibus aures,
Hinc sedet in labris mellea Suada tuis.
Salve virtutis species emblemate vivo,
Magne vir Hungarici splendida stella soli!

Φιλοσωφροσύνη
ad Nobiliss[imum] V[irum] Dominum Georgium Hoffmannum,
Caes[areum] Consiliarum

An dubitem, an credam? crescit prudentia vino,
Non sapiunt, facileis qui venerantur aquas.
Censuit hoc olim quidam: non fidam ego, vel si
Suada hoc oripotens diceret ipsa mihi.
5 Heic mage ero Thoma, mihi crede, incredulus et me

tit. Ed. pr. Nicolao Orleto Caesareo Consiliario, abstemio

19 Rudolphi Ed. pr. Rudolphi

tit. Ed. pr. Φιλοσωφροσύνη ad Georgium Hofmannum Consiliarum Caesareum et abstemium

Discipulum Pyrrho iam velit esse suum.
 Cur vetuere suis fasces hoc regibus olim?
 Cur oluit nullum curia multa merum?
 Cur rex ille omnes iussit proscribere vites?
 10 Cur lex sunt Getico dona Lyaea solo?
 Non dubito, sed credo: perit prudentia vino,
 Et Salomon Morychum, cum bibit illa, sapit.
 Caesaris o fidum cor! nonne, Hoffmanne, fateris,
 Me satis heic genio dicere digna tuo?
 15 Te simplex iuvat humor aquae: sunt nausea Bacchi
 Munera, at ipsa tuo Pallas in ore sedet.
 Quid loquar ingenium? doctas quid acuminis arteis?
 Quam sis consiliis, ore stiloque potens?
 Quam tua difficileis sollers industria causas
 20 Expediat? probitas quae tibi? quanta fides?
 Plus aliis tu mille vides, praevisor et auceps
 Temporis, ut specula luce sagace notas.
 Sed sua quem virtus commendat, an indiget ille
 Ellogio? o salve, magne vir atque vale.

85 V[iro] Nob[ilissimo] et Doctiss[imo] D[omino] Caspari Franco,
 Rat[ionario] Caes[areo] in Cam[era] Scep[usien]si Magistro

Ardens calor fert carmine sobria
 Non usitato dicere praelia.
 Haec dum cano, mihi parumper
 Slesiades date vos Camoenae.
 5 Tu France, vates optime, caesaris
 Si forte res non impediunt graveis,
 Emunctiore ceu potes, me
 Versiculo decora magister.
 Si credis, ausim scribere copias,
 10 Quot te videbo scribere litteras.
 Ride, vel esse digna risu
 Perneget ingenii tui flos.

6 Pyrrho Ed. part. Phyrrho
 tit. Ed. pr. Caspari Franco Caesari a rationibus Latinis

Me, Caspar o, turmis animes tuis,
 Autoritatis plus siet ut meis.
 15 Nam cassidem dabis regenti
 Agmina, sed clypeos phalangi.

 Si me triumphus cum spoliis domum
 Victrice fortuna generosior,
 Ut spero, duxerit secundum,
 20 Qualia te remanent magistrum?

*

Epigramma Casparis Franci de lascivia puellari — v. **app.** 16.

*

86 V[iro] Prud[entissimo] et Doctiss[imo] D[omino] Michaeli Wirt,
 Not[ario] et Senat[ori] Epperiessino

Illa nec est prudens, nec sat respublica felix,
 Cui vinosa praeest curia.
 Nil praecepta iuvant, ni sint exempla regentum
 Omnia praeceptis consona.
 5 Sic etiam ludi quisquis moderatur habenas
 Sceptra gerens rector virgea.
 Pastorem tanquam si non schola tota sequatur,
 Rebus in eximiis aemula:
 Quicquid agat doctus dicatve docendo magister,
 10 In ventos frustra diffugit.
 Sed vice tum versa feliciter omnia cedunt,
 Cum speculum pubes adspicit.
 Exequitur nutu, si quae data iussa, iuventus,
 Quando sequatur habet quem bene.
 15 Haec mihi dum subeunt, praeceptor et ipse labori
 Iungo quod officium postulat.
 Haec ratio vitiis obstat custode remoto
 Ne iuvenes faciant turpia.
 Vita mihi coelebs specie quia ducitur ista,
 20 At malus heic aliquis fors erit.

tit. **Ed. pr.** Ad Michaelem Wirt
 3 praecepta **Ed. part.** praecepta

Assecla sed quisquis fuerit meus auspice Christo,
Nestoreos annos transigat.
Dic mihi iam, Michael, tua quae censura sit, ista
Carmine quod facio praelia.

*

Michaelis Wirt Notarii E[pigramma] — v. **app. 17.**

*

Michaelis Gereb Transylvani — v. **app. 18.**

*

Pauli Melissi, C[omitis] P[alatini], E[quitis] A[urati], C[ivis] R[omani] et
P[oetae] L[aureati] ad Carolum Utenhonium de bello Turcico — v. **app. 19.**

*

Iohannes Balogus Iohanni Bocatio — v. **app. 20.**

*

Beza in ebrios — v. **app. 21.**

*

Balogi oppositum — v. **app. 22.**

*

87

Bocatii [oppositum]

Aut homo est ideo mage ebriosus,
Quod solum hoc animal fit ebriosum.

*

Ad milites hostis saucios. Christophorus Variscus — v. **app. 23.**

*

Wolfgangi Praetorii, I[uris] U[triusque] D[ocoris] — v. **app. 24.**

*

Danielis Frisii, I[uris] C[onsulti] — v. **app. 25.**

*

Ioannes Frudlandus, L[icentiatus] I[uris] — v. **app. 26.**

*

Melchior Ursinus Borussus, D[ocor] — v. **app. 27.**

*

Ludovicus Mandaeus, Med[iciane] D[ocor] — v. **app. 28.**

*

Ioannis Fabricii — v. **app. 29.**

*

Eiusdem ad ventris mancipia et sobrietatis studiosos — v. **app. 30.**

*

Ad milites castrorum Bocatianorum. Andreae Mudronii — v. **app. 31.**

*

88 Godfrido Trachenbergero, Comiti Palatino, Equiti aurato,
C[ivi] R[omano] et P[oetae] L[aureato]
Ioannes Bocius

Qui mea digna putas Daphneide tempora lauro,
An, Gotfride, sed heic iam quoque digna putas.
O intemperies tua, tam rude cingere versus
Fronde poetarum vulgus Apollinea.

4 Fronde **Ed. pr.** Frunde

5 Prodigus es, Trachenbergere: illustria vatum
 Tempora cincta comas, quae meruere, ferant.

*

Responsio Trachenbergeri — v. **app. 32.**

*

89 Philipppo Siderio, Medicinae Doctori

Quaeris, an esse iuuet plus mane an vespere? eddo
 Quod iuuet esse cibos vespere, mane pares.
Vis causam? citius lux digerit, atra tenet nox
 Longius: haec requie, motibus illa suis.
5 Sic *medice*, haec *medice*: sed sacris parce statutis,
 Non dic, tu *medice* vescere, sed *modice*.

*

Responsio Sideri — v. **app. 33.**

*

90 Michaeli Gentio Cracoviensi, abstemio

Qui nescit ampla strenue
Siccare pocla nobilis,
Non audit orbe nobilis
Hoc ille se vocarier.
5 Hoc te tamen vocarier
 Audis in orbe nobilem;
 Audis at esque nobilis,
 Duplex es ergo nobilis.

*

5 Hoc te **Ed. pr.** Cur tu

6 Audis in **Ed. pr.** Hoc te audis

7 esque **Ed. pr.** es que

8 Duplex es ergo **Ed. pr.** Ergo duplex es

Nemo mihi sic sit Mecoenas, nemo potentum
Sic fautor: iam tu gratia prisca, vale.

93 Clariss[imo] Viro Paulo Melisso, Comiti Palatino,
 Equiti Aurato, C[ivi] R[omano]
 et P[oetae] L[aureato]

 Paulle, novenarum collega, Melisse, sororum,
 Mercurii et Phoebi clare senator, ave!
 Aurea doctorum Venus et flos unice vatium,
 Saecula Teutonico quos genuere solo.
5 Nunquid adhuc superat generosi gloria voti?
 Nunquid adhuc animis insidet illa tuis?
 Sera mihi, sed lecta tamen sunt aurea gemmae
 Vincla et semidei, quos amethystus habet.
 O venerande Senex! o indelebile mundi
10 Sidus, et o nostrae praevia stella viae!
 Te duce Thyiadibus valedixi, ac aemula feci
 Castra iuventuti triste secutus iter.
 Te duce litterulas iam scribere disco Latinas,
 Te duce laurigeras vertice scando domos.
15 Paulle, novenarum collega, Melisse, sororum,
 Mercurii et Phoebi clare senator, ave!

*

Melissi scazon in Bacchanalia — v. **app. 36.**

*

94 Eiuratio Bacchanalium

Non ego defendo pueriles turpiter annos,
Victus non raro, qui gero bella, fui.
Me duce sed posthac ducet quoque nemo choreas,
Stultitia licet hac iam satis ante vacem.

tit. **Ed. pr.** Paulo Melisso, Comiti [!] Palatino, Equiti aurato, C[ivi] R[omano] et P[oetae]
L[aureato]

11 duce **Ed. pr.** duco / Thyiadibus **Ed. pr. et part.** Thyadibus

16 clare **Ed. pr.** dare

5 Non mihi iudicium sumo, me dedecet autem,
 Dedecet ac nostrum mos tamen ille chorum.
 Ethnicus is furor est? haec saecla feracia Christi
 Ostendant nostrae relligionis opus.
 Sive sit id longi moris vel amoris amici,
 10 Mos et amor turpis, nec satis iste pius.
 Sed post (eiuro vitia haec vel teste Iehova)
 Dulce iuventutis linquam ego rite scelus.
 Christe, iuva, me ne qua mei lux unica voti
 Immemorem faciat, tu pie Christe, iuva.
 15 Te duce, Christe, sitim multis tolerare diebus,
 Et potero fatuos deseruisse choros.

*

Iohannes Balogus Ioanni Bocatio — v. **app. 37.**

*

Ioannis Posthii de uxore sua — v. **app. 38.**

*

95 Dictum D[ivi] Augustini: Melius est toto die fodere,
 quam saltare die Sabbathi

Sabbatha dum Salii male pulverulenta choreis
 Et faciunt Stygio dulcia sacra deo:
 Nonne ligone solum si scindas, numina gaudent
 Plus? lassa totos ergo labore dies.

96 Cur ebrii saltare soleant

Forte rogas, ducat cur ebria turba choreas,
 Atque rotet pedibus, ceu furibunda, solum?
 Dux caput est hominis: caput omnia membra sequuntur,
 Vortice quum gyros nascitur ante suo.
 5 Contortos stomachi facit exhalatio ventos,
 Scilicet hoc Boreas asper ab axe venit.

tit. Melius est toto die — August. ubi?

Nemo virum saltare solet, cui sobria mens est,
 Ducit at insanos ebria turba choros.
 Cur mihi vir sapiens, caprarum more, vocetur,
 Exsiliens, quando sicca vel ora gerit?
 5 Immo haud in tenebris fas est agitare choreas,
 Aut tibi convivam vir bene salsus agit.

Antithesis ebrietatis et sobrietatis
 iuxta casus

Ebrietas pixis Pandorae et Lerna malorum,
 Pestis honestarum flagitiique parens.
 Ebrietatis id est, hominum segura Dei mens,
 Quod dirum omne sonans dia elementa lutat.
 5 Ebrietati omnes scelerum sunt orbe ministrae,
 Mille quod exemplis ipse probare velim.
 Ebrietatem Acheron manet et pix nigra per udas
 Tartareas, qua Styx caeca ministrat aquas.
 Ebrietas o dulce malum blandaque venenum,
 10 Hinc procul, hinc Indos et Garamantas adi.
 Ebrietate nihil cernes monstrosius unquam:
 Dispereat Furia haec tam vitiosa precor.

Sobrietas

Sobrietas schola virtutum, Troianus ut olim
 Clara virum in lucem lumina misit equus.
 Sobrietatis id est, precibus quod casta deum mens
 Suscipit, et Christi scit doluisse crucem.
 5 Sobrietati adstant comites: pax, candor, honestas,
 Digna viris gravitas, vita modesta, fides.
 Sobrietatem olim Deus altis ponet in astris,
 Ut superet stellas, Hespere, luce tuas.

5 in tenebris *Ed. pr.* intenebris
 tit. Antithesis *Ed. pr.* Anthithesis
 7 pix nigra *Ed. pr.* pix mista

tit. Ex Cicerone — Pro L. Murena 6, 13
 1 Lerna malorum — v. Margalits

Sobrietas o triste licet, tamen aurea nostrae
10 Spes, hominumque bonum dulce salutis, ave.
Sobrietate nihil cernes felicius unquam:
Quilibet hanc oculis plus venerare tuis.

100

Ebrietas

Ebrietas nocet ingeniis, et corpora perdit:
Sobrietas mentis membraque sana facit.
Ebrietas viduat marsupia, dissipat aera:
Sobrietas oculos laxat et auget opes.
5 Ebrietas rigidas in pectore suscitatur iras:
Sobrietas pacem, prompta iuvare, colit.
Ebrietas diras eructat in aëra voces:
Sobrietas grates occinit ore Deo.
Ebrietas odiosa piis tandem exsulat urbe:
10 Sobrietas cuius mellea tota venit.
Ebrietas iacet aeternum, ut sus sordida coeno:
Sobrietas altum tollit honore caput.
Ebrietas mundo cita nomen perdit honestum:
Sobrietas terris vivida semper erit.
15 Ebrietas Acherontis init post fata paludes:
Sobrietas coelo vescitur ambrosia.

101

Salus domine Hans

Egregiam posset mihi sus optare salutem
Ebria, quae sanae nil rationis habet.

102

In temulentos poetas et cantores

Est unum id vitium cantoribus atque poetis,
Quod vinosa canant carmina, si qua canant.
Inficias nec eo, quod oporteat esse canentis
Humidulos: at aquas ex Helicone bibant.
5 Immo hinc ebrietas cantoribus atque poetis
Ni fuant, ut faciant, carmina nulla placent.

tit. Ed. pr. Aliud
4 opes Ed. pr. ops

De se ipso

Ebrius haud homo, sed volo trux ego bestia dici,
 Bestia nec dici spurca, sed esse, volo.
 At, tu Christe Deus, qui vis ne bestia dicar,
 Fac, precor, effigies sim maneamque tua.

Definitio ebrietatis

Si tibi sponte scyphis ratio ac oratio cessat,
 Hoc voco ego foetens ebrietatis opus.

Aliter ex illo Pauli: Ne inebriemini vino,
 in quo luxus est.

Nam quid agas? vinum bibe, non bibe, apostolus idem
 Cur ait? an tanto sunt ea digna viro?
 An? quia nil cyathus peccat, quum porrigis ori
 Visceribus quantum sit medicina tuis.
 5 Hoc bibe, si memor es te ipso: geris omnia pravi,
 Heu scelerum fons est, vina bibisse nimis.

Odium et amor vini

Odi et amo vinum: faciam cur ista, requiris?
 Pestis et haud fallax est medicina merum.
 Ut medicina merum, non pestis noxia fiat,
 Naturae quantum sufficit ergo bibo.

In paucos libros et multa pocula habentem

Vitrea plura libris musaeum pocula cernit:
 Musaeum anne meret dicier, anne cadus?
 Artificem, quis sit, demonstrat et ipsa supellex:
 Lurco bibax igitur, non studiosus homo es.

1 apostolus **Ed. pr.** apostus

tit. ex illo Pauli — Eph. 5, 18

1 Odi et amo — Catull. LXXXV, 1

In theologum helluonem

Qui praeter Bacchum refoles nihil atque Falernum,
 Helluo, te mystam, pessime, tene vocem?
 Talibus heu porcis quod margaris illa palaestram
 Cedat, quos hara, non sanctior ara, decet.

Cantori bibulo

Vix sic assequitur bene vultur odore cadaver,
 Quam tu, lurcones qua bona vina bibunt.
 Quando datur gratis, distendis guttura late,
 Ut, si fauce foret, iam mola posset agi.

Excusatio cantoris

Ipsa facit quoque nempe levis axungia currus,
 Nostra sed humores musica semper amat.

Pastori lurconi

Cur toties madidos inter sis, quaeso, bibones,
 Plebsque tibi mores arguat esse malos.
 Ad mensam et cyathos, dicis: quoque saepe sodalis
 Zacchaei quondam Christus et ipse fuit.
 5 Egregie mihi respondes: non ille notari
 Labe potest: at tu, nil nisi culpa, potes.

Cuidam querulo

Pauper es, hoc fautor; sed vis: nam ditior esses,
 Si modice cyathos tollere cura foret.
 Non tibi condoleo; sis Codrus et Irus: honestam
 Qui paupertatem subleuat, ille sapit.

4 fuit Ed. pr. fugit

3—4 Ad mensam Zacchaei — Luc. 19, 1—10

In potatores ex calceo mihi cerevisiam propinantes

Qua iacet Ellysius Cerere et gleba ubere campus,
 Rustica mi hospitium nocte taberna dedit.
 Fecerat heic udos nimium cerevisia fratres,
 Hospite sermones vix faciente domus.
 5 Is me sex et equos hac conditione recepit,
 Ut biberem ex cyatho tum mihi sorte dato.
 Intueor cyathum, pedis est munimen, et ori
 Praecipit, ut iungam, aut me iubet ire foras.
 Quid facerem? sordes bibo sed post calceus, orto
 10 Sole, nihil sumptus me numerare sinit.
 Da veniam, hospes, ait, quod heri peregrinus ut inter
 Tu quoque debueris nos ululare lupos.

In vitro-phagum Cracoviae suffocatum

Sors ubi me vellet medios transire Polonos,
 Et domina mansi tres ego in urbe dies.
 Sarmata qua vitreas fuerant quae pocula testas
 Dente fero ipse sibi triste voravit opus.
 5 Nam misero frustum cum voce in faucibus haesit,
 Et frustra auxilio caetera turba fuit.
 Vix ter dixisses noster pater, exhalavit,
 Pulmonisque tenax fusile fecit iter.
 Ut vidi, ipse fere perii, coelique verendum
 10 Extimui, ne nos perderet illa domus.
 I iam contemptor Superi, ede stupenda, ede vitrum:
 I nunc, et vetitis vescere, lurco, cibus.

Ad amicum pocula exhausta postulantem

An me hominem esse putas, an vaccam? poscis ut urnam
 Epotem: haud vitam tu mihi amice cupis.
 Non hos traxisti claro, Lacedaemone, mores:
 Spartae habet arbitrio pocula quisque suo.

tit. vitro-phagum *Ed. part.* vitrophagum

11 ede stupenda *Ed. part.* aede stupenda

3 Non *Ed. pr.* Nec / Lacedaemone *Ed. pr.* Lacaedemone

5 Nolo scyphis: si vis, more et pugnemus amore,
Ut nostram aeternet qualibet aura fidem.

116 In templum vini vasis repletum

Ecce, Deo, si nescis, plebs cui serviat ista,
In fano positus indicat, ecce, cadis.

117 In foeminam ebriam

Dic mihi, quisquis aves bene verum farier, orbe
An quicquam toto foedius esse queat?
Quam (quod saepe vides) mulier perfusa Falerno,
Nescia quae media currit in urbe sui.
5 Monstrum hominis videas: vacat os sermone recocto,
Exsulat ore pium, pectore, fronte pudor.
Baccha ita per campos et per iuga concita thyrsos,
Vix furit et spurcos est adaperita sinus.
Vos ego culpo viros: sed honestos laudo Quirites,
10 Quod Furias malunt fuste domare suas.

118 In potatorem mature barbescentem

Nunc ego non miror, madidissime lurco bibonum,
Cur tibi sit mento tam cito nata seges.
Arida quae tellus et quam non perluit unda,
Calvicie longa plana manere solet.
5 Sed sunt arboribus frondes, sunt gramina campo,
Quando frequens largis decidit imber aquis.

119 Idem eidem

Cur implume mihi, bibo foede, os obiicis uni:
Scilicet annosum te tua barba facit.

tit. foeminam **Ed. pr.** feominam

4 media **Ed. pr.** medra

7 concita **Ed. pr.** concitat

9 Quirites **Ed. pr.** quiritas

120

In cataphractum equo suo plus debito bibere
non permittentem

Quum gelidas avide fors rostrum immittit in undas,
Fortis, equum fraeno cur, cataphracte, trahis?
Anne fatigato quia sic aqua nempe caballo,
Si magno fuerit gurgite pota, nocet.
5 Est ita: sed miror, parili cur tu quoque legi
Non sis adstrictus, pocula quando trahis.

121

Cur ebrii omnia effutiant.
Ex Seneca

Mos est, ad cerebrum bene si penetravit Iacchus,
Nil non incipiunt garrula pocula loqui.
Tunc ubi vel proprii volat irrevocabile verbi
Et sibi fata creat tristia vocis opus.
5 Nempe docent eadem doliis nova musta natantes,
Quae eructant partes eiiciantque cadis.

122

In quendam, a tribus famulis ex convivio ductum

Claras hospitibus Lacedaemonis approbo leges,
Quae face convivas nocte redire vetant.
Scandala ne qua vir excellens det forte minori,
Si lapsando petat, quos colit ipse, Lares.
5 Aut si forte quid adversi ferat inter eundum,
Mature a cyathis discat abire domum.
Sed quidam lurco, tota primarius urbe,
Visere convivas sole cadente solet.
Mane tribus famulis bene potus fertur in aedes,
10 Cum risu tota plebe vidente, suas.
Nobilis o salve decus, haud imitabile nobis,
Spartae, quae verum novimus ore deum.
Iudicium tolerabilius, Lacedaemon, ab axe
Scilicet Ellysio te quoque sicce manet.

1 penetravit Ed. pr. penetravit

tit. Ex Seneca — Epist. 83, 16

De vino distillato

Ergo ne hoc satis est terrae potare cruorem,
 Forte Gigantaeo qui nece natus humi?
 Unda quoque (heu) bibitur Stygias imitata paludes,
 Et Lethe quales pota ministrat aquas.
 5 Triste olim Satanas vinum iam dulce propinat:
 Sic auceps miseris blandus inescat aves.

De pluvia Medardi die decidente

Luce, Medarde, tibi sacra si decidat unda,
 Vulgus ait lacrimas continuare Iovem.
 Neu quater inde decem siccam esse solere diebus
 Tellurem, et pluvias semper habere suas.
 5 Ecce fere totidem nunc decidit unda diebus:
 Non semper nugas vanaque vulgus ait.
 Causa patet, madidis si passim vina tabernis
 Non pluerent, lux heic multa serena foret.

In militem effringentem cellam vinariam

Strenuus, ecce, sui fecit praeludia Martis,
 Bella gerens cella miles in hacce gravis.
 Perge vir in simileis, o praestantissime, pugnas,
 Horret ob adventum Thracia tota tuum.
 5 Victor eris certe, praestat tua mascula virtus,
 Non Baccho aut cyathis Turca sed ense vir est.

In militem ebrium et meretriculam in sinu fiventem

Perdedit ebrietas Macedum olim regna: quid ergo
 Mirum, si nostram perderet Ungariam.
 Perdedit incestus Phrygiam Troiamque: quid ergo
 Mirum: si nostram perderet Ungariam.
 5 Heic ubi certatur pateris: ubi miles in armis
 (Ecce) Cupidineis semisepultus agit.

tit. in sinu *Ed. pr.* insinu

Ah, ah impietas: cur illi bella movemus?
Quo duce nostra Getis bella movenda forent.

127

Templum et oenopolium

In Domini sacram vix advenit unus et alter,
In Bacchi legio non ruit una domum.
Quando sonant turres sibi quilibet obstruit aures,
Syrenumque sonos edere monstra putat.
5 Cantarus immodice madidas ubi verberat auras
Acer, quis pennas non citus hospes habet?

128

Asoto in via titubanti

Ebrie, si Deus ipse foret plaustrum instar onusti,
Cedere vis nulli bestia curva via.
Proh! ita particulam divinae mentis habentes
Ebrietas asinos impetuosa facit.

129

Ἐν οἴνῳ ἀσωτία

O vindemia Daemonis, culillos
Siccare ac diurnius Falernum
Perpotare: suas ubi scelestum
Fert Pluto decimas: decem tabellae
5 Qua Mosis rudimenta fracta testas
In tot mille iacent, et obloquuntur
Non unis vitis Deo parenti,
Siccare is diurnius culillos
Non dat: nobile sed creat Falernum,
10 Ut laudes recites Deo parenti.

2 ac *Ed. pr.* de

3 Perpotare *Ed. pr.* Ber potare

7 unis *Ed. pr.* unus

8 Siccare is diurnius *Ed. pr.* Siccareis diurnus

9 creat *Ed. pr.* erat

130

Vinum et fornicatio auferunt cor regis

Dic mihi, quid frangat fortissima pectora regum?
Personae ut nequeant plus meminisse suae.
Nonne gerunt cyathis obnoxia corda furori?
Personae ut nequeant plus meminisse suae.
5 Vos melius, quorum parcebant Massica reges
Poscere, ne vino noxia sceptrata forent.

131

Epicedion mortuo, ob immodicum vitae aquae usum

Disce viator: obit, quem saxum contegit istud,
Immodice vitae quando bibisset aquas.
Disce viator, obire potes, sic vivere si vis:
Christus habet vitae, caetera mortis aquas.

132

Ad pocula de sacris rebus disputanti

Ebrie porce, sacris de rebus ad uda furenter
Pocula, nec docto teste, tot ergo crepas.
Ipse vir es, fungus pars caetera: disputo sacra
Mane domi, heic vir sis, si placet ergo, veni.

133

Theologo, pauperum nuptias fugienti

Rex regum, dominus dominantium simplice Cana
Munera pauperibus magna dedit thalamis.
Tu satus obscuro patre, terrae filius, Irus
Tenuia cum celebrat gaudia, nullus ades.
5 Semper donari vis, non donare: Magistrum
Hocne suum est vita, religione sequi?

tit. Vinum et fornicatio — Os. 4, 11

tit. vitae aquae — Apoc. 21, 6; 22, 1

1 simplice Cana — cf. Ioan. 2, 1—10

134

Nob[ili] et Ampliss[imo] V[iro]
D[omino] Ioanni Crausio etc.

Iane, celebrares quum magno hymenaeia plausu,
Laetitia urbs aderat tota quid ista tuae?
Nemo tunc villam vel habebat iugera: nemo
Est thalamis, dixit nupera sponsa, meis.
5 Causam ego non dico, quam vulgus dixit: amicus,
Pocula si dones, quisque vacare potest.

135

Turcae abstemii

Cur Geticus vetuit bibere induperator Iacchum,
Et Mosi obsequium fert bene turba suo?
An? quia Marticolas vino haud decet esse gravatos,
Bacchicus a castris exulat ergo liquor.
5 Discite vos animae illustres, exercita Marte
Pectora, pro Christo quos saga ferre iuvat.
Discite: nec pudor est vestros imitarier hostes:
Ah nimium est, sortem ventre perire bonam.

136

In homicidam et adulterum per temulantiam factum

Res pluma levior, pateras siccare, putatur,
Dum modo servetur sic socialis amor.
Sed nego: scit latam viciis aperire fenestram,
Atque scelus sceleri scit cumulare merum.
5 Quidam, aiunt, Stygii persuasus rhetoris ore,
Crimine sic triplici debuit esse nocens.
Solveret aut hominis non noscia pectora ferro,
Aut foret obscaeno turpis adulterio.
Seu Bacchi fieret vas ipse bibacius: ergo
10 Pondera solliciti computat usque mali.
Hinc subit ebrietas, crimen sed mitius illis,
(Quod patrat ipse, quis hoc rex cohibere potest.)
Tum facit innumeris obnoxia guttura poclis,
Hinc ratio princeps corporis esse nequit.

tit. **Ed. pr.** Ioanni Krausio de vino ipsius nuptiis propitano

5 exercita **Ed. part.** exercitia

15 Coniuge nam caesa alterius cum coniuge metas
Transilit: I leve dic ebrietatis opus.

137 Gen[eroso] et Egr[egio] V[iro] Ladislao Donai,
praeter Hungarica pruna nihil comedenti
et praeter lac et aquam nihil bibenti, ab annis 46

Qui te, qui Ladslae, tamen genuere parentes?
Quis te semideis non putet esse satum?
Non haec illa aetas, qua sint mortalibus herbae
Panis; agant homines absque foco atque coco.
5 Nulla est uberibus, nulla est reverentia fonti,
Lautis summa cibus, maxima cura scyphis.
Viscus aveis vincit, ponuntur retia sylvis,
Et raro liquidae pisce natantur aquae.
Occupat hinc nostras tota India odore culinas,
10 Ignis et innumeras praeparat arte dapeis.
Ingluvie multos gula pauperat undique Croesos,
Et mors sunt magnis vina merumque viris.
Quippe habet ebrietas et primas crapula partes,
Est magis abiectum sobrietate nihil.
15 Ni potesque voresque simul, sapientulus audis,
Nilque hominis passim dicitur esse tibi.
Nemo tuos autem est, qui ausit praecedere mores,
Quam qui naturae bella parare velit.
Me stupor invadit, tua quando pedissequa prunis
20 Capsula se prodit, se liquor ille tuus.
Qui te, qui, Ladslae, tamen genuere parentes?
Quis te semideis iam negat esse satum?

138 Ad cancellarium principis Transylvaniae

Quam cepisti hodie solo cum principe solus,
Spectatrix coenae pars ego pone fui.
Coena brevis, somnus levis est, brevis utraque res haec
Principe digna viro, milite digna viro.

15 caesa **Ed. pr.** casa
tit. **Ed. pr.** Ladislao Donai praeter Hungarica pruna nihil comedenti et praeter lac et aquam nihil
bibenti iam ab annis 46

11 Croesos **Ed. pr.** Craestos

Ezechieli Piverello et Ioanni Schirmero medicinae
doctoribus

Dicere fors mihi sic fas est: quod larga colonis
 Messis, id est medicis morbida turba viris.
 Horna fruge sibi ceu rusticus horrea complet,
 Cum pretium longi dulce laboris habet.
 5 Sic ope qui medica iuuit, marsupia laxat
 Aere dato, atque suas semper acervat opes.
 Ergo ego dum vestras conor praecidere messes,
 Vos miseros posthac esse laboro viros.
 Pace tua, medicum par nobile, dico: nec hilum
 10 Proficis, emeritos calce ubi pungis equos.
 Messis erit medicis, donec spes ulla colonis,
 Rus, agri, equi, ligo, falx plaustraque donec erunt.

140 Opt[imo] et Integ[errimo] V[iro] D[omino] Ioanni Vigando,
 pharm[acopolae] Cassovienn[si]

Cum semel occineret de more Ecclesia prisco
 Vocibus in sancta talibus usa domo:
 Da pacem, Domine, in nostris, Deus alme, diebus,
 Quidam forte sacra miles in aede stetit.
 5 Quid facitis? clamat: bella horrida, bella rogate,
 Non de lucrando haec cantio pane mihi est.
 Sic ego dum revoco madido a certamine natos
 Portare arma udae strenua militiae:
 Unde ferunt medici spolia et marsupia complent,
 10 Iratus quoque fors quis mihi Phoebus erit.
 Nil metuo, mihi crede Vigande: en proficit illa
 Quantum, versiculis tantum ego nempe meis.
 Quo magis optatur prece pax, hoc plus tamen usque
 Impius in toto Mars furit ipse solo.
 15 Utraque cessabunt ad Graecas bella calendas,
 Aut annus magni quando Platonis erit.
 Ast ego malo tamen campo, quam occumbere cella,
 Illa necat corpus militia, haec animam.

tit. Ed. pr. Wigando Weinspergero Pharmacopolae Cassoviensi

9 Pace tua — Terent. Eun. 466; Cic. Tusc. V, 5, 12; Tibull. II, 5, 105; Catull. 66, 71; Prop. III, 20, 4

141 Egr[egio] et Cordato V[iro] D[omino] Caspari Dür,
Fileciensi provisorii

Aridi habes nomen, non quod tam pocula siccas,
Sed quia coniugio siccus es usque tuo.
Pocula siccando modice plus Iuppiter imbrem
In Danaes tandem largiter arva tuae.
5 At ne me similis quoque culpa redarguat, agrum
Noveris utiliter meque rigasse meum.

142 Aegrotanti ob immodicam ingurgitationem

Corpore ut in sano tibi mens sit sana, quid oras?
Nonne valetudo te penes illa fuit?
I, morbum coram dura quiritare noverca,
Lurconi mater nunquam Hygia fuit.

143 Invido mihi mortem voventi

Quid te optare mihi lethum iuvat, invide? nempe,
Quod sua vota canes, ut moriantur equi.
Me studium pallere facit: te pocula, Cypris,
Ambitio; tibi nex, vita mihi illud erit.

144 Seni lascivo et decrepito

Curve senex, edentule mus, cur, quaeso, propinas
Te deridendum, et damna tibi ipse struis?
Miles inermis in hoc bellum vix stipite repis:
Mors est imbelli bella puella seni.

tit. **Ed. pr.** Ad Casparum Dür
tit. lascivo **Ed. pr.** lascivio

1 Corpore ut in sano — cf. Iuv. X. 356

145

Vetulo, coniuge vix sepulta, aliam ducturienti

Tantum here lacrimulas crocodili, turpis agaso,
 Mittebas oculos docte madere tuos.
 Nondum hodie albebat coelum, motacilla volabat,
 Mox Venerem viduo conciliare novam.
 5 Fuste dolande senex, barbam quin aspicias albam:
 Bestia trux homines, non imitare canes.

146

Puellae nubenti decrepito et rudi

Tune potes Mopso, Laedae aemula, nubere, Nisa?
 Tune potes curvo plana iacere seni?
 Non huic propter opus, sed opes, das oscula Codro:
 Stulta puella nimis, stulta puella nimis.
 5 Quid te iam fiet? vis scire? ah ditior esse
 Dum cupis, impura Thaide peior eris.
 Crabrones tuus ille tibi irritabit, ut extra
 Praescriptam salias, turpe sequendo, viam.
 Scilicet haeredem te scribat ut ille, iuvenicum,
 10 Qui tibi dulce magis, clam patiere virum.

147

Seni vix ducta puella mortuo

Hoc ego sperabam, nec me spes illa fefellit,
 Nex est, quod vitam credidit esse senex.
 I nunc, quisquis aves, tali te credito bello:
 Vivificat iuvenes virgo necatque senes.

6 Bestia **Ed. part.** Bestria

7 tuus **Ed. part.** tuos

5 Fuste dolande senex — cf. Hor. Sat. I, 5, 23

1 Mopso nubere, Nisa — cf. Verg. Ecl. VIII, 18; 26

7 Crabrones irritabit — Plaut. Amph. 542

148 Concionatori ebrio, perperam legenti epistolam Pauli
 2Cor 11

Est quidam, at dignus querno qui fuste doletur,
Et porcos, Christi non ita pascat oveis.
Huic ubi pro officio stanti sacra epistola ad aram
Ad populum plena voce legenda foret:
5 Haec: Hebraei sunt, sum et ego, pronunciat *ebri*
 Sunt, sum et ego, est index scilicet os animi.

149 Theologunculo, pro concione computationem hesternam
 ruminanti

Saepe fit, hesternum quando edormire Lyaeum
Non licuit, mane est concio habenda tamen.
Nec postilla tuos est consolata labores,
Pol nimium docte verbera verba facis.
5 Causam agis ante Deum, si fors te rustica vicit
 Turba here, nec pugnae sat fuit hora tuae.
Hercle nocendum aliqua rursum est, aut vita recedit:
Pastorem gravitas iraque magna decet.
10 Gratia non parva est, bacchando quando sacerdos
 Miscere ampullis sesquipedale potest.
Res Euangelii non tanti est, lecta secutus
Ut doceas: res est priva docenda prius.
Nonne vides Corydona tuum, ecce, heic, ecce, sedet iam,
Qui pocla in faciem iecit here usque tuam.
15 Deiice suggestu Lybicas, trux omnibus, iras,
 Dic, dici hesterno haud quae potuere die.

150 Oranti post longam et madidam coenam

Stentor es ante cibos, et verba precantia fundis
Rite, nec est linguae semita curva tuae.

14 in faciem *Ed. pr.* infaciem
tit. longam *Ed. part.* lonam

1 fuste doletur — v. 145 5
5 Hebraei sunt — 2Cor. 11, 22

Quum sessum est epulis, et Massica, Bacche, tulisti
 Munera, nescio quis scrupulus ora tenet.
 5 Balbe tace: non est oratio grata precantis
 Cum lue, peccatum est, lurco ubi dia facit.
 Ito domum, pueris cum lalla: forsitan ista
 Est, qui te melius scit recitare Deo.

151

Sine Cerere et Baccho friget Venus

Si rutam, buxum et comedas cum vitice bulbum,
 Te Veneri corpus posse negare, ferunt.
 Cypridos ut reprimas Furias, mage fercula vitae
 Lauta, nec immodice sumere disce merum.
 5 Plus aptum est ruta, buxo et cum vitice bulbo,
 Et Cereri et Baccho ventre litasse parum.

152

Sitio

Tune sitis, mi Christe, cruci iam fixe, perennis
 Qui fons es vitae, vividus humor aquae?
 Cuius ope e saxo produxit flumina Moses:
 Cuius ope ex sicco Samson et osse bibit.
 5 Cuius ope unda fuit simplex in nobile vinum
 Versa: et cuius ope haec imbre madescit humus.
 Cuius ope hoc triplex terrarum opus aestuat asper
 Pontus, et immenso pocla dat usque solo.
 Ah mi Christe, sitis: ne nos sitiamus, ut alter
 10 Tantalus: o vitae te sitiamus aquas.

4 quis *Ed. pr.* qui

7 cum lalla *Ed. pr.* cum lalla lalla

4 Samson *Ed. pr.* Simson

5 in nobile *Ed. pr.* innobile

tit. Sine Cerere — Terent. Eun. 732

3 e saxo produxit flumina — Num. 20, 11

4 ex sicco osse bibit — Iud. 15, 19

5—6 unda in nobile vinum Versa — Ion. 2, 1—11

153

Cavete, ne corda vestra graventur cibo et potu

Quum fugias, nocitura tuo quae corpore censes?
Cur oneras animam duplici peste tuam?
Dia cibos sedes modice, cor nobile poscit:
Tu de more lupi bestia avara voras.
5 Flamma sitis si vite foret vel fonte levanda,
Tu superas vaccam sorbitione tuam.
Heu, fuge pestiferas animae, fuge pectore noxas,
Ut prece ieiuna poscere fata queas.

154

Esurivi et non dedistis mihi cibum

Heu quoties stomacho petii latrante pusillum
De Cerere inducias, quales sicca ilia poscant.
Ostia pulsavi, surda ostia nempe, domatim
Ante fores (ah) saepe tulit constantia fustes.
5 Saepe etiam me praecipitem deiecit ab ostio
Impius: o semper bruto Euclio corde! tenaceis
Ut poteris cohibere manus? et linquere inaneis
Iri sarcinulas? sane iam vescere solus.
Infameis carpe ore cibos: Examen ad horum
10 Te servat fatale poli mensura, ut alumnus
Ad Satane mensas vescare pice atra: et ut olim
Cras dabo, dicebas: et cras nunquam fuit illud,
Si cras aeternum tibi coeli cella susurret,
Vel si sanguineas plorent ieiunia guttas.
15 Tu quoque, sed frustra, tam poma fugacia captes,
Ut Pelopis pater esuriens praesentia quaerit.

155

Sitivi et non dedistis mihi potum

Quando etiam sicca ora sitis vexabat amara,
Intus erat rogos ascendens et guttura adussit,
Faux praeclosa viam vix ac vix edere vocem
Indulsit, fluidoque austranda liquore fuissent:

6 semper bruto Ed. pr. semperbruto

tit. Cavete, ne corda vestra — Luc. 21, 34
tit. Esurivi et non dedistis — Matth. 25, 42
tit. Sitivi et non dedistis — Matth. 25, 42

5 Usque stetit flexo vacua amphora poplite, et undas
 Nunquam interdicti sic hausit flumine Nili.
 Iam volo, nec tranquillet aquis coelestis anhelum
 Guttura fons: neu gutta tuos descendat in ignes.
 Metior heic aequa sic lance parique referri
 10 Par Astraea iubet: sed aquas aut Tantalus alter
 Postus aquis, sitias Stygiis et sulphuris undas.

156

Agnus Dei

Totius, Agne Dei, mundi qui crimina portas
 Tergore: qui naevos suppressis, Agne, meos.
 Agne, salutiferas qui nobis corporis escas
 Sufficis, o animae nobilis esca meae!
 5 Agne, decus superum! spes terrae: et summa voluptas
 Coelicolum! heu grates quis tibi dignus aget?
 Agne o Agne! capras tot habent haec secula foedas,
 Rara sit ut campo plantula nata tuo.
 Agne o Agne! olidos tellus iam parturit hircos;
 10 Nil est, quam toto foetor in orbe gravis.
 Agne o Agne! olim vicisti nonne draconem?
 Vince olidos hircos, o bone, vince capras.

157

Coena Domini

Quid prodest, dubias ob amicos ducere coenas,
 Nox donec piceis caeca vehatur equis?
 Ambrosia miscere epulas et nectare vina
 Tingere et his longas conciliare moras?
 5 Mox egesta vices per certas ilia poscunt
 Ollas: ex coena coenula nulla manet.
 Heic opus est reparare dapeis ventremque latrantem
 Induciis iterum pacificare novis.
 Quin potius Domini sacrosancta vescere Coena:
 10 Durat in aeternos illa comesta cibos.

9 aequa **Ed. part.** aqua
 5 per certas **Ed. pr.** percertas
 9 vescere **Ed. pr.** vescera

tit. Agnus Dei — Ioan. 1, 29
 tit. Coena Domini — cf. 1Cor. 11, 20

Ieiunium Christi

Christe, quid est, bis viginti noctesque diesque
 Quod placuit rigidam sustinuisse famem?
 Nonne, Deus cum sis, poterant Cererem ossa parentis
 Haec dare communis ventre latrante cibos?
 5 Ah amor, ah bonitas! tantos gula nostra labores,
 Tanta tibi fecit taedia nostra gula.
 Mi Deus, o mi Christe! meo si gutture laesi
 Te quondam, veniam da bone Christe, rogo.

Pomum ab Eva decerptum

Heu dubitamus adhuc discernere iussa Tonantis:
 Hem gula causa necis perniciosa fuit.
 Unius ob pomi gustamen ab arbore fracti
 Prima reos fecit seque suosque parens.
 5 Nos quod eremus habet fera monstris: fecit id Eva:
 Quod genus abiectum, fecit id Eva, sumus.
 Quod tribulos lappasque solum fert, fecit id Eva:
 Quod mala tot miseros, fecit id Eva, premunt.
 Quod Satan imperio nos torquet: fecit id Eva:
 10 Nostra quod est sterilis, fecit id Eva, fides.
 Quod mens et corpus trepidant sacra, fecit id Eva:
 Quod nil quam sordes, fecit id Eva, sumus.
 Quod vitium, quod tetra placent mage, fecit id Eva:
 Quod cor habemus iners, fecit id Eva, bonis.
 15 Quod sitis, aura, fames nos perdunt, fecit id Eva:
 Quod faciunt haec nos, fecit id Eva, reos.
 Quod non cernimus ora Dei, proh, fecit id Eva,
 Quod Stygios bibimus, fecit id Eva, lacus.
 Heu dubitamus adhuc discernere iura Tonantis,
 20 Hem gula (proh) tantum perniciosa malum.

14 bonis Ed. part. sumus

19 iura Ed. pr. iussa

tit. Ieiunium Christi — cf. Matth. 4, 2

tit. Pomum ab Eva decerptum — cf. Gen. 3,1—8

De cibo potuque prisca et nostri saeculi

Olim sponte sua quando dabat omnia tellus,
 Nec faceret lautos flamma superba cibos:
 Panis erant herbae, patula vel ab arbore carpsit
 Mala manus natis, dulcia ventre, suis.
 5 Humor aquae simplex bene guttur et ora rigabat,
 Nulla fuit patinis nausea, nulla scyphis.
 Certabant corvis homines vivacibus annis,
 Et sero morbis contigit absque mori.
 Nunc ubi prima Ceres docuit contundere fruges,
 10 Vasaque sunt avidae Bacchica iuncta gulae:
 Tot sunt morborum species, quot in orbe figurae,
 Corvus et est albus, qui bene semper habet.
 Tota nec est aliud, carmen quam flebile vita:
 Fallor? an est sortis fabrica quisque suae?

Ieiunia monachorum

Vos pecus ignavum, nati sine pectore ventres,
 Quos pro legitima veste cucullus habet.
 Quum trahitis devota Deo ieiunia: cur tum
 Quae pascuntur aquis non nocet esse cibos?
 5 Ostrea cum conchis, cum rhombis carpio, trutae,
 Anguillae, mullus, gobio, perca, lupus.
 Haec devota Deo facerent ieiunia? pauper
 Quae vir pro luxu carperet usque suo?
 O asini in paleis, queis Bacchanalia semper,
 10 Tam vulgo Curios ut simulare queant.

Podagra

Magnates thalamis vexat levioze calentes
 Pluma et nobilibus nata podagra cibis.
 Quem iuvat ergo Ceres, Venus, anser plurimus, ille
 Nodosus fieri nobiliorque cupit.

1 calentes *Ed. pr.* calentos

1—8 Olim sponte sua . . . absque mori — cf. *Ov. Met.* I, 89—112

14 an est sortis — *Sall. De republ.* I, 2

10 Curios ut simulare queant — cf. *Iuv.* I, 3

Ebrietas Nohae

Ut Noha vitisator somno iacet inguina nudus,
 Cum rigat insueto guttura sicca mero:
 Lumina non aliter fiunt ludibria mundi,
 Immodice vino si sua corda lutant.
 5 Quisquis aves de te rude vulgus iudicet aequae,
 Scandala tam diri disce cavere mali.

Plenus venter non orat libenter

Quis locus est precibus verbisque, decenter in aures
 Ut penetrent, supera qui sedet arce, Dei?
 Cum sumpta immodice sepelitur gravis esca cerebrum,
 Esca hebetat sensus cordaque nigra facit.
 5 Poscit enim bene ieiunas oratio mentes:
 Est miser invito qui rogat ore Deum.

Iudici potatori

Semper pectus habes madidum: res iudice digna:
 Est bibulus thorax spongia plena tuus.
 Barba tibi semper stillat: res iudice digna:
 Non mirum, iudex, lurcio nomen habes.

Idem eidem

Nescio, quei fiat: non audes plectere, iudex,
 Ebria queis nox est, ebria tota dies.
 Fors ideo, poena ne forte Zaleucus ut alter,
 Sic oculis misere destituare tuis.
 5 Insidias milvo, nec ponit retia milvus:
 Quod caveant alii, tu prius ipse cave.

2 penetrent *Ed. pr.* penitrent
 tit. potatori *Ed. pr.* potaori

tit. Ebrietas Nohae — cf. *Gen.* 9, 20—27

3 Zaleucus — cf. *Cic. De leg.* 1, 22; *Sen. Epist.* 90, 5; *Val. Max.* VI, 5, ext. 3

Tollite fragmenta

Si quantum ventri satis est potusque cibique
 Sumsisti, cophinis caetera conde tuis.
 Saepe etenim nos turba sumus magis indiga rerum:
 Ut sol idem eadem sic redit usque fames.
 5 Relliquias alios debent superantia frustra
 Pascere: sic nostram scis quoque velle fidem.
 Partem ecclesiolae sibi vendicat Irus, et artes
 Ingenuas, vitam qui bene pascit, habet.
 Vidi ego, mane avida qui perderet omnia fauce,
 10 Vespere ieiuno ventre rogaret opem.

Cuidam Satyro

Mene, quod haud vir sum patinis, ais esse superbum?
 Anne aliquis vinclum hoc expediisse potest?
 Mene, quod haud vacuo plenos, ais esse superbum?
 En logicum hunc nodum quis resecare potest?
 5 Mene, quod haud agito choreas, ais esse superbum?
 Hoc argumentum frangere nemo potest.
 Mene, quod haud facio risus, ais esse superbum?
 Nae nullus nexum hunc expediisse potest.
 Mene, quod obluctor vitiis, ais esse superbum?
 10 Hercle vir es vinci nescius, hercle vir es.
 Vis te depingam: comedo, bibo, capra, balatro,
 Palpo: ex te cudi en ista moneta potest.

Bacchanalia

Semper abit brutum studia in contraria vulgus,
 Nec lex, aut ratio quod sibi dictat, agit.
 Quum flendum est, ridet, redeunt ubi gaudia, plorat,
 Et miranda facit, consona si qua facit.

4 fames *Ed. pr.* famos
 5 Relliquias *Ed. pr.* Reliquias
 2 vinclum *Ed. part.* vinctum
 8 expediisse *Ed. pr.* expedisce
 10 vir es vir es *Ed. part.* vires vires
 2 dictat *Ed. part.* dicta

tit. Tollite fragmenta — cf. Ioan. 6, 12

- 5 Ecce, foret Christi cum crux et passio flenda,
Sanguine quod lueret crimina nostra suo:
Non est luxuries toto speciosior anno:
Ludo, epulis, Baccho quisque vacare solet.

170 In quendam die Veneris impudicum

- Neptuni subolem comedis si Cypria lux est,
Et grave, ais, vitula de comedisse nefas.
Furta tamen Veneris peragis de nocte procacis,
Et spurcus spurca cum meretrice iaces.
5 Bis peccas mundo: sexcentis pectore coelo
Flagitiis onus es, foetide porce, tuis.

171 In milites Germanicos, ducentes in militiam secum
foeminas

Dicite: militiae pudor execrandus, an uxor
(Scilicet est uxor) debeat ire foras?
In concha Venerem sollers depinxit Apelles:
Cypris et in concha debuit esse tua.

172 Theólogo lascivo

Ergo aliam quaeris? vix frigida nupera facta est:
Vis dicam, quid sis? spiritualis homo es.
Sidera quam certos, quam corpore pharmaca sanos:
Tam sanctos homines et tua sparta facit.

173 In sponso dispares

Sic fore praedixit suboles divina: ministris
Cum coram bis sex solveret ora suis.
Ducturiunt hodie pueri implumesque puellae:
Immodice cunctis sunt hymenea locis.

5 passio *Ed. pr.* passia

5 peccas *Ed. pr.* pecas

tit. *Ed. pr.* In XV. nuptias uno die in uno oppido certatim et ex conspiratione celebratas

5 Heu pudor, heu saeculi nimium Venus improba nostri,
 Solvuntur zonae quinque decemque semel.
 Baucis anus calido se laeta supinat amori,
 Triste senis plorat nimpha decennis opus.
 Sic vos sponsorum domini, qui commoda fertis,
 10 Laxastis vestro sordida fraena gregi.
 Sic vos, praesidium populi quos ditat et urna,
 Laxastis vestro sordida fraena gregi.
 Sic vos, pastores quibus est Ecclesia curae,
 Laxastis vestro sordida fraena gregi.

174

Ad convivas suos

Si quando positis celebros convivia mensis,
 Me coqua ridiculum vespere, mane facit.
 Nil holeri incoctam dat de bove simplice massam
 Praeter, et in stomacho quae diuturna iacent.
 5 Lar nec odoriferos sumat flagrantior Indos:
 Pro crebra patina pagina crebra datur.
 Ergo manu plena quod non dat, vapulat hospes,
 Euclio vel dici sordibus ipse meret.
 Quaeso, parum vos heic dulcis teneatis amici:
 10 Socraticos aequi consulitote cibos.
 Sum quia mortalis, non me capit esca deorum:
 Cum Cerere et Baccho lis inimica mihi est.

175 Gen[eroso] et Egr[egio] V[iro] D[omino] Lazaro Hoffman,
 Caes[areo] Epperiessini Trices[imato]ri defuncto

Semper ut exsanguis, mors nullum fronde pudorem
 Exhibet, et quaevis optima, caeca, rapit.
 Ecce, cui transacta fuit sine vita Lyaeo,
 Ecce heic sobrietas, heic tamen ipsa iacet.
 5 Cum videas alios Baccho velut amne natanteis,
 Iniuste interdum Nestora Parca facit.

7 calido *Ed. pr.* calidos

11 praesidium *Ed. pr.* pcaesidium

3 massam *Ed. pr.* mossam

5 sumat *Ed. part.* famat / flagrantior *Ed. part.* fragrantior

8 sordibus *Ed. pr.* sortibus

tit. *Ed. pr.* Lazaro Hofman tricesimato]ri Eppe[riensi] abstemio defuncto

Pace tua liceat sic dicere, Lazare, parce
 Quod Cereris caperes munera nempe iaces.
 10 Quod latices epulasque deum damna esse putares,
 Contraxti immodice corpore damna tuo.
 Sed nunc ambrosiam et nectar, ceu Lazarus alter,
 Elysia felix hospes in arce capis.
 Vesceris in coelo, et duodena in stirpe Iacobi
 Iudex, tibia quum postera clanget, eris.
 15 Utere sorte tua, mi Lazare: torreat illos
 Styx, tu ne digito da, prece surdus, aquam.

176 Nobili et Doctiss[imo] V[iro] D[omino] Michaeli Grebio,
Transylvano

Sim salamandra, graveis quae frigore sopiat aestus,
 Fervida dum Bacchi toxica forte neco.
 Tu mihi sis phoenix Nasonis ab orbe diserti,
 Carminibus priscis qui redivivus ades.
 5 Carmen amo cum vate, sed hoc ut testor amice,
 Hospes cum famulo cras meus esse velis.

177 Illustri, Magnifico et Cordatissimo Heroi ac Domino
D[omino] Christophoro Teuffenbachio

Non bene cum dominis comedit vir pauper: et hoc est
 Quod nollem coenae mixtus adesse tuae.
 Sed quia fortunae me ius iubet ire: rogari
 Nolo viro a tanto tantulus: ire volo.

178 Salutatio sub adventum

Salve magne Senex, Mavortis gloria salve!
 Heic ego quo faciem sisto volente meam.

8 iaces **Ed. pr.** iacet
 tit. **Ed. pr.** Ad Sigismundum [!] Gereb Transylvanum
 5 testor **Ed. pr.** tester
 tit. **Ed. pr.** Ad Christophorum a Teuffenbach cum me ad coenam invitaret

7 Pace tua — v. 139 9
 15 Utere sorte tua — Verg. Aen. XII, 932
 16 tu ne digito — cf. Luc. 16, 24

Eidem a coena

Simplice pro vena mihi dulcia vina dedisti,
 Paupere pro dives carmine coena fuit.
 Nec satis hoc: loculos mihi tu quoque deinde capaceis
 Implesti multo caesare, large meos.
 5 Nonne vel Augustus, Mecoenas nonne vocandus?
 O studiis heros post celebrande meis.
 Tu modo scribe tuum quoque me: mihi crede superstes,
 Cui sacra Musarum dulcia, semper erit.

180 Nob[ili] et Strenuo V[iro] D[omino] Iosepho Amman,
Equiti Stiriaco

Salve nobilium decus virorum,
 Qui pro versiculis parum politis
 Das, quae cuncta queant polire, fulvum
 Aurum intelligo prandiumque: salve.

181 V[iro] Rev[erendo] et doctiss[imo] D[omino]
Nicolao Blumio, P[astori] Bregensis Eccl[esiae]

Meae num memor es profectionis,
 Bregensis pie principis sacerdos,
 Meae Leucoreae profectionis?
 Quum dulcem leporem dares edendum,
 5 Quando, inquam, leporem dares edendum,
 Tam dulcem, ut moveat vel heic salivam,
 Sustentata fames ubi revortit.
 Si possem lepori tuo leporem
 Meum reddere: ibi ut tibi salivam
 10 Moverem (licet hercle talionem
 Rideres) mihi nempe gratularer.

tit. **Ed. pr.** Iosepho Amman nobili Stiriaco

tit. **Ed. pr.** Nicolao Blumio Bregae me hospitio suscipienti

6 ut moveat salivam — cf. Sen. Epist. LXXIX, 6

Theol[ogo] et V[iro] Opt[imo] Doctiss[imoque] D[omino]
Martino Sturmio, Concionatori Leutschovien[si]

Quam causam rear esse? iam duello,
Sturmi, barbaries agone vincit
Gregem, numina vera sed professum.
Qui Christi roseo cruore tinctus
5 Vexillo roseoque militavit.
Et iam nos miseros brevi fugabit:
Nostris aut domibus necabit ense
Nos nostrosque: Deus, Deus resistat.
O Sturmi! hercle pudor licet fateri est!
10 Pol verum tamen heic ego profabor:
Poelis militiae domique poelis,
Luxu militiae domique luxu
Certamus: nihil hostis acer horum
Patrat militiae domique: Turca.

Friderice Taubmane, poeta coronate

Cuius in ore novem posuere cubilia Musae,
Cuius et est Phoebi curia pectus, ades.
Dispeream, vel teste Deo, compescere ventrem,
Si nolim solo cum sale pane, meum.
5 Dum modo mi liceat coenas et prandia tecum
Sumere, donec et heic me Deus esse volet.
Uno mense mihi tecum mensa una salivam
Saepe movet: reliquos nauseo quippe cibos.
Exhibet ambrosiam dictis, et nobile nectar
10 Fundit ad indultu, France poeta, tuo.
O Venerum, salium, doctorum o cella leporum:
Felix cui tales contigit esse cibos.

De columbis Taubmanianis

Nil sapiunt aliae, comedo si forte, volucres,
Si non exhibeat mi quoque mensa tuos.

tit. *Ed. pr.* Martino Sturmio theologo

6 Et iam *Ed. part.* Etiam

7—8 salivam Saepe movet — v. 181 6

O tam macte bonis avibus: Taubmane, columbae
Ad gustum hae faciunt, semper amice, meum.
5 Sed quoniam tam saepe pipunt connubia vestra,
Nunc haveo pullos usque comesse tuos.

185 Viro Nobiliss[imo] et Strenuo D[omino] Erico Lassotae,
Caes[areo] Lustrationum in Hungaria superiori magistro

Haud, generose vir, est verum, quod castra secutis
Nulla fides etiam, dicitur, esse viris.
Miles Abramus erat: quo milite nostra triumphat
Relligio; David, Iudita miles erat.
5 Miles erat Iosue, Gedeon, patris unica proles:
Christus erat miles militiaeque decus.
Nostra nec est aliud, quam bellum et praelia, vita:
Militat at Christo qui duce, victor erit.

186 Epitaphium lurconis

Heic iacet infelix post ultima pocula lurco,
Cui cyathos praeter nil bene dulce fuit.
Unde decem ter, et hoc mirum, vix attigit annos:
Naufragus in Stygias iam penetravit aquas.
5 Discite lurcones, vos discite vivere vitam,
Quae decet: aeternam, qui bene vixit, habet.

187 De quodam Papa, bibente vinum ex Talya,
oppido Hungariae

Hungara ni Getici sentiret acynacis iras,
Nonne satis felix terra vocanda foret?
Ut taceam reliquas, queis coelitus aucta superbit
Dotibus, est sapido nobilitata mero.
5 Incola qua passim generosas educat uvas,

tit. **Ed. pr.** Erico Lessotae lustratori militum Caesarianorum

3 Abramus **Ed. part.** Abrahamus

5 Iosue **Ed. part.** Iosuae

4 in Stygias **Ed. pr.** instygias / penetravit **Ed. pr.** penitavit

1—2 castra secutis Nulla fides — Lucan. I, 92; X, 407

Est locus: Hungarice Tália nomen habet.
 Hinc Bacchi latices avexerat Itala tellus,
 Dulcia Pontifici dona ferenda suo.
 Mox Pater admiscens cupidis nova pocula labris
 10 Laudat, et unde liquor sit bonus iste, rogat?
 Subiicit huic aliquis, cui nota locique merique
 Conditio: est matri Tália nomen: habes.
 Gratulor ergo mihi, Papa dicit, talia nobis
 Vina: patrem sanctum talia vina decent.

188 De alio quodam Papa, accipiente dono vinum ex Szánto,
 Ungarico oppido

Iam didici verum: tractare fabrilia fabros,
 Gaudere officii nomine quenque sui.
 Hoc exempla docent Romani praesulis, olim
 Cui sancto Szánto munera sancta dedit.
 5 Sancte pater, bibe vina: licet, quia sancta, sed heus: ne
 Hinc titubes, sancte tu quoque vina bibe.

189 D[omino] Ioanni Fabricio, Theologo doctissimo

Hanc mihi tu historiam narrasti, Iane suavis,
 Hanc iterum versam carmine narro tibi.

190 De Swevo loquace, salace

Si sic Marte potens esset, velut ore, Suevus:
 Quilibet hunc belli diceret esse deum.
 Si sic arte potens esset, ceu Marte Suevus
 Nocturno: quis eum diceret esse hominem?

7 avexerat **Ed. part.** auxerat

13 ergo **Ed. pr.** ego

tit. **Ed. pr.** Ioanni Fabricio

1 tu historiam narrasti, Iane suavis, **Ed. pr.** narrasti historiam vel, Iane, fabellam

2 narro **Ed. pr.** sacro

tit. **Swevo Ed. pr.** Sveco

1 Suevus **Ed. pr.** Suecus

3 Suevus **Ed. pr.** Suecus

In picturam temperantiae

Quid sibi vult mulier, sollers quam fecit Apelles,
 Ista, quod in patera lumina fixa gerit?
 Urnam dextra tenet, quam mascula tollit in auras,
 Pendula qua fluidum fertque sinistra merum.
 5 Edocet, ut sic quisque sibi quoque vina ministret,
 Quantum habeat pateris cernat et ante suis.
 Vina modum poscunt: si desit regula vino,
 Certa est naturae pugnaque morsque tuae.

 Intemperies quorundam, ob diversam religionem
 doctos et bonos viros
 perperam odio prosequentium

Erga homines fidei diversae, ast arte politos
 Ingenua atque bonos, qui volet esse Timon:
 Nae facit ille, nimis sapiendo ut morio fiat,
 Exsuat humanae conditionis opus.
 5 Carminifex quod carnifices non flagrat, honesti
 Est ratio: at doctus dignus amore vir est.
 Ad nostros olidus faceret coriarius usus:
 Si de Pegaseo fonte bibisset aquas.
 Atque suas nosset si plus, quam scalpere pelles,
 10 Esset amicitiae portio cerdo meae.
 Hoc si relligio vetat: o vos ite, valete,
 Hinc procul, hinc omnes, ethnica corda, sophi.
 Absit Aristoteles, Cicero, Plato: quilibet absit
 Philosophus, Latium, Graecia quosque tulit.
 15 Heus, sciote, heus: Christum et Paulum occinis? immo ego novi,
 Dixit ave Christus, dixit et alter ave.
 Lucifer in coelis, Adam peccavit in horto:
 In media Sodoma Loth bonus ipse fuit.

Symposion poeticum lectori meo

Zoilus his etiam si quis (vel in optima pronos
 Angulus ut Momos nunc habet omnis) erit.
 Qui te forte roget, Lector, cur ista velimus
 Exstare, ad modicos quae fabrefacta scyphos.

5 Redde: iubet grates nos dicere, quidquid agamus,
Inque pia excelsum vota vocare Deum.
Paulus: discipulo quoque qui interdixerat undas,
Iusserat et modico quaerere sana mero.
10 Praebibit, haud cyathos Bocatius ebibit amplos,
Dumque alii potant, se ex Helicone rigat.

194

Aliud ad Ioannem Balogum

Est una ex nostris mihi certa pedissequa Musis,
Sive domi faciam carmina, sive foris.
Annotat illa cito, si quos ego abortio versus,
Et mox furtivo concipit omne stylo.
5 Haec ubi amicorum perlustrant lumina, poscunt
Ut reliquis, lucem cernere iuncta velim.
Quae nihil artis habent, nihil indolis, anne politis
Calcographi dicam carmina digna typis?
Prime sodalities cur poscis talia nostri,
10 Et sat digna putas, care Baloge, legi?
Tu quoque idem poscis, nimirum ut amator amatae
Quisque suae tantum Phyllidis ora probat.
Nec tamen inficias eo: non mora longa poetam,
Sed facit ingenium materiesque bonum.

195

Ad Severinum Sculteti, de Turcica puella Epperiessini solemniter baptizata et ante Immi, iam Elisabetha vocata

Hac patera voveo venerande affinis, ut ista
Turcica sit veri filia vera Dei.
Immo omnes fiant, Mahumeti nomen honorant
Quicumque: ex animo hoc, vir venerande, precor.

5 perlustrant *Ed. pr.* pellustrant

10 care *Ed. pr.* cari

1 venerande *Ed. pr.* reverende / ista *Ed. pr.* illa

4 venerande *Ed. part.* verande

7—8 Paulus Iusserat — cf. 1Tim. 5, 23

196

Petro Melcero podagrico

Nobilis et generose vir, hoc tibi praebibo poclum,
Ut tua discedat curva podagra procul.

197

Michaeli Wirt notario

Epperiensis ave flos, atque notarie salve!
En, iam quo valeas tuque tuique, bibo.

198

Amico cuidam, cum mihi propinanti responderet:
Sit tibi salutis: pulvis et umbra sumus.
Meum Anacreontium

Ut tibi longa salus fiat, producis, an autem
Sit mihi, sall ut sin? voll is es. Umbra sumus.

199

Ezechiel Hebsacker in nuptiis S. S.

Vir reverende bibam, quoque vivo utroque parente,
Ut quondam haec fiat filia sponsa, suo.

200

Caspari Franco

France, poetarum non ultime, prosper ut annus
Transeat hic nobis, hunc modo bibo scyphum.

201

Eidem, cum de coniuge aegrotante loqueretur

Ut valeat natumque ferat Iunone secunda,
Hoc tibi sacrifico, France, poeta, merum.

202

Stephano Debrecino

Caesarii pars magna fori, Debrecine, propino
Hoc pro caesaria proque salute tua.

203

Crispino Scepsio

Nobilitatis honos, voveo, en Crispine, bibendo,
Ne posthac Turcus bella secunda gerat.

204

Stephano Ormandi

Inclite flos procerum, quos Hungara terra salutat,
Ecce diu ut valeas, tuque tuique, bibam.

205

Eidem, cum ipsius filiolum ex baptismate suscepissem

Compter egregie, hic noster bene crescat ut infans,
Ex hoc, ecce scypho gutture vina traham.

206

Antonio Scholcio

Ne Geta continuet felix, te iudice, bellum,
Hunc, Scholci, calicem sacrificabo tibi.

207

Eidem

Scholcius est iudex: cur mirer? nomina rebus
Saepe suis faciunt indubitata fidem.
Sed tamen ut res priva ac hinc respública fructum
Post ferat: Epperies salveat hocce scypho.

tit. baptismate **Ed. pr.** babtismate

2 Scholci **Ed. pr.** Scolci / sacrificabo tibi **Ed. pr.** sacrificabotibi

208

Antonio Platnero

Docte vir et reverende patrone, tibi hocce propino,
Caniciem ut Christus sospitet usque tuam.

209

Sigismundo Moes

Si, Sigismunde, datur, generose, bibendo: salutem,
Opto, tibi longam fata benigna duint.

210

Thomae Hantschelio

Ut patrias venias, mi Thoma, sospes ad oras,
Hoc me iam dulci labra rigabo mero.

211

Friderico Meliori

Quid mordace animum cura angis? Praebibe vinum,
Praesentes animos cordaque laeta facit.

212

Georgio Tileno

Quod felix faustumque tibi sit, id opto bibendo,
Et precor huic faveas usque, Tilene, viro.

213

Hannibali Schonhofero

Mi popularis, an hoc noxam cluis, ebibe vitrum,
Si placet atque iuvat, caetera Christus aget.

1 patrias **Ed. pr.** patrios

1 Quod felix faustumque sit — Cic. De div. I, 45, 102

214

Erico Lessotae

Hem tibi militiae lustrator strenue nostrae
Praebibo, ne posthac vincere Turca queat.

215

Eidem

Nobilioris honos clarissime Martis et artis,
Hoc mihi tu cyatho salve, ave et usque vale.

216

Georgio Scholcio

Experiar, Scholci, faciam heic pia vota, podagram
Num possim hoc pacto tollere forte tuam.

217

Reginae Bornae

Borna, vinum stupor et miraculum, porrige, tecum
Sit mihi communis potus ut esca fuit.

218

Eidem

Si vinum biberes: biberem, quo salva maneres
Aeternum: ut Cereris vis ea et ipsa potest.

219

Sigismundo Gereb

Hoc tibi docte Gereb, feliciter aemule Lipsi,
Offero, sit genius Lipsicus ille tuus.

220

Georgio Floriano

Cui pateram hanc propino? tibi, reverende Georgi,
Caesar ut hoc anno prospera bella gerat.

1 stupor **Ed. pr.** stuper

221

Eidem

Aegra tibi coniux, venerande vir: hacce sed illi
Iam voveo patera, sit bene prisca salus.

222

Iohanni Mihalko

Nec te praeteream, fraterne Mihalko, propino,
Par, fidus, constans sis in amore mihi.

223

Eidem

Ianus ut Ianus quondam tuus ille tenellus
Fiat, ego hoc tecum divido nempe vitrum.

224

Ioanni Fersio in Stephani Molleri nuptiis

Ornatissime vir, longum Stephano huicce secundum
Coniugium sponso sit, tibi sitque mihi.

225

Ad eundem

Cibinii salve non ultima gloria, Fersi,
Hem bibo, sit thalamo Iuno secunda tuo.

226

Stephano Molleri sponso

Ut vobis Dominus multos indulgeat annos,
Et, Stephane, incolumis sit bene uterque, bibo.

227

Stephano Peregio

Hoc tibi amicitiae nostrae flos, ecce, Peregi
Praebibo, deficiat ne tua sorte fides.

1 Mihalko **Ed. pr.** Mihahalko
tit. Stephani **Ed. pr.** Stepani

228 Ad Christophorum Darholz ab ipsius phlebotomia

Optime mis gregis hoc, Mecaenas, praebibo poclum,
Ut prosit longum phlebotomia tibi.

229 De eodem ad Ioannem Balogum
in prandio Cassoviensi

Si qua salus haustu datur, hunc tibi, Iane poeta,
Offero, quo valeas tu dominusque tuus.

*

Responsio Balogi — v. **app. 39.**

*

230 Ad Georgium Sabo in ipsius prandio

Hunc generose tibi cyathum propino, Georgi,
Cur, quaeris? valeas tuque tuique diu.

231 Eidem ibidem

Est tibi filiulus, precor, ecce, bibendo, sit usque
Ille tuae quondam spes generosa domus.

232 Ioanni Balogo

Hoc diuturna tuae cyatho stipendia vitae
Opto, vir o nostrae sidus amicitiae.

*

*

233 Martino Brechtelio, cum ob filiolum unicam
 in coena tristaretur

Cur defles natam? Ganymedes illa Iehovae
Elysium nectar sanctula et ipsa bibit.
O Martine, doles sero: non rex ita David
Indoluit. Bibe iam vina, ede, laetus eris.

234 Nicolao Orlai, cum filios suos tres Viennam mitteret

Vir generose, cui stat apertum caesaris ipsum
Cor, bibo quo natis laeta sit aura tuis.

235 Tribus ipsius filiis in prandio

Ut salvi Austriacas pariter veniatis ad oras,
Fratribus hoc vobis, ecce, propino tribus.

236 Christophoro Darholz, cum ipsius filiolum Alexandrum
 suscepissem

Ista dies Christo natum sacra mancipat unda,
Vas nec Adae veteris iam sinit esse, tuum.
Ut latere hodie tua poscit amandula proles,
En cape laeticiae signa meae atque tuae.
5 Dum choreas alii ducunt, nos, optime, nato
Dicamus grates, compater, usque Dei.

3—4 non rex ita David Indoluit — cf. 2Reg. 12, 15—23

Ioanni Balogo in tonstrinam

Iane, quid haec solitum praeter, lux tota corusca est?
 Pura serenato vertice nempe tuo.
 Iane, serena animos etiam et tua nubila pone,
 Ut possis, hospes iam meus esse velis.
 5 Esca vorax mihi lucius est, comedemus, ut ille
 Pisciculos liquidis dente peredit aquis.
 Nosque lupos alius lupo olim terra vorabit,
 Sed sero et fato poena sit ista bono.

Danieli Conrado

Anne bibo quoties alicui voveoque salutem,
 Me siccare putas et vacuare scyphos?
 Falleris: iste meus mos est, et apostolus usque
 Me grates iussit dicere quicquid agam.
 5 Ipse, inquam, iussit fieri hoc vas nobile Christi,
 Immo ipse aeterni filius ipse Dei.

Andreae Capy

Splendida nobilium salve hoc mihi, fama virorum,
 Quo tibi commendo meque meosque scypho.

Ad Ioannem Capy

Gloria Musarum et Martis generosa, Ioannes,
 Rectius ut valeas, spes Capyana, bibam.

Georgio Capy

En quoque te vitro hoc, flos o generose, saluto,
 Sis patriae, voveo, stella corusca tuae.

1 Splendida **Ed. pr.** Spendida

3—4 apostolus iussit — cf. 1Thes. 5, 18

242

Ladislao Pete

Magnifice illustrisque vir, ipsius inclita Martis
Gloria, iam bibo, tu prospera bella geras.

*

Responsio Ladislai P[ete] — v. **app. 41.**

*

243

Ioanni Figedio

Iure tibi quoque fausta precor, dum praebibo vinum,
O salve Hungarici splendida stella soli.

*

Respondit I[oannes] F[igedi] — v. **app. 42.**

*

244

Ad eundem

Ecce ad te repedo et rursus nunc offero versus,
Cur sed aves fiat noscere, causa patet.
Quem fluviali hodie nos baptizavimus unda,
Darholci quondam flos sit et ipse domus.

*

Reddidit I[oannes] F[igedi] — v. **app. 43.**

*

3 baptizavimus **Ed. pr.** babtizavimus

245

Eidem

Ut tantos inter proceres, vir magne, receptet
Mensa duos posthac hospita saepe, precor.

*

Respondit I[oannes] F[igedi] — v. **app. 44.**

*

246

Christophoro Korlath

Martie vir, decus Hunnorum bellacibus ausis,
Me hac tibi cum studiis offero vite meis.

247

Nicolao Bornamissae

Quae petis a vero tibi numine cunque, bibendo,
Imprecor hoc modice, Nicolee, ecce, vitro.

248

Ioanni Desöfi

Tu quoque nobilium pars aurea, clare vir armis,
Hem precor, ut longo tempore sospes agas.

249

Gabrieli Rakatzai

Quem satis evexit, porro evehit ardua virtus,
Nonne tibi, ea Gabriel, fausta bibendo precer?

2 hac Ed. pr. hoc
2 longo Ed. pr. longe

250

Nicolao Secretario

Hoc tibi propino, quem Teuffenbachius ardet,
Ut possim quondam compater esse tuus.

251

Michaeli Kelemesio

Nec te, flos iuvenum generose, Camoena tacebit
Nostra, tibi voveo, te quod habere iuvat.

252

Francisco Kelemesio

Alma salus tibi det, Francisce tu, serius aevum,
Te videat Croesum fulgidum honore suum.

253

Paulo Darholzio

Nam quid ego tibi, Paule, precor generose bibendo?
Quam Deus ut nostras imbibat aure preces.
Aure preces nostras Deus imbibat hostis ut anno
Occidat hoc noster, pestis acerba, Geta.

254

Eidem

Promptius ad patinas, dicis, me effundere versus,
Non patina, ast doctum pagina carmen habet.
Sum tamen interdum Croesus, licet otia desunt,
Irus et interdum, sit mora longa licet.
5 Scire cupis causam, non semper inaudit Apollo,
Quando ego coeleste ariete pulto foras.
Sedibus aethereis furor occupat ille poetas,
Et genius vates, non sua cura facit.

255

Ad eundem

Vulgus amicitias probat ebrietate prophanum,
Sed sic, Paule, mihi nullus amicus erit.
Namque bibo, ut vivam, haud vivo, ut bibam et hauriam, ut anser,
Plusquam naturae quod satis esse queat.
5 Saepe parumque bibo tamen: edocet illa Machaon
Quilibet, hunc medicis morem ego nempe gero.

256

Iacobo Cnemiandro

Hoc dignitate aevum tibi sit, clarissime doctor,
Seriuse ut fiat, dono tibi hocce merum.

257

Iano Curero

En vivas, valeas, musea per instrumenta,
Suavior o suavi pectide, Iane, bibam.

258

Oswaldo Summero

Ut sit opus Zephyris nec hirundine vatibus una,
Hoc, Summere, tamen praebibo versiculo.
Cur, quaeris? veluti tu lucas noctibus aequas,
Sic tibi sors posthac aequa sit usque, precor.

259

Ad Ioannem Balogum de aquila farinacea

Divisi hanc aquilam tecum, Baloge, placentam,
Ut post divisum cor quoque mecum habeas.

*

Responsio Balogi — v. **app. 45.**

*

3 anser **Ed. pr.** anse

258

260

Andreae Placcio

Gratulor ex animo, vir prudentissime, salvum
Ac nunc incolumem te rediisse domum.

261

Antonio Scholcio

Hunc ideo cyathum, iudex amplissime, sumo,
Vergat ut in thalamos bella puella tuos.

262

Ezechieli Hebsacker

Hem reverende bibam pastor, post morbida fata,
Ut valeas posthac tuque tuique diu.

263

Friderico Usrai

Hoc etiam, Friderice, tibi venerande propino,
Ne Geta trux bellum Marte favente gerat.

264

Martino Langio

Quando ita pergere pergo, tibi quoque praebibo, Langi,
Ut cito dispereant, quae tibi cunque nocent.

265

Petro Melzero

Ne qua tuos vexet species morbi amplius artus,
Hoc Melzere, bibam iam generose vitrum.

266

Christophoro Aegidio

Opto tibi hac patera, vir circumspecte, salutem,
Et precor, ut felix luce fruare diu.

267

Samueli Rosnawero

Ecce scypho hoc salvere volo te, nobilis heros,
Ut me mutuiter, quod fit, amare queas.

268

Francisco Stiglicio

Dicite, convivae, cui tandem hoc offero vitrum?
Ni fallor, faux est arida Stiglicio.
Dulce melos cecinisse diu quia guttura siccant,
Hoc cantatricem fistulam inunge adipe.

269

Andreae Singero

Musicus es, et musici habes cum nomine et omen,
Sed si Stiglicio dulcior esse potes:
Dicam ego, Singerus veluti modulamine vincit,
Sic cyatho superat Stiglicium avesque suas.

270

Eidem

Da mihi, da, Singere, tuam, celeberrime, dextram,
Quod nolis multo sic natitare mero.
Nunc etiam moestae volucres nunc Orphea deflent,
Is tamen, in silvis dum cecinisset, obit.

271

Antonio Scholcio, iudici Ep[periensi]
cum celebraret sponsalia cum Sophia Ferberiana

Ecce datur sapiens sapienti nupta marito,
Hoc fatale vocem nonne ego coniugium?
Ergo ut nominibus quoque res respondeat ipsa,
Nunc Sophiae, iudex, praebibo vina tuae.

4 praebibo Ed. pr. praebiba

272 Melchiori Wernero apud fontem acidum

Has acidas undas tibi praebibo, Melchior, olim
Elysio ut vivas fonte bibamus aquas.

273 Conrado Gronebergio

Sustentata sitis, Conrade, est gratior: hinc est
Quod fons te capiat nuperus ille magis.
Interpone mero faciles abstemius undas,
Me capiunt, dices, nupera vina magis.
5 Sic ego vina et aquas bibo, ne mihi pocula vini
Nausea sint nec aquae, vina ita aquamque bibas.

274 Ioachimo Siglero

Quid tibi pro coena reddam, Ioachime, quid, inquam,
Reddam ego pro lautis pauper inopsque cibis?
Sis patiens: nisi gratus ero, mihi fronte videndas
Hospitis ingrati ferreus ure notas.

275 Stephano Wagnero

Quam mihi tam largus, Wagnere diserte, dedisti,
Sexcentis coenam solvam ego versiculis.

276 Erico Lessotae

Vespera iam venit, nec sessum est tempore parvo,
Tu nec, Erice, iubes, hospitem abire domum.
Me civilis honos venientia et astra modeste
Surgere de mensa, primum et abire iubent.
5 Ergo precor vobis noctem, quicumque manetis,
Felicem, et grates heic ego linquo meas.
Quaeso date et veniam, si a me vel ore profectum est,
Quod fortasse oculos laeserit aut animos.

6 aquamque Ed. pr. aquumque
tit. Stephano Ed. pr. Stepano

10 Symbola convivis haec sint: nil exeat extra,
Omnia sub tacita dicta fuere rosa.

277

Ioanni Waschmanno

Dic mihi, nonne diu tacite, Waschmanne, molestum
Me dudum mandas hospitem abire domum?
Dic mihi, ne tandem patientia laesa sequatur
Me cum pro merito, fax mea, fuste domum.

278

Simoni Leinero

Iam nunc tempus adest, quo fas est surgere mensa,
Hospitis et largos sistere eundo cados.
Qui volet, is maneat tamen: ast, Leinere, necesse est
Surgam ego, ne voti sim immemor ipse mei.
5 Ergo hinc ibo prius, reliqui qua forsitan ibunt,
Queis dulce est magnos evacuare scyphos.
Et dum forte abeo primus, pars caetera tandem
Discet ab exemplo claudere colla meo.

279

Martino Winero

Vos quoties adeo, quaeris, Martine, quod illinc
Rursus equo ad nostros vix bene visus eam.
Osne tibi hoc, an cor dictet, sat nescio: sed si
Vis nectam tecum, dulcis amice, moras:
5 Ne cyathis me, quaeso, probes, an ameris. Imago est
Hoc ac plebeiae tessera amicitiae.

*

10 Omnia sub tacita rosa — Anonym. (Poetae Lat. Min. Ed. Wernsdorfiana) VII, 125;
WALTHER 30558

4 nectam tecum moras — Sen. De ira III, 39, 2; Flor. IV, 2, 42

M[agistro] Iohanni Bocatio, affini suo, salutem dicit Severinus Sculteti — v. **app. 46.**

*

Idem ad Sacras Virgines — v. **app. 47.**

*

[Sententiae ex litteris sanctis] — v. **app. 48.**

MUNUS IUDICIALE

Ed. pr.: Doctissimo prudentissimoque viro, domino Michaeli Wirt, Suidnicensi Silesio, senatori notarioque rei-pub[licae] et inspectori scholae Epperiessinae solertissimo, nuper a Centumviratu solenniter traditum et pro eodem votum Poeticum regi et gregi, ut vivat, floreat, datum, dicatum a M[agistro] Ioanne Bocatio P[oeta] L[aureato] Iudirectore Epperiessino. Bartphae 1598.

A⁴ = [4] ffol. — 4° — init., orn.

Scriptura: litterae uncis clausae semper vel nonnunquam sic proveniunt: *vocales:* (ae) pro e; (ae) pro oe; (u) pro v; *consonantes:* (j) pro i; (ll) pro l; (v) pro u; necnon maiusculae pro minusculis et vicissim.

Ed. a.: MUNUS IUDICIALE pru[dentissimo] doct[issimo] et opt[imo] v[iro] d[omino] Michaeli Wirt, notario Epper[iessino] traditum.

In: Hung. pp. 257—264.

Editiones, quibus usus sum: RMK II. 276; RMK II. 287.

Fus.: JANSON 42—43; MINÁRIK: Poezia 249—250; St. lit. Prešov 248.

MUNUS IUDICIALE

280

Michael Wirthi, iudex notarie reipub[licae]
et inspector scholae Epperiessinae, vir fautor
et domine colendissime!

Ut sua Christo olim reges, sophiae immo magistri
Tres nato aeterni dona tulere Dei:
Sic Teuto, Sclavus, Hungarus, heic tres, luce magorum,
Dona tibi regi trina dedere suo.
s Et quia dat quivis sartor fartorque magister,
Me pudeat, regi dem nisi dona meo.
Ergo magister ego, pro regibus atque magistris,
Vota, preceis, animum regi ea dono meo.

3 heic *Ed. pr.* heu (*corr. auctor:* heic)

1—2 olim reges dona tulere — cf. Matth. 2, 11

Teutosclavhungarici date caetera dona magistri,
10 Nos aurum petimus, thus ubi forte damus.

M[agister] Ioannes Bocatius
P[oeta] L[aureatus]
Ludirector Epperiessinus

281

Munus iudiciale
Pru[dentissimo], Doct[issimo] et Opt[imo] V[iro]
D[omino] Michaeli Wirt,
Notario Epper[iessino] traditum

Atticus orator, populi quem roborata clarant,
Quondam haec: si bivium mihi forte daretur eundum,
Altera me recta titulos via ducat ad altos,
Altera supplicio qua damner et occidam ad enseis:
5 Eligerem ire trucidandus, fastigia rerum
Quam capere: aeternant haec, amputat illa dolores.
Wirti, noster honos: tu scilicet alter es ille
Atticus orator, cui magni nausea fasces.
Durus hic est sermo Demosthenis ore profectus:
10 Te tamen illius saepe aemula voce locutum,
Ipsemet audi: cum quis te animaret ad urnam
Iudicis, huic, memini, te dicere: obire ego malim,
Malim, hoc quam miseris cruciari tempore sceptris.
Orchestram anticipet, qui vult, sellaque curuli
15 Primitus eximios inter se collocet anteis:
Dum modo me teneat mea terra, hac parte beatum.
Magnus honos — onus est magnum. Felicius ille est,
Quem prive Lare securo iuvat usus et esus.
Sed tu iam consul, Wirti, contemptor honoris,
20 I, mortem extenua prae fascibus: i, late et alte
Publicus esse cave, cave te ruditate tueri.
Nil facis et nil te contra armas vocibus, heu me,
Heu miserum, mene haec sors? ah speravimus unquam
Talia? cur plebs praeterit illos, longius usu

tit. *Ed. pr. om.*

7 Wirti *Ed. pr.* Wirthi

10 saepe aemula *Ed. pr.* saepe-aemula

19 iam consul *Ed. pr.* iam-consul / Wirti *Ed. pr.* Wirthi

1 Atticus orator — cf. Plutarch.: Demosth. 26

17 Magnus honos — Varro LL V, 10, 73; Cic. De or. I, 25, 16

25 Edocuit quos experientia? scilicet ipse
 Aptior est cytharis asinus, quam fors ego sceptris.
 Di boni et o cives, cives, quod quaeritis, a me
 Exsulat, ah saltim hoc mihi parcite, caetera iussus
 Promptius accipiam. Nugae: in ritum omnia priscum
 30 Ire intelligo, me quid fiat, inaudio; clangunt
 Aera, tholus resonat concentibus. O miserum me,
 O miserum me: ni mecum communicet Athlas
 Bracchia et Alcides humeros supponat; an in me
 Civica turba, potes certam iacere ante salutem?
 35 Haec equidem, praetor iustissime, in aede creatum
 Concio te sacra nostrique corona senatus
 Multa quiritantem bibit aure. heic Lerna malorum est,
 Non est secius: ipse tuae subscribo querellae,
 Nunc ubi vicinus minitatur Turca ruinam,
 40 Et postquam Hungarici cor Agria nobile coeli
 Invitat reliquos animam exhalare recessus;
 Non satis est hostis, movet et vicinia bellum.
 Qui nos debebant defendere, caedimur illis.
 Adspicio civeis: negat omnis ferre iubenteis,
 45 Esse suae vult spontis homo vel podice natus
 Thestylis obscurae; responsat et oncat asellus
 Quilibet, ad praecepta rudis. Crux iudicis ista est.
 Quum serpit tacite vel apertis fervere praelis
 Incipit insanus vulgo, intra moenia motus,
 50 Plumbea tela volant, enseis eviscerat omnis
 Subditus, in solo figendos iudice primum:
 Sis Cicero: Catilina tibi est. Sis Iulius: ecce
 Brutus adest, caecum molitur in ilia ferrum
 Cassius, in vix suspectum se Scipio Gracchum
 55 Armat. Tune, Meli, nova vis? Servilius ultor.
 Pax est: heic, iudex, Croeso vaenalis es auro,
 Et truncos manuum et vaelatos lumina quondam
 Pinximus antiquos fucato crine regenteis.
 Heic nimium es mollis; mox heic nimium aspera durus
 60 Imperia exerces; pretio vexare columbas
 Et corvis veniam dare mos. De iudice sermo est
 Usque novus. Modice vix turpe residat in illo;
 Omnibus est lippis notum ac tonsoribus; inter

26 Aptior est cytharis asinus — cf. Phaedr. App. XII

37 Lerna malorum — v. Margalits.

60 vexare columbas — Iuv. II, 63

63 Omnibus est lippis — cf. Hor. Sat. I, 7, 3

65 Vina volant hodierna domi, cras fama volucris
 Tota divulgat regione; nec ocyus ora
 Venit in omnia, quam peccant quaecunque potentes.
 Praelucet Patres Conscripti talia nobis?
 Sic in pisce caput prius inficit aëra factor,
 Dum gravis in reliquas serpat putredine parteis.
 70 Hem dubitamus adhuc, iudex cur esse recuses?
 Verum, hoc cum Dominus iubeat, parere necessum est.
 Regibus ille urbeis regesque dat urbibus orbis.
 Non est de nihilo semper quod dicere vulgus
 Adsolet. Ipsa etiam passim quod disserit anceps
 75 Vox populi, vox saepe Dei est. Tu consul es ante
 Iam semel atque iterum, Wirti, clam voce creatus.
 Sed te fatalis lex isti distulit anno,
 Urbs quo compos ovat voti, te consule, facta.
 Respue: nil facies; conclamatum atque statutum est.
 80 Nolis sive velis, regimen tibi creditur urbis
 Totius, ut ter iam sublimis fornice latus
 Bis denos inter proceres cygnumque senatum
 Primulus in medium dicas, consultus ad urnam,
 Quod Themis et ratio dictat, respublica poscit.
 85 Nil profecturos tibi cura intrinseca sensus
 Macerat. Hui te accinge operis, ac desine questus,
 Surge humili ex anima. Quid tum, si consulem averent
 Gallina alba ortum, miserae de furfure plebis,
 De grege cordato, centum gens tota viratus
 90 Esse magistratum sua per suffragia te vult.
 Omnibus ergo modis vis fasceis esse beatos?
 Troia suos Parides, Catilinas Roma, minus non
 Hectoras et Marcos, quam semper habebat. Athenis
 Pallas agit, sed agit quoque turpis Erinnys Erisque.
 95 His tua magnanime praecordia corrige, iudex,
 Et qui sis, te disce: potes, quod posse negabas.
 Immo vel heic callum obduxi, certe ante disertus
 Quod geris, officium non est ignobile; non est
 Cuiusvis genii, nostri commercia vulgi

76 Wirti *Ed. pr.* Wirthi / clam voce *Ed. pr.* clam-voce

84 respublica *Ed. pr.* Res-publica

86 questus *Ed. pr.* quaestus (*corr. auctor:* questus)

68 Sic in pisce — cf. Ambr. Hex. 5, 2, 6

75 Vox populi — cf. Is. 66, 6

86 te accinge operis — cf. Verg. Aen. II, 235

88 Gallina alba ortum — Iuv. XIII, 141

100 In chartas penna disponere saepe trilingui.
 Frangit et ille labor, vires animique serena
 Inficit, ut stabulent mordaces pectore curae,
 Tempora cordolium faciat candore nivali.
 Quisnam alius felix hac dexteritate labores
 105 Unus Athlantaeos subeat; quis sufferat alter?
 Res, non infiteor, magna est, felixque cerebrum
 Postulat, hoc triplex, hoc tempore, flectere vulgus.
 Heic tibi non blande laudem arrogem: es ipse quod audis,
 Ac velles citius. Tibi debent omnia cives.
 110 Nam tu, sol stellis antestat ut omnibus, urbis
 Civibus istius decus es; te dicere solem
 Non dubito, ut furat, et Rhamnusia liveat atrox.
 Aemulus es verae pietatis, es optimus, audis
 Assertor fidei templique fidelis amicus.
 115 Credet id invidiae suboles acerrima, si me
 Provoctet, et Fidio vel coram iudice, sistat.
 Tu Mose et magno sancitas caesare leges
 Romanasque simul, sanctae monumenta Themistos,
 Quicquid et Hungarides iuste scripsere tyranni;
 120 Scis penitus, de more, suos qui calleat ungueis.
 Te ratio, seu privus agis, seu publica tractas,
 Ne quid praecipites, differt, cordisque recocti
 Vult hominem, ne quod pars una susurret in aureis,
 Altera verbosi nondum sit rhetoris ore
 125 Caesa trahas poenis, et flagitia ante magistras
 Decidas voces, quum fas ex codice Baldi
 Praecipitare reos, vobis licet esse severis.
 Re sis Germanus licet, ore Latinior ipsis
 Es Latiis, nil Sarmatice, nil voce Bohema,
 130 Immo haud Hunniacae fuerint quae obnoxia linguae.
 Fari ausim, te non satis apta loquente vicissim.
 Heicce etenim sic Teuto-Sclav-Hungara miscuit ora
 Debet ubi gravibus de rebus epistola scribi
 Sive Vienna tuae camerae dominaeve Casurgi,
 135 Nil scribis, nisi quod decies castiget ad unguem
 Irrequies nocturna, aliquid ne forsitan urbi
 Officiat, ceu sunt nunc aulae et numina mundi,

107 hoc tempore *Ed. pr.* hoc-tempore

132 etenim sic Teuto-Sclav-Hungara *Ed. pr.* trias sic Teutosclavhungara

135 ad unguem *Ed. a.* ad ungnem

137 nunc aulae *Ed. pr.* nunc-aulae

120 suos qui calleat ungueis — cf. Iuv. VII, 231—232

Queis, bene ni tornes, vox unica parturit iras.
 Praeterea Hungaridos proceres et nobile stemma,
 140 Ore styloque potes sic demulcere, secunda
 Ut responsa feras, faveat turba inclita nobis.
 Si qua loqui doctis res exigit, omnia doctus
 Scite equitas, plaebem contra es sermone pedester,
 Ut polypus nequeat melius variare colores.
 145 Non raro noster tibi Teuffenbachius aureis
 Praebuit oranti: non raro sumere coenas
 Te secum voluit, rata et illa negotia iussit
 Conferi, expedienda forent quae principe iussu.
 Quin etiam Hoffmannus, cor caesaris, istud inaudit,
 150 Ille ad me heic nuper: Sic estne notarius urbis
 Nunc iudex? nam fama meae haec innotuit aulae.
 O factum bene! Saepe virum nos nomine civis,
 Ore verecundum, mente acrem accepimus; annos
 Ante venit quondam prudentia. Scilicet aetas
 155 Senior haud semper trabeam meret; ingenii auctus
 Dote meret, docto vix aptior alter habentis.
 Hoc, Wirti, ellogio te dignum censuit ille
 Calculus Hoffmanni, quo non prudentior heros
 His alius genio meliore gubernat in oris.
 160 Non semel Austriacas orator missus es urbeis,
 Qua gravis eloquio, teres ore, in principis aula
 Publica promosti sollerter commoda. Saepe
 Coram animoso ipso fecisti principe verba.
 Bisque adventitium es iussus Maxaemilianum
 165 Excipere, audivit tua cum dux aemula Tulli
 Ora. Sigismundus, nostri sola anchora coeli,
 Et prope quem supplex non Christigenum orbis adorat,
 Quae tibi sit, didicit facundia, quae tibi virtus,
 Discimus assidue, sed quo plus discimus, omneis
 170 Tanto discipulos nos, semper sole, relinquis.
 Tu vegetos anteis longe fractosque senecta,
 Vespere seu sero, seu mane negotia in usus
 Vulgo dividuos intexas ansere chartis,
 Congregis admirante foro, triste omne triumphes,

151 Nunc iudex? *Ed. pr.* Nunc-iudex?

156 habentis *Ed. pr.* habenis

157 Wirti *Ed. pr.* Wirthi

170 semper sole *Ed. pr.* semper-sole

173 Vulgo dividuos *Ed. pr.* Vulgo-dividuos

152 O factum bene! — cf. Catull. III, 16

175 Quum longe speculas venturaque prospicis ante
 Lynx, ut mature procul exsulet omne nocivum.
 Haec, Wirti, potes ergo. Sed o mihi tanta supersint
 Otia, ut illustri possim describere versu,
 Quae pietas tua flagitat et prudentia sollers.
 180 Et te supplantat decus id geniale pudoris,
 Vix strictim ut possis amplecti encomia vatum.
 Zoilus invideat, ventosa calumnia rumpat
 Ilia tota licet, frontem corruget avarus,
 Floret et oret opem, quem gloria vexat inanis:
 185 Tu salve aeternumque vale, Wirti, optime iudex,
 Tu fugitans sceptri sceptro et diademate clares.
 Tu iudex, tu consul eris, tu legibus aequis
 Iniicies fraenos sceleri; ne devius error
 Participet poenis civeis; ne putrida membra
 190 Pars sincera simul trahat, ense recide popelli
 Ulcera; debella morbos: sana assere fortis.
 Ut tamen imperites, hominem porro esse memento.
 Cui necis et vitae ius rex indulisit Olympi,
 Regnum est sub regno. Sceptrum datur omnibus usu,
 195 Mancipio nulli. Stivam depone, Fabriti,
 (Sceptra decent humileis) bone vir, cape sceptra Fabriti.
 Vidi ego, qui titulis hesterna luce supremus
 Iret, eundem hodie vidi sub lege iacentem.
 Praetor es: esse velis. Non laus in nomine solo est.
 200 Quae noceant cave: praecipe idonea: consule cautus:
 Expende omne prius. Sed susne docebo Minervam?
 Sit felix faustumque tibi hoc, Iova auspice, regum
 Rege hoc perficias. Tibi filius illius ibit
 Suppetias; tibi Perficae et Adiuvae is unus, ad urnam,
 205 Fiet, falso olim damnatus iudice, sollers
 Is dabit ingenium et vires, is Pallas, Apollo,
 Iuppiter. Aeternum salve, Wirti, optime iudex!

177 Wirti **Ed. pr.** Wirthi

179 sollers **Ed. pr.** soders (*corr. auctor:* sollers)

185 Wirti **Ed. pr.** vale o

198 eundem **Ed. pr.** eumdem

207 Wirti **Ed. pr.** et vale o / optime iudex! **Ed. pr.** optime-iudex! **Finis Ed. a. om.**

182—185 rumpat ilia — cf. Catull. XI, 20; LXXX, 7—8; Verg. Ecl. VII, 26

201 susne docebo — Cic. Ad fam. 9, 18, 3; Acad. post. 1, 5, 18; Plutarch.: Demosth. 11

202 Sit felix faustumque — v. 212 1

6

ELEGIAE DUAЕ

Ed. pr.: Altera M[agistri] Ioannis Bocatii P[oetae] L[aureati], altera P[astoris] Ioannis Balogi Th[eologi] — amicis lectoribus exhibendae.

A* = [4] ffol. — 4° — init., orn.

Scriptura: litterae uncis clausae sic proveniunt: *vocales*: (u) pro v; (oe) pro ae; *consonantes*: (j) pro i; (v) pro u; necnon maiusculae pro minusculis et vicissim.

Ed. a.: Rev[erendissimo] et doctis[simo] v[iro] d[omino] Ioanni Balogo, Theol[ogo] et Poetae. A[mico] car[issimo].

In: Hung. pp. 198—200; 499—505.

Textus, quibus usus sum: RMK II. 29 et RMK II. 287.

Fus.: RMNy 819; JANSON 41; LAZAR: J. B. 243; MINÁRIK: St. lit. Prešov 248.

ELEGIAE DUAЕ

Lectori Benevolo S[alutem]!

Non nos hic ostentamus, quod vitium peius cane et angue odimus. Sed hac etiam occasione nostrum erga te amorem declaramus: quem merito colimus, observamus et probamus, cui vicissim probari velimus. Alii edunt pauciora; alii cantiunculam; epistolium alii. Nobis liceat hic aliquot amiculis gratificari, qui haec nostra extare voluerunt. Malevolum parum aut nihil moramur. Tu benevole, fave et vale!

P[oeta] I[oa]nnes B[oc]atius
I[oa]nnes B[al]ogus Th[e]ologus

Rev[erendissimo] et Doctiss[imo] V[iro]
D[omino] Ioanni Balogo, Theol[ogo] et Poetae.
A[mico] Car[issimo]

Macte vir ingenio, Christi Phoebique sacerdos,
 Quem penes est gravitas, moris et oris honos.
 Haec a fragoso tibi littera fertur Epeiro,
 Quis mittat, quaeris? Scitum ei: Erit melius.
 5 Eqquid adhuc tardas tua dulcia tradere luci?
 Durus an in tenebris illa iacere sines?
 Iane, novenarum mihi foedere iuncte sororum,
 O et amicitiae lucida gemma meae!
 Aureolos foetus expone in luminis auras,
 10 Ac te participa, docte Baloge, tuis.
 Hoc niveae mecum dominus vult ipse Demetes,
 Is, qui Mecoenas nos velut alter amat.
 Mira mera et levitas multos quid scribere iussit:
 Tu quicquid scribis, scribis id omne Deo.
 15 Tu sacer es Christi vates, ut maximus olim
 Romani assertor Scaevola iuris erat.
 Te non pauperies in carmina cogit, et illud
 Non iubet, ut passim docta per ora voles.
 Sorte tua vivis contentus: splendida mundi
 20 Nil curas; modo te splendor in axe beet.
 Corpus ut umbra, tamen sequitur sua gloria vates,
 Immortalis et hic cogitur esse chorus.
 Praeterit aetatis flos, morte peribimus omnes:
 Nulla perit Clarii famaue lausque viri.
 25 Perge, Baloge, nec est metuas, qui forte Theones,
 Lectoremque tuum caecaue tela paves.

tit. **Ed. pr.** Reverendissimo Doctissimoque viro, D[omino] Ioanni Balogo, Pastori Ecclesiae
 Kissilvanae Demethanaeque dignissimo et vigilantissimo, amico meo τριφυλάτῳ et colendissimo
 εὐπράττειν

3 fertur **Ed. pr.** venit / Epeiro **Ed. pr.** Epiro

11 Demetes **Ed. pr.** Demettae

13 multos **Ed. pr.** alios

14 omne **Ed. pr.** ome

20 curas **Ed. pr.** curans

1 Macte vir ingenio — cf. Plin. Hist. Nat. II, 9(12), 55

4 Erit melius — Suet. Dom. 23

18 docta per ora voles — cf. Cic. Tusc. I, 15, 34

19 Sorte tua vivis contentus — cf. Hor. Sat. I, 1, 1—3

21 ut umbra sequitur sua gloria vates — cf. Cic. Tusc. I, 45, 109

Nil paveas: quo plus fugiendo cedimus hosti,
 Hoc minus adversis credimur esse viri.
 Magna solet livor, non carpere parva; Maronem
 30 Dente Theonino qui laceraret, erat.
 Perge: ut non placeas Momis, erit unus et alter,
 Qui dicat: Lauro dignus et iste sua est.
 Nescit adulari mea Musa, obtrudere palpum
 Nescit: at hoc de te scribere iure queo.
 35 Te penes Argivæ flos est Latiaeque Camoenæ,
 Te prope Pannonici sanguinis esse negem.
 Tu legis eximie vestigia docta Maronis,
 Dum canis heroo grandia gesta sono.
 Tu Nasoniaci fluis aemula carminis, audax
 40 Quando per undenos quid modulare pedes.
 Denique tu numeris vates et Horatius alter,
 Doctus ubi Ausoniam vis resonare lyram.
 Ergo, licet laudare etiam soleamus amici
 Non laudanda, tamen sunt tua digna legi.
 45 Plus tua me capiunt tria metrica verba poetam,
 Quam quae versifices millia mille vomunt.
 Perge, nec irasci tibi sic patiare Camoenas;
 Perge, nec Aonias numina temne deas.
 Perge, tuis Codris rumpantur ut ilia, perge:
 50 Si Deus est tecum, qui tuus hostis erit?

*

Viro Clarissimo D[omino] M[agistro] Ioanni Bocatio, P[oetae] L[aureato]
 C[aesareo], Gymnasiarchae Epperien[si] digniss[imo] et mihi amicissimo —
 Ioannes Balogus, P[astor] Ecclesiae Kissilvanæ et Demetanæ — v. **app. 49.**

41 et **Ed. pr.** es

cor.**Ed. pr.** Dedi Epper[iessini] secunda feria Paschatis nostri. T[aus] χρήσει και κτήσει
 βιολογοφιλο-βοκάτιος

30 Dente Theonino — Hor. Epist. I, 18, 82

37 Tu legis vestigia — Verg. Aen. IX, 392—393; Ov. Met. III, 17; Val. Fl. I, 711

49 rumpantur ut ilia — cf. Catull. XI, 20; LXXX, 7—8; Verg. Ecl. VII, 26

50 Si Deus est — cf. Rom. 8, 31

MUSAE PARENTALES

Ed. pr.: Spectabilis, magnifici, illustris, fortissimi et de Patria optime meriti herois ac domini, domini Simonis Forgacz, Liberi Baronis de Gyemes etc. Sac[rae] Caes[areae] Regiaeque Maiestatis consiliiarii, Pincernarum regalium in Hungaria magistri etc. placide et pie 20. Septemb[ris] anno MDXCVIII. demortui. Conscriptae et dedicatae filiis eiusdem a M[agistro] Ioanne Bocatio P[oeta] L[aureato] Epperiessinae scholae rectore. Barthphae imprimebat Jacobus Klös.

A—B C³⁺¹ = [11] ffol. — 4° — init., orn.

Scriptura: litterae uncis inclusae semper vel nonnunquam sic proveniunt: *vocales:* (u) pro i; (u) pro v; (oe) pro ae; (y) pro i; *consonantes:* (v) pro u; (j) pro i; necnon maiusculae pro minusculis et vicissim.

Ed. a.: Musae parentales in obitum illustris, spectabilis et magnifici herois ac domini d[omini] Simonis Forgacz, L[iberi] Baronis de Gyemes etc.

In: Hung. pp. 411—425.

Textus, quibus usus sum: RMK II. 275 et RMK II. 287.

Fus.: RMNy 817; FrGyűjt. VII. tom; BUDAI: Polg. lex. II. 26; TÓTH L. 22; JANSON 41—42; MINÁRIK: St. lit. Prešov 248.

MUSAE PARENTALES

283 Ad Magnificum et Reverendiss[imum] Dominum,
D[ominum] Franciscum Forgacz, Episcopum Nitrianum,
 Lib[erum] Bar[onem] de Gyemes etc.
 et ad Magnificos et Generosissimos Dominos,
D[ominum] Sigismundum, D[ominum] Michaelem,
 D[ominum] Ioannem, Forgacios,
 Lib[eros] Bar[ones] de Gyemes etc. fratres

Macerat et lacerat se Pannonis ora, Simonem
 Forgacium abstulerit quod nimis atra dies.
Cur mea non tristeis quoque nunc Elegeia capillos
 Explicet et moesto non fleat ore Senem?

tit. *Ed. a.* Ad filios eiusdem

5 Qui mihi laurigeros et nobilitatis honoreis
 A magno petiit caesare, morte iacet.
 Sim nimis ingratus, Charitum sim nescius, immo
 Sim prave oblitus nominis ipse mei:
 Ni qua reponantur meritis pia, Gratia restet
 10 Ni qua, canam, nec me longius ire decet.
 Dive Baro et vos tres, illustria corda, poetae
 Iam mihi, Forgacidae, vos, precor, este pater.

Vestrae Mag[nificentiae] officiosiss[imus]
 M[agister] Ioannes Bocatius
 P[oeta] L[aureatus]
 Epper[ciessinae] Scholae Rector

284

In obitum

Illustris, Spectabilis et Magnifici Herois ac Domini,
 D[omini] Simonis Forgacz, L[iberi] Baronis de Gyemes etc.

Pannonis heus tellus, virtutibus inclyta belli,
 Te compello; meos percipe, quaeso, sonos.
 Si vacat et gravium concedit cura laborum,
 Quos generant horni tempora Martis, ades.
 5 Scisne, quod obscuro fuerit sol nuper amictu,
 Quodque suos tenebris texerit ater equos?
 Vidisti, sed more tuo quur Cynthius umbras
 Induerit, causam visne poeta rear?
 Lampas erat Phoebos nigris atrata prophetis,
 10 Sol etiam Hungariae quod periturus erat.
 Nonne (fateris enim) nostrae lux unica terrae,
 Forgacides heros occidit ille Simon?
 Nulla negare potes, tanta ferrugine solem
 Praescia venturi signa dedisse mali.
 15 Terruit astrorum rex Martia sydera, nobis
 Copia ne tantae lucis adempta foret.
 Nollet, ut iratus, Deus hoc extinguere lumen,
 Si precibus lychno quisque tulisset opem.
 Iam tamen extinctum est, ac tristes fumat ad aras,
 20 O precibus lychno quisque tulisset opem.
 I puer, ecce iacet, nigrum mihi porridge saccum,

subscr. Ed. a. om.
 tit. Ed. pr. om.

275

I, cinereis capiti protinus adde meo.
 Non hederæ aut laurus circum mea tempora, at atra
 Pallida cum taxo triste cupressus eat.
 25 Non cygniger, ciniger vates Titana querellis
 Plorabo nostri nunc obiisse soli.
 Hungaris ora veni, mecum tua pectora palmis
 Percutere et moestum plangere voce melos.
 O celebrande Senex! o temporis auree nostro
 30 Flos aevo! clari Martis et artis amor.
 O procereis inter palmaris et optima regni
 Laus, probitas, virtus, gloria, cura, salus!
 Tu velut Oceanus magnorum es iure virorum,
 Quos Latium, mendax Graecia quosvè canit.
 35 Tu pius Aeneas, iustus Numa, fortis Achilles,
 Hector, Aristides, Scipio, Galba, Cato.
 Pro, clara amissam non sic lugeret ob arcem,
 Quam dolet interitu Pannonis aegra tuo.
 Ipsa tuos lacrumis tumulos adspersit Alethe:
 40 Te penes ipsa dolet cum pietate Fides.
 Te propter sylvas lugubreis cernimus agros
 Flere, solum hoc pullo syrmate stare procul.
 Tota quiritatur te rustica concio, postum
 Nunc urna patrem clamat esse suum.
 45 Te plorant regni proceres, te nobilis ordo
 Moeret, et urbanus polluit ora dolor.
 Te lacrumant Charites, Peitho, Bellona, Minerva:
 Te dux Musaei plangit Apollo chori.
 Te luctum ex castris rediit Mars, agmine licto,
 50 Miles et inversa cuspide plorat iners.
 Iam cerno enervi languore fatiscere bellum,
 Iam cerno arma soli cordis habere minus.
 Turba novenarum choreas agitare sororum
 Desinit, et miserum perstrepat ore melos.
 55 Late oritur planctus, late nemus omne querellam
 Triste ciet, tellus Hunnidos atra gemit.
 Credibile est undas quoque tardius ire Tybisci,
 Danubiusque suas ipse moratur aquas.
 Et scio, mors reliquis tua dura sat accidit oris,
 60 Cogitur in planctus Teutona terra suos.
 Immo vel Europae toti creat iste doloreis
 Tractus, ubi species Forgaciana iacet.
 Non tua Pannonibus virtus heroica solis
 Nota, sed in toto nobilis orbe fuit.
 65 Hei! quam Romanus iam tristia caesar habebit

Nuntia, quantus ei pectore moeror erit?
 Nil euangelii feret ille, vicarius ore
 Qui canet: Hungarico sole, Rodolphe, cares.
 Si foret heic, septem tibi pangeret ipse viratus
 70 Oscula, Germanis pectora moesta daret.
 Ausones ornarent lacrumis, ploraret Iberos,
 Mactaretque tuos laude Britannus agros,
 Iazyges hoc norunt reduci cum principe tristes,
 Dacia te propter Bulgaris atque dolent.
 75 Te quoque flere decet, generosi filia Martis,
 Hei, gravis infandi causa doloris adest.
 Ah, patriae verum te amittere scisne parentem,
 Inque toga, inque sago qui tua cura fuit?
 Hungaris ora veni mecum tua pectora palmis
 80 Percutere et querulum plangere voce melos.
 Sic priscum luxere Numam de corde quirites,
 Sic oratorem, Roma superba, tuum.
 Forgacides decus omne solo fuit usque patrito,
 Stellaque Forgacidae porro corusca domus.
 85 Flore pias arteis iuvenili ac dulcia Phoebi
 Calluit, hinc fecit verba diserta senex.
 Et natis quoniam caris hoc orbe necessum,
 Thesauro ac auro crederet esse magis,
 Discere litterulas, Musae septemplicis arteis
 90 Instruxit genitos docta per ora suos.
 Quid prodest? quamvis totus tibi pareat orbis,
 Sis opibus Crassus, Croesus et ipse tuis:
 Nec te Pegasides Musae, nec amabile virtus
 Nomen, at haec misere splendida vita iuuet.
 95 Nil sine doctrina virtuteque nil es, et umbrae
 Aemulus, haud hominis nomine dignus agis.
 Sic, patris ut proles exemplo mascula, nati
 Quattuor, esset amans Pallades, usa, pater.
 Quippe decus linguae propter carissimus aulae
 100 Doctus is Ausoniae munere saepe fuit.
 Gratus erat, seu quid sua vellet epistola Pragae,
 Sive gravis staret caesaris ante thronum.
 Fonte quod ubertim Clario potasset, honoreis

79 veni **Ed. a.** venis

81 Sic **Ed. a.** Si

84 Forgacidae **Ed. pr.** Forgaciae

76 infandi doloris — cf. Verg. Aen. II, 3

90 docta per ora — v. 282 18

Ampliter eximios per sua regna tulit.
 105 Sustinuit grave Martis onus moderamine rerum,
 Consiliis populos rexit et arma suis.
 Phoebus et oraculum bonus extitit ore, nec arma
 Exsuit, aut sumpsit legis amica cohors.
 Ni prius accesset, probus illius undique bello
 110 Calculus, ac doctor non foret ante tubam.
 Splendidus egregiis quid passim gesserit armis,
 Constat et historicis res ea scripta viris.
 Diceret Hungarici pars hoc simul utraque coeli,
 Diceret Istricolis nobilis unda suis.
 115 Diceret hoc, qua Forgacius plus Hercule fecit,
 Orbe Temesvari nota per arma domus.
 Qua gladio plagas et vulnera stragis in actu
 Est heros passus corpore multa suo.
 Turcica quum forti trux sterneret agmina ferro,
 120 Unus mille neci pectora caede daret.
 Hoc truncata fero testantur acynace membra,
 Hoc quoque praesecta verbera nare docent.
 Heic quum vulneribus minime cessisset honestis,
 Captus inhumano carcere vincla tulit.
 125 Caesaribus fuit ista tribus gratissima virtus,
 Unde etiam rursus prodiit amplus honos.
 Vix ita Persa tuam celebraverat ipse Darius,
 O cordatorum Zopire summa, fidem.
 Quod pro rege tuas malles amittere nareis,
 130 Perdere et auriculas, victor ut ille foret.
 Quum patriis iterum tandem esset redditus oris,
 Victoreis victor saepe peremit atrox.
 Pro patria se vindicibus claravit in armis,
 Militiae puppis proraque certa fuit.
 135 Nunc etiam, extremae per tempora cana senectae,
 Sceptra bis in bello, caesare dante, tulit.
 Hoc toties veniente domi perterritus haesit,
 Hoc toties hostis terga sequente dedit.
 Thraca ferum Euxini trans aequora saepe fugavit,
 140 Agmina de praeda fecit onusta sua.
 Ex pugnis alii spoliis ditantur opimis,
 Hic dare militibus sueverat omne suis.
 Expers invidiae proprium cor edentis et expers
 Semper avaritiae, iuris amator erat.
 145 De virtute pius sermoneis semper habebat,

107 oraculum Ed. a. oraculum

In dictis constans, simplicitate gravis.
 Gessit in egregio divinos pectore moreis,
 Quis solet illustreis nobilitare Deus.
 Ipse suis victor genii celeberrimus, armis
 150 Praefuit aeternum sobrius atque domi.
 Ah, quot discipulos hoc Socratis orbe videmus?
 Nemo suae parcus praecipit ipse gulae.
 Qui scit magnifice potare, vorare: vir ille
 Nobilis et nostrae Martius audit humi.
 155 Non ita ferali quem carmine ploro, sed instar
 Oderat id brutum gutture pestis opus.
 En tamen, ah, iacet ille Senex prostratus in urna,
 Hei, iacet Hungarici sol oculusque soli.
 Non tantum armigeris Baro maximus occidit oris,
 160 Occidit, hei, Musae laus quoque prima meae.
 O retrahi posset per vivos, aere vel arte,
 Huc sua certatim robora quisque daret.
 Sed pugnare Deo quisquam velit? optimus is dat,
 Eripit is rursum, quum placet, orbe Deus.
 165 Quem quoque lugemus, Christo vicinior ipsi
 Illius aethereo spiritus axe sedet.
 Aere solo grandi sibi celsa palatia struxit,
 Pro se proque sua posteritate domum.
 Hac animam Domino, cui toto serviit aevo,
 170 Reddidit, et placide scandit ad astra poli.
 Quattuor atque decem terris sua lustra peregit,
 Quae nisi vixisset, vivere dignus erat.
 Dignus erat Pylimum transmittere Nestora seclis,
 Qui nunc in coelis adspicit ora Dei.
 175 Adspicit adspiciatque, precor, dum fata requirant,
 Illius adspectu nos utriusque frui.
 Erige ploratos modice, pater, erige vultus,
 Ultima iam pietas dicere pauca iubet.
 Membra iacent tellure quidem, tellure sed ima
 180 Haec eadem quondam tu rediviva geres.
 Iam licet in cinereis et humum mutabere corpus,
 Urna tibi nunquam flore senilis erit.
 Lilia semper erunt vernantia dulce sepulchro,
 Semper erunt hornae per nova busta rosae.
 185 Aeternumque pio cineri sua dona feremus,
 Semper ei florens conspicietur honos.
 Occulle ploratos iterum, pater, occulle vultus,

Desino prae luctu dicere plura meo.
Ante tamen quam frena meis dem iusta querellis,
190 Postremum ad maneis vox ruit ista tuos.
Salve et ave, mi sancte Senex, pater optime, salve,
Salve et perpetuum clara per astra vale.

Epistola
M[agistri] Ioannis Bocatii P[oetae] L[aureati]
Ludirectoris Epperiessini
ad Magnificum, Generosissimum Doctissimumque D[ominum]
Michaelem Forgacium, Liberum de Gymes Baronem etc.

1 Ah, Magnifice et doctissime Baro, quidnam audio! Heri sub vesperam accepi cum laetitia litteras tui ad me Illustris domini parentis, hodie summo mane cum planctu legi tuas. Ibi mentio vitae, hic mortis. Vix reprimor, quin curram et videam. Ante 12 horas ille ipse, quem tu rebus humanis exemptum ais, a me petebat, ut adolescentem ex mea schola sibi mitterem, quem ex Bibliis coram voce clara scita sacrosancta legentem auscultare, et ore praevio, vel noctibus etiam, cum Domino Iesu sermones habere posset. Nam huius meminerat, se partem
2 noctium, quae iam longiores fiant, lectione sacra transmissurum. I iam nunc adolescens, accipe divinum illum codicem, ut cordatus ille noster Simeon, SIMON FORGACZ, homo nomine, re divus, ne dolor tangat, vox angat, vicariam tuam vocem, per orificium illud religiosum in ipsum sibi cor immittat, et verae fidei plenus et robustus, fors et annorum et huius aevi satur (licet caesar, patria et omnes boni, Senem, tam egregie cordatum et utilem, superis adhuc invideant) pace sui Salvatoris, patriam iterum repetat, nos in hoc tristi, per
3 mortem et Martem, orbe deserat. O magnifice et moestissime Comes! haec, inquam, dum loquor, et lectorem tuo patri formo, instruo, ablego: madidum tuum lacrumis epistolium video, lego et ipse fere iaceo. Meum votum, praesentia tanti Machaonis, patris nupera duntaxat hilara confabulatio, frons et nobiscum
4 ad mensam consessiuncula, non hoc polliceri videbantur. O Parcae, Parcae! nihil vos pudit, illustrem hanc domum et dominum sic incivilliter invadere? Morem vobis rusticum inaudieram, quod importuna vestra calce et aequo pulsetis pede pauperum tabernas regumque turres, iam experior. Sed habet bene, vos herus noster, ut hoc eum celaveritis, indice clandestino monitus, venturas praesciverat.

190 tuos *Ed. a.* tuas

1 litteras *Ed. a. om.* / cum planctu *Ed. a. om.*

2 I iam nunc *Ed. pr.* I nunc

3 ipse fere *Ed. pr.* fere ipse

4 aequo pulsetis pede — cf. Hor. Carm. I, 4, 13—14

- Valete rigidae dominae, fila resecta iam alii sinite. Ocyus vos hinc movete, dum
 5 iuris in illum habeatis amplius nihil. Hanc mihi, generosissime Baro, iustam
 Atropos ipsa extorsit expostulatiunculam. En enim nocturnae illius subolis astu-
 tiam, bellum, quod gessit, non indixit. Ut hostis non raro terga dare, immo
 procul abire et fugere se simulat, quo metu liberet et securum faciat, nilque
 6 respicientem vincat alterum: sic mors interdum aegrotos decipit. Sed habet bene;
 heros noster, Ulysse vigilantior militiaeque domique, hosti suo fidem esse nullam
 didicerat. Iam panopliam adsumserat, iam stabat lumbis circumcinctus balteo
 per veritatem et indutus thoracem iustitiae, assumpto scuto fidei, galea salutis et
 gladio spiritus, qui est verbum Dei. Apostolus ita loquitur: Militavit iam bonam
 7 militiam, habens fidem et bonam conscientiam, penes regem regum, dominum
 dominantium in coelesti illo exercitu. Is, quia semper hactenus legitime certavit,
 et ad mortem usque fidelis remansit, νικητήριον suum, immarcessibilem illam
 vitae et gloriae coronam nactus est, quam ab ipso accipiet nemo. Denique, quia
 semel iam transivit ex morte in vitam, nobiscum vivere nauseat. Licet nos illius
 obitum aequo animo ferre non possimus.
- 8 Luget enim Forgacziana domus: moeret equester ordo, Hungaria haec tota
 senio conficitur, squalent arma, tu, Rodolphe caesar, cum tuis affictaris. Quis
 enim fuit, quem omnes desideramus? sollertia simul et facto salutaris. Hic hic tu
 dicas, Homere:

Οἷος ἐκεῖνος ἔην βουλευέμεν ἠδὲ μάχεσθαι.
 Is cuiusmodi erat seu pugna, seu consilio!

- 9 In ore et oculis omnium fortissima tui patris, nobilissime Comes, monumenta:
 pro patria et Christo suscepti labores domi forisque. Tu Fides ne subdice, tu Mars
 testare, tu Gratitude nunquam obliviscere! Si quis Pannoniae vixit, hic vixit.
 Virtutem, immo Deum testem allego. Ast fuit et fugit, de quo mihi sermo.
- 10 Proinde, tu Michael, ut nosti, hoc etiam ex humanis unum feras et nobis defunc-
 tum virtute tua referas, quod te facturum speramus et exspectamus. Si tam alta,
 tam praeclara tua indoles in te tecum diurnat, spes sperata minime nos decipit.
 Patri tuo non iam voveo, sed faveo vitam aeternam. Tibi dent superi feliceis canos
 et annos, caetera iam pridem habere coepisti.
- 11 Haec ad te scribo robustius, ne plus aequo super obitu venerandi tui pectoris
 lugeas, ψυχῆς νοσοῦσης ἰατροὶ λόγοι. Quae tamen qua tibi, vel me tacente, nota
 sint, nuper coram degustavi. Si diei sciens ero, quo corpus defunctum ad sepul-
 turam dabitur, ego quoque lacrumis meis funus cohonestabo. Tu melius vale.
 Epperiessino 21 Septembr[is]. Anno 1598.

7 ab ipso accipiet nemo **Ed. pr.** nemo ab ipso accipiet / semel iam **Ed. pr.** iam semel

10 Michael **Ed. pr.** mi Michael

11 robustius **Ed. pr. om.** / qua tibi **Ed. pr.** quam tibi / cohonestabo **Ed. a.** cohonestabo

6 hosti suo fidem esse nullam — cf. Lucan. I, 92; X, 407; Auson. Epigr. 92 (95), 4 / indutus
 thoracem — cf. Eph. 6, 17; 1Thes. 5, 8 / Militavit — cf. 1Tim. 1, 18—19

8 dicas, Homere — Od. XIV, 491

Ad Reverendissimum et Magnificum Dominum,
 D[ominum] Franciscum Forgacium, Episc[opum] Nitr[ianum]
 L[iberum] B[aronem] de Gyms etc.

Ut laetis, Francisce, Baro reverende, Camoenis
 Te canerem patrio iam rediisse solo.
 Forte tamen moestus prohiberet Apollo, per oras
 Qui nostras querulam turbat et ipse lyram.
 5 Nigra dies agitur, solemniter intrat in aulam
 Plurimus Herknechti, Marte dolente, chorus.
 Pro cytharis tuba rauca gemit, pro carmine laeto
 Aera boant, patrem plorat et ora tuum.
 Mars quem non valuit per plurima sternere lustra,
 10 Hunc fera momento mors sua stravit humi.
 Funere Parca virum quod merserit improba tantum,
 Ex toto, Praesul maxime, corde doles.
 Quid facias? compone tuos rursum ipse doloreis,
 Scis, te quo deceat plangere more patrem.
 15 Quattuor heic genitor patriae vos clara reliquit
 Lumina, Forgaciae fulcraque certa domus.
 Tres pia bella gerant, tu relligionis honoreis,
 Quodque tuis humeris grande recumbit onus.
 Meque, tuo patri carum, complectere vatem,
 20 Qui gravis est heros, carmen amare solet.

Magnifico et Generoso Heroi ac Domino,
 D[omino] Sigismundo Forgacz,
 Lib[ero] Bar[oni] de Gyms etc.

Si quisquam Hungariae fuit acris causa doloris,
 A quo Matthias Hunniadesque iacent.
 Et genitor, Sigsmunde Baro, felicibus armis
 Hoc meruit lacrimas clarus in orbe tuus.
 5 A primis etenim qualem se gesserit annis,
 Pace vel horrendus quum furit arma deus.
 Notius est forsant, ferali carmine vates,
 Tempore et hoc tristi, quam recitare queam.
 Hoc scio, serorum quod posthuma secla nepotum,

3 Sigsmunde [sic!] Ed. pr. et Ed. a.

10 Quis fuerit, semper voce loquentur anu.
 Sed quia tu patrii successor honoris es, aulam
 Ipsa gubernandam dat tibi vestra domus.
 Non minus excedet cunctas tua gloria metas,
 Ut quoque tu praestans laude ferare Comes.
 15 Relligionis amans divinos quaeris honoreis,
 Inque tuo pietas corde fidesque sedent.
 Bella Saracenos contra geris, arduus heros,
 Clarus et armorum veste togaque vir es.
 Aemulus hinc patriae virtutis et inclytus, astris
 20 Te meritis infers tempore, magne Comes.
 Deinde pias arteis et Musica corda, Camoenas
 Suspicias, hunc miserum non sinis esse chorum.
 Praesertim qui facta ducum dare fortia chartis
 Et cantare solent, hos reverenter habes.
 25 Nam tuus ante mihi favor est perspectus in arteis
 Aonias, et quam Pallada doctus ames.
 Nuper ego, tenuis quando tibi carmina Musae
 Exhibui, rursum protinus aera tuli.
 Calcar eris studii quapropter nobile nostri,
 30 Laude graveis posthac, teque tuosque, veham.
 Sat licet ante cluas, te plus tamen ipse coruscum
 Versus per faciam, clare patrone, meos.
 Tu modo, quod restat, sis annis Nestore maior,
 Vitaque virtuti sic diuturna tuae.
 35 Usque tuum aeternes genus, opto, sit ipsa maritis
 Addita spes, thalamo Iuno secunda tuo.
 Heroina brevi faciat te prole parentem,
 Exhilaretque tuum Tursonis illa torum.

287 Ad Magnificum, Fortissimum Doctissimumque Dominum,
 D[ominum] Michaellem Forgacz,
 Lib[erum] Bar[onem] de Gyemes etc.

Flos comitum, Baro, Pannonici spes altera regni,
 Quem iam certatim docta tot ora canunt.
 Tu quoque progenies quum Forgaciana parentis
 Aemula sis genio nobiliore tui.
 5 Quid prohibet (modo sospes agas, modo vita supersit)
 Laurigeros inter tu quoque primus eris.

Acriter in pulcri certamine Martis honesto
 Te tam mature dura per arma geris.
 Ut tueare genus, claris ut laudibus olim
 10 Egregius patriae flos habere tuae.
 Perge comes, vel iam praestantibus inclyte factis,
 Dum possis bello crescere, perge, comes.
 Tu patris exemplo tibi promerere favorem
 Caesaris et clara laude ferare procul.
 15 Te, decus imperii, septemplex ille viratus
 Laudet et agnoscat clara per arma virum.
 Et tua, tempus erit, quo Martia gesta legantur,
 Et tua te virtus inseret alte diis.
 Astra merent bello fortes, nova quaeritur armis
 20 Res, virtus, regnum, gloria, vita, salus.

**288 Magnifico et Generosissimo Domino, D[omino] Ioanni Forgacz,
 L[ibero] Bar[oni] de Gyms etc.**

Magnifici proles ades o generosa parentis,
 Quae merito ex toto pectore tristis eris.
 Te licet ora ferat, qua magnus fulminat armis
 Caesar, et imperii promovet usque decus.
 5 Morte tui genitoris ibi terreberere forsan,
 Excidet et manibus protinus hasta tuis.
 Sed, Iuvenis formose, dies cum laude senileis
 Iam tuus attigerit clarus in orbe parens.
 Te decet hunc rursus modice lenire dolorem,
 10 Forti porro manu caesaris arma sequi.
 Ut fias generis, patris ardua gloria tanti,
 Forgaciden possis condecorare domum.
 Ex patre virtutem, ex Domino iam disce laboreis,
 Qui iuvenis vere nobilitare solent.
 15 Dum potes, exerce virtutem, Palffius heros
 Te docet Euxinos vincere Marte caneis.
 Cuspide lunigeros iam scis prosternere Turcas,
 Duraque qua possit arx ratione capi.
 Vive, future decus patriae, mi care Ioannes,
 20 Ut vivas, nostro carmine, vive prius.

tit. Ed. pr. Ad Magnificum et Generosum Dominum D[ominum] Ioannem FORGACZ,
 Lib[erum] Bar[onem] de Gyms etc.

7 senileis Ed. pr. seruleis

Tu mihi materies nasceris idonea, vates
Si quis ero, Musis te celebrabo meis.

289

Ad Generosum, Egregium
eruditioneque Nobilissimum D[ominum]
Christophor[um] DARHOLTZ de Fyntha etc. Mecoenatem suum
de obitu Mag[nifici] D[omini] Sim[onis] FORGACII etc.

Triste quod est hodie coelum, quod nubilus aër,
Nec te, Mecoenas, causa latere potest.
Unicus Hungarici sol occidit orbis, et istas
Induxit nostro morte solo tenebras.
5 Hoc ego testabor nigro velamine, posthac
Cimmerio pullus corpore semper ero.
Hei nisi terra nitore suo splendoreque nostra
Post careat, nobis quae, rogo, lampas erit?

290

Ad incolas civitatum Hungaricarum,
ut patroni sui D[omini] Simonis FORGACZ mortem defleant

Quum pia Forgacium deplorent corda Simonem,
Certatim exsequias concio grata parent.
Triste per aethereas boet aes resonabile turreis,
Testentur luctus tympana moesta suos.
5 Vos etiam civeis, qui moenia clausa tenetis,
Moestitiae passim iam dare signa decet.
Iste fuit commune bonum Baro, praelia gessit
Aris pro vestris non minus atque focis.
Per sua ceu miseros protexerit arma clienteis,
10 Constat, et hoc tonsor lippaque turba docet.
Ipsa quidem comiti mors lentior esse volebat,
Nostra sed impietas abstulit orbe senem.
Quum Deus ingratis irascitur, optima regnis
Subtrahit ex medio pectora, prava sinit.
15 Quem nisi poscamus veniam, nisi sacra litemus,
Hei vereor nostri plurima damna soli.
Sed nobis alii (si nostro pectore nondum
Relligio et virtus excidit omnis) erunt.

8 Aris pro vestris atque focis — cf. Cic. De nat. D. III, 40, 94

Hoc superest, Dominum prece supplice quisque rogemus,
20 Ipse velit taleis suppeditare viros.
Cumque Sigismundus patri sit proximus haeres,
Det Deus, ut patriam sic regat usque domum.
Rebus in afflictis medicina sit ille vicissim,
Altera Forgacii spes sit et aura satus.
25 A patre magnanimo vestigia trita sequatur,
Cum sceptro doteis factaque grata gerat.
Et faciet, fortes gignuntur fortibus, ipsam
In subolem virtus ire paterna solet.
Si generant aquilas aquilae, leo et ipse leonem,
30 Heros heroem gignere nonne potest?

291

In vexillo

Heic sita Forgacii sunt ossa Simonis, ademptum
Quem caesar, virtus, Mars dolet esse sibi.
Spiritus astra colit, hac membra sed aede quiescunt,
Pannonis huic posthac vix dabit ora parem.

292

Aliud ibidem

Hungara cui nunquam sat dignas pendere grateis
Gens poterit, Forgacz heic iacet ille Simon.
Quis fuerit studio Martis, Tybiscus et Ister
Dicet, et in sera posteritate canet.

293

Ad Reverendum Doctissimumque Virum D[ominum] Ioannem Fabricium

Iane, adsis, doleamus, o Fabrici!
Qui te meque novemque qui sororeis
Virtutemque piūque fasque pure
Arsit, condecoravit, auxit, et quem
5 Rursum instar patris Hungarus flagrabat.
Quisnam? Forgacius Simon Baro, heu! heu!

27 fortes gignuntur fortibus — cf. Hor. Carm. IV, 4, 39

Hunc amisimus orbis o patronum,
Iane, adsis, doleamus, o Fabrici!

294

In arma inclytæ Forgacianorum gentis

Mars aurum et clypeos, merita est ars clara puellam,
Hoc insigne domus FORGACIANA gerit.

NOVUS ANNUS

vota pro felici iam ingruentis 1599. anni auspicio, conscripta ad patronos, fautores et amicos, et dedicata spectabili et magnifico domino, d[omino] Francisco Derssfi, Libero Baroni, Sac[rae] Caes[areae] Regiaeque Maiestatis consiliario et Pincernarum Reg[alium] in Hung[aria] Magistro, comiti comitatus Saros etc. per M[agistrum] Ioannem Bocatium P[oetam] L[aureatum] ludirectorem Epperiess[ini]. Bartphae imprimebat Jacobus Klös MDXCIX.

A⁸—B⁸ C⁶⁺²= [22] fol. — 8° — init., orn.

Scriptura: litterae uncis inclusae sic proveniunt: *vocales*: (e) pro ae; (o) pro u; (oe) pro e; (u) pro o; (u); *consonantes*: (ll) pro l; (tt) pro t; (v) pro u; necnon maiusculae pro minusculis et vicissim.

Textus, quo usus sum: Ac. phot. 248/VI; RMK II. 286.

Fus.: RMNy 818; TÓTH L. 22; EPhK 1910: 195; ItK 1913: 118; JANSON 54—55; LÁBOS 596; HELTAI 243—347; WESZPRÉMI II, 467; III, 978; MINÁRIK: St. lit. Prešov 248.

NOVUS ANNUS

295

Spectabilis et Magnifice Domine,
D[omine] Francisce Derssfi etc. Patrone Colendiss[ime]

Sic etiam, Baro magne, novus tibi riserit annus,
Sic domui fuerint prospera quaeque tuae.
Has, pro te iuxta votivas, accipe strennas,
Tuta patrocínio stet mea Musa tuo.
5 Magna decent magnos, non res est parva Camoenas
A magnis parvas numen habere viris.

M[agnificentiae] V[estrae]
deditiss[imus] servus
M[agister] Ioannes Bocatius
P[oeta] L[aureatus]

*

5 Magna decent — prov. v. Margalits; cf. Hor. Epist. I, 7, 44

*

296 Optio pro Rodulpho II Imper[atore] Rom[ano];
 Bohem[iae] et Hung[ariae] Rege

 Magne Deus: nam sacra paro pro caesare vota,
 Promptior aure preceis et cominus accipe, longe
 Optime rex regum, cui caesar et omnia parent.
 Da Pater et votis largire, aeterna potestas,
5 Robur et incrementa pio sunt usque Rodulpho.
 Gnaviter ut Martem felicibus urgeat armis,
 Hisque animis porro tam fortiter opprimat hostem.
 Ipsius auspicio (desiderat ora tot annis)
 Pax redeat, crescant iterum huius rudera terrae.
10 Collapsas populis aras restauret, honoreis
 Stent templis, redeant trita ad vestigia patrum.
 Te propter subolisque tuae, Pater optime, nomen,
 Principium est bello, te propter meta cruoris
 Denique sit: nostrum victoria laeta monarcham
15 Excipiat, meritum Thrax vergat Erinnyes ad Orcum,
 O tandem illa dies miseris iam surgat Olympo.

297 Ad Christum pro Austriaca Domo

 Christe, soli coelique potens, ter maxime Princeps,
 Qui populis forteis Hectoras usque creas.
 Qualiter Austriaca de stirpe tot ordine fratres
 Nostra habet auspiciis Martia terra tuis.
5 Scilicet hinc Romana salus alterque Rodolphus
 Per duo pro nobis fulmina bella gerit.
 Cedere Romani victores, cedere Graii
 Quis possent, si iam forsitan in orbe forent.
 Tantum est, quum rigidis fera quaerere praelia Turcis,
10 Marte Tomitanos vincere nosse Getas.
 Illis, vera Dei proles orbisque redemptor
 Unice, Nestoreos da superesse dies.

Vivat Matthias, vivat Maxaemilianus,
Divisim hocce triplex tres moderentur opus.

298 Pro eadem ad S[anctissimam] Trinitatem distichon

Alma Trias, serva Tria maxima lumina: mundo
Austria quae toti belligera una dedit.

299 Pro Dynastis caesarianis omnibus et singulis

Et quia, tam vastum late moderarier orbem,
Est opus ingenio multo adscitisque ministris
Dividue rex sceptrum gerit, partemque laborum
Fidorum auguste per corda triumphat Achatum,
5 Quorum etiam arbitrio fiunt suffragia rerum:
Sic treis praecipue provincia clarat in aula
Caesaris, imperio Kutaschius alter ab ipso
Petaeusque cygnus collega, Tiburtius ille,
Quem de coelorum regno bene nomen honestat:
10 Hos, inquam, atque alios, Deus o, rex optime coeli,
Spiritus illustret tuus alma numinis aura,
Ut, quae recta, animo cernant, quae publica, curent.
Sit caesar Salomon, sint illi corde Solones:
Sit tres illorum genius: contracta rotundis
15 Mens, prudens: pia respiciant, quum fantur ad urnam.
Cumque suo tandem domino seri astra coruscent.

300 Reverendissimo et Magnifico Cordatissimoque Viro,
Domino Stephano Micatio, Episcopo Iassov[iensi]
et Sac[rae] Caes[areae] Regiaeque Maiestatis Consiliario
et Praes[idi] Cam[erae] Scep[usien]s[is] Cassoviae etc.

Fronte fer explicita, quod ego te, maxime praesul,
Compellere ausim, nec notus, mascula virtus
Hoc facit ad mundi tua totius excita parteis.
Illa rapit cunctos, qui de te scribere certant
5 Omnes, quotquot habet coeli sub fornice vateis.
Nimirum heic clares, quid rerum gesseris arcem
Intra illam, sollers tua qua prudentia Turcas,

Quamvis Marte catos, in retia traxit, ut Hector
 Vix ita Troianas fuerit vafer ipse per aras.
 10 Ergo, macte animos heros, quem caesar honorat,
 Virtus auscultat, laus ardet, gloria sceptro
 Praeficit Hungarico: tibi gratulor, optime praeses,
 Muneris et spartae tam nobilis, inclita celsae
 Regna potestatis, feliceis numina fasces
 15 Hos reddant meritos. Hoc votis exigo vates.
 Da, Deus, antistes Camerae Hunnidos audiat oris
 Sospes in his et magnanimum caput exserat annos
 Ultra Nestoreos: petat altum serus Olympum.
 Has faveo strennas, prorex tibi, magne Micati!

301 Generoso et Egregio Nobiliss[imo] et Ampliss[imo]
 Viro ac Domino Georgio Hoffmanno,
 Caes[areo] Consiliario in Cam[era] Scep[usien]si]

Vir palmaris, honos et Pannonis inclita gentis
 Gloria, caesarei firma columna throni.
 Tempora quum nati redeunt infantia Christi,
 Alloquio et precibus quisque vacare solet.
 5 Haud latet et nostros, Hoffmanno amplissime, moreis
 Non nescis: votis et prece grata damus.
 Haec praeter claris nequeam quod plura patronis
 Reddere, reddo pius vota preceisque meis.
 Si quisquam ex numero tamen est, cui debeo, certe
 10 Tu patronorum Lucifer ipse mihi es.
 Cur igitur te votivis intexere chartis
 Nolim ego, praesidium, dulce decusque meum?
 Sis felix salvusque tuis et caesaris aulae
 Consilio egregias suffice Nestor opeis.
 15 Vive diu, imperium, te praestite, crescat in oris
 Hungaricis qua tu regia sceptris geris.
 Pondera Carpathii graviora cacumine montis,
 Scit tellus, humeris tota iacere tuis.
 Sed tamen omnipotens te fasce levabit Iesus,
 20 Quem colis, ipse operae pars erit una tuae.
 Et fors emeritum, multis fidumque tot annis,
 Respiciet grata fronte monarcha pius.

11 te . . . intexere chartis — cf. Tibull. IV, 1, 5

12 praesidium dulce decusque — cf. Hor. Carm. I, 1, 2

Interea praeclare tuis vir prospera rebus
Sit Fortuna, tibi quod mea strenna vovet.
25 Fac Deus, Hoffmanno domuique illius, ut annum
Transigat hunc expers omnis ubique mali.

302 Generoso et Egregio Viro, Domino Nicolao Orlle
 in Cam[era] Scep[usieni] Caes[areo] Consiliario

Quidnam, quaeso, precer, quoque caesariene senator,
Heic tibi? iam reliquis dum suus exstat honos.
O decus, o fautor, longa dignissime vita,
Qui grandi fasceis in statione geris.
5 Te Deus hoc oculis rursus clementibus anno
Respiciet, nostri fons et origo boni.
Ille tuis claros meritis largitur honoreis,
Collegam Hoffmanni vult simul esse gravem.
Ille idem elapso te tempore rexit et auxit
10 Iudicio, fama, nomine, corde Deus.
Orlleum asseruit dominumque domumque patronus,
Sors tibi quo niveis laetior iret equis.
Ille velit porro tibi suppeditare secundos
Fortunae semper mitior ipse dies.
15 Prosit ut invicto prudentia vestra monarchae,
Afflictus certam sentiat Hunnus opem.
Celse Deus, ne sit moles onerosa laborum
Tantorum, Orlleo numine dexter ades.

303 Ad Generosum, Egregium et Opt[imum] Virum,
 Dominum Georgium Caproncium,
Caes[areum] in Cam[era] Scep[usieni] Cassov[iae] Consiliarium

Estne, Capronci, aliquid, tibi quod, praeclare, Calendis
Imprecer? haud nostro carmine forsant eges.
Sors tua me anticipat, quod versibus opto, praeivit:
Celsior es factus, robore, corde vales.
5 Conscius es gravium, quas terra alit Hungara, rerum,
Hinc magno passim clarus honore vires.
Estne, Capronci, aliquid, tibi quod, praeclare, Calendis

12 niveis iret equis — cf. Hor. Sat. I, 7, 8

Imprecer? haud nostro carmine forsan eges.
 Immo, vir excellens fautorque colende, tueri
 10 Quum possit sortem saecula nemo suam.
 Valde opus est votis, precibus, ne numen in iras
 Desinat, et nutus subtrahat inde suos.
 Ergo vale porro felix cum coniuge, felix
 Cum parvis natis, cumque decore novo.
 15 Exordium hoc anni quoque laeta exordia portet,
 Portet et in longos te velit esse dies.

**304 Viro Nobilis[simo], Gene[rosissimo] et Fortiss[imo]
 Erico Lassotae, Lustrat[ionum] Caes[areo] Magistro**

Martie belligeras flos inter, Erice, cohorteis,
 Cui gravis a magno caesare splendet honos.
 Te, generose heros (nam poscit id ardua virtus)
 Extorrem strennis non decet esse meis.
 5 Ergo ades, in nostras quoque te depono Camoenas,
 Si fatum hoc anno sospes habere velis.
 Optima surripiant te pravae numina sorti,
 Sint desiderii prospera quaeque tuis.
 Vita tibi spiret prolixior: omnia felix
 10 Horrida pro nostra bella salute geras.
 Mars et Iuno tuis faveant dexterrima rebus,
 Quae soror et coniunx, sit tibi blanda, Iovis.
 Martie belligeras flos inter, Erice, cohorteis,
 Ter salve, ter ave, terque quaterque vale.

**305 Ob Generos[um], Egregi[um] et fortiss[imum] heroem
 ac Dominum Ladislaum Peteum,
 Exercitus Caes[arei] in tractu Cass[oviensi] Capit[aneum]**

Teque tuumque genus pariter, cordatior heros,
 Solemni ad superos pertraho voce polos.
 Cur, quaeris, Ladslae? tibi que tuisque sit anno
 Hoc bene, vos bonitas servet amica Dei.
 5 Sors vos accipiat laetissima, membra valete
 Omnia, Martis honos sitis et aura soli.
 Te duce praesertim, generose Petae, monarcham
 Exhilarant nostrum laeta trophaea, precor.

Viro Nobili, Virtute et Doct[rina] praestantiss[imo]
 Clarissimoque D[omino] Caspari Franco,
 in Cam[era] Scep[usieni]
 Caes[areo] Rat[ionariorum] Latin[orum] Magistro

Heus paucis, Erato, volo te, adesdum:
 Has Franco cita perferas tabellas.
 Si non publica caesarie laborat:
 Si nil disputat aede calculantum.
 5 Quod solemnia pusio Mariae
 Totum fecerit otium per orbem.
 Quare aut enthea codicis beati
 Tractat scita: vel imprecatur annum
 Caris laetum animabus ipse versu.
 10 Quicquid sit, tamen audiet phaleucos,
 A me si modo dixeris profectos.
 Dic et voce vicaria, peroptet
 Franco Bocatius quod omne felix,
 Iam, primordia ubi capit vicissim
 15 Annus, fine reciprocus perempto.
 Dic quod poplite sessitet caduco
 Aras ante pius, preceisque fundat
 Franci nomine plurimas, ut ipsi
 Ipsiusque domo sit auspicatus
 20 Bono temporis huius insequentis.
 Cum Iunone sua suisque gnatis
 Vivat sospes et invidendus hosti.
 Haec et caetera dic tuo patrono,
 Digno Nestoris aevo, amore digno
 25 Dei, caesaris, omnium bonorum
 Quotquot luna solque luce prendunt.

Pro inclyto Cassoviensium proesidio
 ad Christum Dei et Mariae filium

Audi, Christe, preceis, audi, rex optime regum,
 Orbis et Hungarici vere patrone meas.
 Pro, cernis cangrena nimis quod Turcica porro
 Serpat, et ad nostras proximet usque plagas.
 5 Nunc Agriae nobis fera postquam contudit arcem,
 Cernis, ut hos etiam semper anhelet agros.

Martia Cassoviae trux bellua quaeritat urbem,
Qua capta (heu) Turcis praeda parata sumus.
Hoc miserae bonus extremum nisi gentis asylon
10 Asseris, hospitium terra futura Getae est.
Assere, Christe homodive, tuis hanc laudibus urbem,
Istius una salus urbis et orbis erit.

308

Gratiarum actio ad Deum patrem,
quod Hungariam anno praeterito clementer defenderit

Iuste, potens, verax, aeterne, benigne, salutis
Semper inexhaustus fons et origo, Deus.
O pater, aetherae rex arcis et autor, Olympus
Terra Panomphaeum quem quoque tota tremit.
5 Ah tibi debetur soli, Optime-maxime, nostrum
Quod non perdiderint hactenus arma solum.
O pietas, bonitas indulgentissima: cuius
Nos contra Schyticos protegit umbra caneis.
Quae iure exsilio poterat mulctare scelestos,
10 Vel dare Turcigenis membra voranda lupis.
Vivimus, id praeter spem et suetis vivimus oris,
Noxa meret quorum nil nisi longa necem.
Quid reddo tibi, care Pater, Pater alme, quid ergo
Reddo tibi, cuius munere cuncta sumus?
15 O quia nulla venit meritis par gratia tantis,
Laude tamen posthac te meliore feram.
Iuste, potens, verax, aeterne, benigne salutis
Semper inexhaustus fons et origo, Deus.

309

Pro MDXCIX anni bona aëris temperie
et annonae copia

Causa boni et rerum, magne arbiter orbis Olympum
Digeris imperio qui, Pater alte, tuo.
Nec dubitamus Atlanta virum te prodere verum,
Aethereum cuius brachia frangit onus.
5 Te nigra praecipiente ruit, cum fluctibus Austri,
Tempestat, madidum sueta rigare solum.
Te poscente vorat face sol, quaecunque per agros

15 O quia Nova. Quia

Rore et amorè poli laeta fuere prius.
 Te nisi dante nihil sudore paratur in hortis,
 10 Gens, nisi tu reddas, rustica perdit opeis.
 Quae creduntur humi, suffocat plurimus imber,
 Si tua non pluvias temperet alma manus.
 Flebilis ut viduo sint otia rura colonis,
 Aut cernant messeis Gargara plena suas.
 15 Tu facis, in nostros quum large sufficis usus,
 Ut fragile hoc miseris sustineatur opus.
 Care Pater, votis te rursus ardentibus oro,
 Suffice filiolis munera vesca tuis.
 Neu genitor lapidem gnato pro pane ministret,
 20 Neu pro pisce anguem suppeditare solet.
 Non hic quod dignus, sed quod valde ille benignus,
 O pater, hoc anno tu quoque pasce tuos.

310

Reipub[licae] Cassovianae

Pergo tuamque prius, Cassovia nobilis, urbem
 Ad superas votis carmine porto domos.
 Ante Deum coelo statuam tua Pergama supplex,
 Ut tibi protracte sospes hic annus eat.
 5 Ut tandem tua pace gravis Res-publica crescat,
 Crescat et in tuto civica membra regat.
 Patricios, urbis procereis lectumque senatum
 Copulet unus amor, copulet una fides.
 Subdita corda regi sese patiantur, amore
 10 Iuris et unanimeis tradita quisque gerant.
 Omnis agat prive, memor integritatis, honesta,
 Nemo creet dominis puncta molesta suis.
 Summe parens, coeli qui respicis axe procellas,
 Quae cupiunt nostram mergere ubique ratem.
 15 Te rogo, protela, quaecunque timentur, et istos,
 Ut bonus es custos, ipse tuere Lareis.
 Auxilio praecurre tuo mala cuncta, nec hostis
 Dicat: Ubi vestrae iam Deus urbis habet?
 O Deus alme, faveque foveque quod orbe reverso
 20 Oro per nati sidera fausta tui.

10 unanimeis *Nova.* unianimeis

19 reverso *Nova.* reversa

14 messeis Gargara — Verg. Georg. I, 103

Ad Leutschovianam Civitatem

Tuque meis apta es numeris, Leutschovia, praestans
 Flore virum ac tectis, dives et alta situ.
 Ut parcant adversa tuis hoc civibus anno,
 Expediam castas supplice voce preceis.
 5 Te Deus, alma sui propter cunabula nati,
 Asserat et contra protegat omne malum.
 Duret amor, liget ipsa tuos concordia civeis.
 Corda senatorum prospera sceptrā gerant.
 Curia sit felix, sit laeta domestica virtus,
 10 In multas florens utraque crescat opes.
 Prime Scepusiāci flos orbis et unice muro
 Magnifice structo ditior umbo soli:
 Salve et ave, tibi praesto mora Fortuna benigne.
 Rideat, et superum te bona servet ope.
 15 Austriadis tua nota satis reverentia, regnum
 Erga Romani caesaris illa diu est.
 Hinc tibi crescit honos, tua gloria notior aulae
 Surgit et Hungaricis amplificatur agris.
 Florida vive valeque, precor, Leutschovia, porro
 20 Te regat auspiciis qui regit astra suis.

Bartphanae Politiae

Ad te iam venio festis, Bartphana, Camoenis
 Parva, sed Aoniis urbs habitata viris.
 Sol propius vestros quoque rursus anhelat ad agros,
 Cumque suo domino Ianus et annus adest.
 5 Pro reliquis igitur dum colligo vota patronis,
 Nec tu flos regni praetereundus eris.
 Sed quid ego votis, quidnam precor? esse beatos
 Ex omni casu? sors ea nulla super.
 Dextra tamen chartis et fata benigna voveri
 10 Par est, hoc faxit, qui regit omne, Deus.
 Is bonitate sua vos servet, et ante pericla
 Avertat vestris noxia quaeque plagis.
 Ille magistratum, prudentia corda senatus:
 Ille scholam et templum, publica, priva regat.
 15 Quicquid honorificum, quidquid laudabile, curet
 Omnis, et oblectet fasque piumque status.
 Sint procul a vobis morbi, contagio, pestis,

Sitque focus, aris sit quoque longa salus.
Nil vates optare potest felicius urbi,
20 Quam si Pandoram devocet omne bonum.

313

Ad Deum pro Re-publica Epperiessina

Praecipue commendo tuis, Deus optime, servis
Epperiessinos, qua mea sparta, Lareis.
Manda heic angelicas turmatim habitare cohorteis,
Hostica ne contra vis superare queat.
5 Nulla salus, muris quamvis turrita sit, urbi,
Ni simul aethereo robore firmet opes.
Tu potes invalidos facilis defendere civeis,
Quos contra bello millia multa fremunt.
Ergo meos dominos, duodenos ordine patreis,
10 Ipse senatorum cor animare velis.
Nos ut praesidio sub coram ducere vitam
Possimus, mortis Martis et usque rudem.
A cunctis populum prohibere memento periclis,
Quae rex aëreus saepe creare solet.
15 Ignis edax tectis parcat, campana nec ullis
Occupet ancipiti pectora bruta metu.
Dira lues exul demigret in arva Getarum,
Heic nulla infestae corpore sternat humi.
Suffice clementer, quod rerum postulat usus,
20 Sit Codris, Iris sit quoque laeta seges.
Quisque suas bene laxet opes pius incola, forte,
Nulla domi capiat damna, nec ulla foris.
Crescat honos urbis, serisque nepotibus olim
Progeniti aeternos dent super orbe dies.

314

In Cebiniensium salutem

Neu pietate minor, virtute nec ultima, quamvis
Ultima sis numero, moenibus atque minor.
Cebiniana meis quoque tu respública factis
Te commendari iam patiare Deo.
5 En rediere dies, queis omnibus annua Christi
Festa salutiferi sunt celebranda piis.
Prospera lux nobis hoc protulit optima quondam,
Quae prece sollicita dantur ab axe poli.

10 Tecum ego flecto genu votivus numine coram,
 Obvia sint rebus dextera quaeque tuis.
 Felicem ex animo tibi destino et imprecor annum,
 Secum omne infelix auferat ille vetus.
 Sis muros intra sospes, sis sospes et extra,
 Purpuret ac ruri messis abunda ferat.
 15 Proveniant oris morisque decora, sit esus,
 Conveniens usus sit simul, oro, tuis.
 Aura bona vestros regat indole recta laboreis,
 Temperet aestivos lunaque solque dies.
 Nil prodest urbi se frangere et angere curis,
 20 Incrementa etiam ni ferat ipse Deus.

315

IESUS

	I mmanuel sate rege	I pso stellantis Olymp	I
	E x genetrice tam	E n quoque casta virgine nat	E
	S ummi et coelesti	S iam natum tempore patri	S
	V erbum, naturae De	V s autor vitaeque fruct	V
5	S is etiam nobi	S, o pusio maxime, IESU	S

316 Ad Magnif[icium] et Praestantiss[imum] Heroem ac Dominum,
 D[ominum] Sigismundum Forgacz,
 L[iberum] B[aronem] de Gyms

Orandum est nobis, vos heros masculine, bellum
 Dum geritis, festas hinc ego torno preceis.
 Et fors nil igitur pecco, fortissime magnas,
 Te paro quod votis insinuare meis.
 5 Christe, redonator cunctorum et origo bonorum,
 His tribuas aureis versibus, oro, tuas.
 Salveat et valeat Sigismundus, prima propago
 Forgacidum, patriae firma columna domus.
 Laeta illum cum zodiaco Fortuna recenti
 10 Excipiat, fato prosperiore beet.

5 bonorum Nova. bobonorum

317 Magnif[ico], Generosiss[imo] Nobilissimoque Domino,
 Domi[no] Michaeli Forgacz,
 L[ibero] de Gymes B[aroni]

Cur tu, clare Baro, quoque non stes hocce libello,
 Forgacii Michael splendida gemma chori?
Fallor? at haud fallor, Mars, Pallas et ipsa trecentos,
 Sospite te, comites perdere mallet inops.
5 Rara satu magnis virtus heroa bis: armis
 Artibus et Clariis, tu sed utraque vir es.
Quare te Martis, te Palladis umbo tuetur,
 Ne pessum hoc anno, sed bene sospes eas.
Ipse etiam autorem vitae, pro more, precabor,
10 Rite tuos facilis proroget ipse dies.
Ut tua radices agat et sit notior orbi,
 Qua vel iam flores, indole, clare Baro.

318 Pro Spectabili et Magnifico Domino,
 D[omino] Stephano Humanaio

Magne comes, solemne paro tibi rursus, ut ante
 Carmen, ades votis, Hungara palma, meis.
Sol iterum ambito redit orbe reciprocus, annus
 Propterea nobis desinit esse vetus.
5 Desinat esse tibi morbus: tibi desinat esse,
 Si qua dies, heros optime, moesta fuit.
Omnia, posco, adversa tuos vertantur in hosteis,
 Tu virtute tua prospera fata meres.
Vive decus procerum, patriae sed vive Deoque,
10 Quod facis, ac tandem serus ad astra veni.

319 Eiusdem filiis duobus Generosiss[imis] Adolesc[entibus]
 D[omino] Wladislao et D[omino] Valentino

Ecquid adhuc vobis supero, palmaria quondam
 Inter discipulos lumina bina meos?
Vos ego corde gero quasi sculptos, inclita proles,
 Hummaiacae viva corona domus.
5 O animo Wladslae meo dilecte: sacerdos
 Cuique Valentini nomen in aede dedit.

Vivite, par magno iuvenum geniale parenti,
Haec quoque sint vestris tempora laeta viis.

320

Pro Generosiss[imo] et Egregio Domino,
D[omino] Michaeli Kattai et eiusdem domo

Nec tua, Kattaidum pars sanguinis inclita prisci,
Heic fuerit nobis praetereunda salus.
His, quaecunque tuis sunt noxia, destruo votis,
Integra sit vestrae fabrica, quaeso, domus.
5 Tu cum germanis, generosa matre tuaque
Compare magnifica plurima secla vale.
Vive diu, flos Hungaricae telluris: in ora
Te nemo ore decus plus variare potest.
Aemula quum veteris Romaeve recentis honestat
10 Te vox, mire Italos Pannonas atque capis.
Teutonias immo capis, te interprete Maxmilianus
In magno fecit verba diserta choro.
Tu Graias Latiasque tenes voceisque Polonas,
Hinc tibi rex Stephanus favit et ipse gravis.
15 Vive diu, flos Hungaricae telluris, in aevum
Omne canent laudeis patria rura tuas.

321

Ad Moecenatem Generosiss[imum] et Egre[gium]
Nobilissimumque Dominum,
Dom[inum] Christophorum Darholtz de Fyntha etc.

Qualia, Moecenas, tibi xenia desuper orem?
Quae mea sint votis congrua vota tuis?
Ah deamande patrone, scio, qua parte beatus
Esse velis, dicam? membra valere cupis.
5 Nae te felicem, nae te sat opinor in oris
His satis augustum, nobilitare decus.
Dum modo te missum faciat lectica, tenaci
Trux morbo et medicis sors rediviva viris.
O Hygeia fave, fave o Hygeia, nec anno
10 Hoc Mecoenati sis ita dura meo.
Annus terga dedit, melior noviore meatu

11 interprete Nova. interpre

Prodit, et huic domino det sua terga vetus.
 Hos decet esse domi, quos facta heroa decorant
 Nulla foris, morbos fataque dura merent.
 15 Clara per Hungarides est nota Darholcia virtus,
 Cara novem Musis, cara, Gradive, tibi.
 Mentis ut est celsae, sic robore polleat anno
 Isto Mecoenas unicus ille meus.
 Versiculis cantabo meis te, diva, salutis
 20 Larga, Hygeia, fave, o Hygeia, fave.

322 Generoso et Egregio D[omino] Nicolao Bornemissae,
 Fautori de me optime merenti

Si, quantum ex animo, fautor generose, poeta
 Opto, feras, felix te mage nullus erit.
 Sospes eris membris ac toto corpore sospes,
 Sospes eris plane porro domi atque foris.
 5 Et scio, sospes eris, quicumque benigna poetae
 Praestat, is et felix sospes et esse solet.
 Vive igitur, caput et fautorum o summa meorum,
 Indulge Musis post quoque tecta meis.
 Crede mihi, damno tibi non erit, heicce quod aedes
 10 Ad tempus vates incolo forte tuas.
 Crede mihi, tibi propterea summi autor Olympi
 Post has aethereo servat in axe domos.

323 Ara
 pro Generosissimis, Eg[regiis] et Nobilissimis Viris ac Dominis,
 D[ominis] Francisco, Andrea et Sigismundo Mariassianis

Nobilis flos et decus aestimandum,
 O trias fratrum bona Marte et arte,
 Sanguinis prisci, Mariassianae
 Gloria stirpis.
 5 Lora dat sol omnituens vicissim
 Mitior nostris remeando terris,
 Annus affert principium novatus
 Munere Phoebi.

10 Strenulas quando adsolet intimorum
Mittere amicus monumenta amicis,
Ergo quid vobis ego mitto? simplex
Carmine votum.

15 Arbiter vitae tueatur aulam
Per suos vestram bonus hoc ministros
Anno et hinc plurima secla contra
Daemonis astum.

20 Gloriam vivacis honore stirpem
Differat seros genus ad nepoteis,
Semper heroas Mariassianis
Iuno ministret.

324 Viro Gene[roso], Egregio et Nobiliss[imo] D[omino]
Ioanni Bertoti, Vicecomiti Sedis Saross[iensis]

Fersne, quod altrici prece sic, Bertoti Ioannes,
Filioli cunas sisteris ante Dei?
Ne prohibe, tibi, si pateris, ridebit hic annus,
Inter feliceis tu simul unus eris.
5 Hoc tua promittit virtus pietasque rogari
Vult tamen aeternus, dans bona cuncta, Deus.

325 Ad Generosam et Egreg[iam] Bersovicianam domum

Salve gentis honos, Bersoviciana propages,
Cuius ab antiqua scandit origo domo.
Salve et ave maior genere minorque Ioannes,
Sint anno hoc vobis prospera quaeque precor.
5 Salve, cumque tuis longum vale, quaeso, Georgi,
Tu simul Andrea, salve, ave et sisque vale.
Salve o Hieremia, Stephane ac Henrice, synopsi
Hacce brevi vobis stamina longa precor.
10 Vivite, quod facitis, concordet, vivite fratres,
Sic annus vestram prosperet iste domum.

326

Generoso nec non Egreg[io] D[omino]
Paulo Sebessi domique ipsius

Tu quoque, Paule Sebessi, senex qui vesceris aura,
Ut vescare diu post, tibi nonne precer?
Vel sola pietate meres, indulgeat annos,
Quo tibi nos propter natus in orbe puer.
5 Ille tibi post sufficiat in corpore vires,
Ut tua sint Pylîi fata diurna senis.

327

Viro Nobili et Gen[eroso] D[omino]
Francisco Rovozi Not[ario] Sed[is] Saross[iensis]

Qui Musas, Francisce, meas quoque fervidus ardes,
An merito, ignorant, anno etiam hocce vale.
Sorte vale, membrisque vale, vale cuncta, Rovozi,
Ut possis, pro te iam simul oro Deum.

328

Gen[eroso] et Egreg[io] Viro,
D[omino] Michaeli Kelemessio

Flos Kelemessiacae stirpis, generose Michael,
Visne mea superis notior esse prece?
Visne tuis voveam quid fatis? orbe peregit
Sol iter, et nostros purior intrat agros.
5 Mane sub hoc anni, face splendidiore, quid optem
Ergo tibi, quaeris? te quid habere iuvat.
O oculos aurora tibi nova surgat, ut orbem
Orbis hunc possis cernere, ut ante tuis.
Hoc faxit lumen vero de lumine Christus,
10 Detque diu possis hac bene luce frui.

329

Domui Gene[rosae] et Egregiae
Capyanorum

Andrea, senior patrone stirpis,
Et vos lumina clara, tu Ioannes,

3 indulgeat Nova. indulgat

Sigismundeque tu meis Camoenis
Fautor, vos reliqui optimique fratres,
5 Gentes Capyacae decus, valete,
Hoc inquam, bene post valet, fratres.
Annus sit novus ista vox, valet.

330 Viro Nobiliss[imo] et Ampliss[imo] D[omino]
Ioanni Crausio, Provis[ori] XIII in Sceps[usio] Oppid[orum]

Crausi, vides, ut quisque pium melos
Caris amicis vota per occinat,
Ut transigant post secla longa,
Ut bene porro superstites sint.

5 Mos hic pius, mos Christicolae decens,
Ad posteros debet simul ultimos
Iam porrigi, quod per Camoenas
Non dubito facere hasce parvas.

Et quum favoris sint proba me tui
10 Erga tot argumenta, vir optime,
An te meis exesse votis,
Par foret, optime Iane Crausi?

Quo iure, quo, quaeso, merito foret?
15 Ergo fer, hoc te stare virum choro,
Ob quos et altos scando coeli
Supplice voce polos, precando.

Illis ut annus sospes hic adferat
Large omne laetum, dulce, quod et tibi
His opto paucis at profectis
20 Ex animo, vir amice, verbis.

331 Nobili[li] et Egreg[i]o Viro D[omino] Davidi Moes
Caes[areo] in Cam[era] Sceps[usio] Regist[ratori]

Sed quodnam votum (stat enim sententia) Moesi,
Sed quodnam pro te fecero, quaeso, refer.

1 stat enim sententia — Terent. Eun. 224; Liv. XXI, 30, 1; Ov. Met. VIII, 67

Si quid in accepti tibi fors an coelitus orem,
Me nolis taleis fundere iure preces.
5 Opto, favore recens te complectatur hic annus
Usque suo, domui sors sit amica tuae.
Opto, revolvatur, te vivo et sospite, Titan
Saepius, et blandis iam tibi currat equis.
Opto, tuum nomen, tua laus, tua gloria crescat,
10 Opto, quod optatis sit quoque dulce tuis.

332 Viro Nob[ili], Egreg[io] et Doctiss[imo] D[omino]
Ioanni Thebesio Caes[areis] a Rat[ionariis] Lat[inis]
in Cass[ovia] Scep[usieni]

Viris grate bonis, optima calculis
Censor, caesarei qua reditus chori,
Ecquid, Iane Thebesi, prece te simul
Commendo superis mea?
5 Ut te laeta salus almaque faustitas
Anno hoc prosperet et longius a malis
Te sors protrahat ac annuat omnibus
Votis, queis superes, tuis.
Sane sol melior iam tibi luceat,
10 Sint, quae promoveat teque tuasque spes,
Sis mactusque bona sorte, vale integro
Robur corpore floridum.
Haec certe ex animo ni faveo tuis
(Quum nos mens deceat candida) commodis,
15 Me non differat ipsum mea longius,
Sed filum secet Atropos.

333 Viro Gener[oso] et Egre[gi]o D[omino] Stephano Peregio,
Caes[areo] in Cam[era] Scep[usieni] Ration[ario],
Fratrī meo iurato

Nil est, obiiciam, cur te, mi care Peregi,
Praeteream, reliquos quum prece sisto Deo.

16 filum Nova. filium

Tu cum Brechtelio mihi par es amabile fratris
 More, mere vobis quippe duobus amor.
 5 Ergo tuus candor meret omnia fausta precatu,
 Sis igitur felix tuque domusque tua.
 Haec tibi festa dies annusque sit iste beatus,
 Ut possis fato prosperiore frui.
 Utere sorte bona, te caesar et ardua virtus
 10 Semper honorificis claret in orbe choris.

334

Nobil[i] et Excelle[nti] Clarissimoque Viro
 D[omino] Ezechieli Piperello,
 Med[icinae] Doct[ori] et Practico in Hung[aria]

Princeps medentum, quotquot ad Hungaram
 Phoebus salutem, consecrat, unice,
 Quidnam tibi precer rogatis?
 Destino quando aliis novum annum.

5 Es ipsa Hygeia et corporis es rudis
 Aegroti, es ipsius suboles Dei,
 Quem quilibet sciens adorat
 Artis Apollineae parentem.

10 Morbos tremis nil, tabida quum lues
 Flexo caput te poplite palleat,
 Quum se tibi lubens amicet
 Lictor atrox nimis ille Averni.

15 Quidnam ergo, quidnam te iuvet, inclite
 Doctor? scio quidnam tibi coelitus
 Poscam: manus medendo certas
 Pellere queis bene tetra possis.

20 Nomen per omnes Hungaridum viros
 Per posteros seros, per et ultimos
 Semper decus feras nepoteis,
 Hoc, Peperelle, tibi sacramus.

9 Utere sorte bona — cf. Verg. Aen. XII, 932

335 Viro Excelle[nti] Clarissimoque, D[omino] Ioanni Schirmero,
Med[icinae] D[octori] Cassoviae

Nec tu, splendor Apollinis,
Hinc, Schirmere, precatu sine carminis
Dimittere meo pedi,
Quem votivus ego torno poetice,
5 Pro fautoribus et meis,
Quos heic mi Deus et sors dedit, intimis.
Nam te cernimus indigum
Rursus coniugis esse alterius, prior
Quum te morte reliquerit.
10 Absque alma nimium compare sustines
Desertum viduus torum.
Non est, perpetues secula sic tua.
Anno hoc cum renova novo
Nunc tandem, tibi cedant superi piam
15 Ut nympham, voveo lubens,
Quae te rursum hilaret Cypride flammula.

336 Pro Nobili et Egregio D[omino] Georgio Szabo de Göntz,
C[ive] Cassov[iensi]

Iam pridem, nostris, Szabo, fautor amate, Camoenis,
Quae tibi me strennas vota dicare decet?
Larga prius concessit opeis tibi dextra parentis,
Ipsa tuo risit Iuno secunda toro.
5 Inter honoratos tam clara luce coruscas:
Ut te vix alter clareat urbe magis.
Te regni proceres, Darholcius atque Petaeus,
Teque alii innumeri, splendida corda, flagrant.
Una tibi, post sacra tamen, res deesse videtur,
10 Omnia quae superat delitiosa soli.
Corporis alma salus, fulvo pretiosior auro,
Hacce boni mundus nil melioris habet.
Mittat ut ergo tuos trux Morbia et occupet artus
Illorum, stamen queis Libitina secet.
15 Tu bene de Musis, bene de virtute merendo
Hoc superes anno, fautor amande, precor.

11 Desertum Nova. Deserdum

4 Ipsa Nova. Issa / toro Nova. toxo

Ad Egregium et Prudentiss[imum] Virum,
D[ominum] Stephanum Herczeg,
incl[itae] Cassov[iensis] Reipub[licae] Senat[orem]

Par est hoc etiam tu conspiciare libello,
Herczegi, sanctae pure Themistos amor.
Dignus es annorum serie, vir candide, dignus
Es vel Nestoreos vivere in orbe dies.
5 Curia testis erit mihi vestra, quod ardua rerum
Sollerti in melius pro ratione putes.
Publica quod cures patriae pater optimus, urbis
Gloriam, inoffensa te probitate geras,
Quod pius et virtutis amans pro cive senator
10 Omne tuo peragas doctus et ore gravis.
Ergo tibi merito feliceis hisce meatus
Anni versiculis opto recentis iter.
Vir pie, circumspecte, Dei solemnia nati
Festa tibi redeant saepius, oro, vale.

Viro Doctiss[imo], Prudentiss[imo] et Opt[imo]
Dom[ino] Michaeli Wirt, Cons[uli] vel Iudici
Notarioque Reipub[licae] Epperiess[inae]

Iudex optime civitatis huius,
Wirthi, gloria civitatis huius.
Cur te non quoque, ut antea, secundis
Hoc anno voveam, patrone, fatis?
5 Scio, me quod ames, amem quod ipse
Te rursus dominum meum colendum.
O scirem, tibi quid velis rogari,
Id non desinerem tibi rogare.
Visne vivere? visne sanus esse?
10 Vivas, sanus et esto, mi patrone,
Hoc et filiolis tuis tuaeque
Opto Dorotheae, vale patrone.

7 patriae pater — Cic. Pro Sest. 57, 121; Pro Rab. perd. 10, 27; Iuv. VIII, 244; Ov. Fasti II, 127;
Mart. Spect. 3, 12; Petr. 60

Nobi[li], Praest[anti] et Consultiss[imo] Viro
 D[omino] Sebaldo Artnero,
 Trib[uno] p[lebis] et Not[ario] Iur[ato] Cass[oviae]

Artner, plebis ardor
 O Cassoviaca, gregis magister,
 Assertor aureae Themistos,
 Et decus disertum.

5 Quando revorsionem
 Iam rursus faciant, ut annuatim,
 Nati absque patre pusionis
 Sacra festa Christi.

Sat scis, amici amicis
 10 Passim ut missiculent sibi recentis
 Anni, hoc et orbe, faustitateis
 Prece larga honesti.

Quare novi nil patro.
 Pro te fecero vota, mi Sebalde,
 15 Nimirum ut superi tuis diebus
 Numeros seneis et

Addant dies, sed addant,
 Iam tu qualibus es, Sebalde, dignus,
 Qualeis rogas? beatioreis
 20 Tibi cum Rosina,

Cum matre, cumque toto
 Dilecto grege prosper hic sit annus,
 Artner, vive, vive sospes,
 Sine sorte moesta.

Docto, Prudent[issimo] et Opt[imo] Viro,
 Domino Martino Brechtelio C[ivi] et 100-viro Cass[oviensi]
 Vet[eri] et Int[imo] Amico

O mihi praecipuos, o fidos inter amicos
 Unice, Brechteli, Lucifer, omnis amor.
 Laetus ades, mecum ante Dei cunabula nati

Procide, consorteis iungere tento preces.
5 Teque tuosque lubens puero commendo Tonantis,
Qui nostra est hodie factus in orbe salus.
Is tibi sit facilis, tibi multos proroget annos,
Is tibi det, quorum vita carere nequit.
Is tibi det vireis, is corporis omnia membra
10 Colliget articulis integra ubique suis.
Is tibi det largos reditus sortemque benignam,
Is tibi det, quicquid praestat habere pios.

341 Viro Egregio et Nobil[i], Domino Stephano Debrecino,
Caes[areo] Tric[esimatori] Epperiess[ino]

Nec Debrecine, meis tu negligere his quoque chartis,
Opto, tibi felix hic novus annus eat.
Vivere te tua fata sinant, sed vivere sanum,
Nil sano melius corpore hic orbis habet.
5 Opto simul quaestus regno et commercia crescant,
Caesaris officio crescat ut aula tuo.

342 Nobili et Egr[egio] Optimoque Viro,
D[omino] Ioanni Cebnero, Caes[areo] Bartphae Trices[imatori]

Fer, Cebnere, meo tuum libello
Hoc exstare pium bonumque nomen.
Nam te vult superesse at esse serum,
Autor, fautor amande, care Musis.
5 Anno scilicet hoc et inde multis,
Immo Nestoreis, vir optime, annis,
Te vult esse super, sed esse serum,
Autor, Bocatius tibi dicatus.

343 Reverendo atque Doctissimo Viro, D[omino] Severino Sculteto,
P[astori] Bartph[ensi], Affini meo

Affinis, Severine, scis, opinor,
Cur iam, zodiaci novare flexum
Dum sol incipit, annus auspicatur
Iani volvere de novo Calendas,

5 Haec votiva meis canam patronis
Chartis xenia, scilicet quod ipsos
Vos mystas quoque adaemuler sacerdos
Phoebi. Vos pia pro salute nostra
Vota concipitis, salute contra
10 Pro vestra canimus. Sed o quid, o quid
Imprecer tibi voce singulari?
Antiquum obtinuisse vis: valere
Vis? desiderium tuum ratum sit.
Tuis vive diu Deoque vive.

344 Pro Thoma Thymaeo, Reverendo Doctissimoque Viro,
P[astore] Casso[viensi], Patre meo iur[e] colendiss[imo]

O non ultime apostolum bonorum,
Patris nomine, mi colende Thoma,
Dicte ab aethereo thymo Thymae,
Haud te praetereo, novum puellae
5 Quando filiolum decenter oro
Pro fautoribus et meis patronis,
Illis annus ut iste sit benignus.
Hoc iuxta tibi, mi Thymae Thoma,
Hoc iuxta tibi destino tuisque,
10 Faxit, quod rogo, fons boni, Redemptor,
Noster faxit id, inquo, Redemptor,
Vobis annus ut iste sit benignus.

345 Ad Vir[um] ac Theol[ogum]
Opt[imum], Reverend[issimum] ac Doctiss[imum]
D[ominum] Martinum Sturmium Leutschov[iae] Conc[ionatorem]

Martine Sturmi, rhetorum adorea,
Sed mystagogi nobilis ordinis,
Cum sessitas Christi cathedra,
Voce tones sacra scita acuta.
5 Has pauculas pro-tempore voculas,
Pro te ad Deum fusas preculas, cape,
Convasso queis caris, amicis
Sospes ut iste recens sit annus.

Sors desinat, si cordolio tibi
10 Fors hactenus, fausto minus alite,
Acris fuit, iam laetior te
Sospitet, oro, rudem malorum.

Lugendus et plorabilis invido
Pias choro, cantandus amiculo,
15 Quod sorte fies dextera,
Si valeas, habeas beate.

346

Reverendo atque Doctissimo Viro,
D[omino] Ezechieli Hebsaccero P[astori] Epper[iessino]

Estne opus, Hebsaccere, meis tibi carmine votis,
Quando sacerdoteis audiat ante Deus?
Est opus, Hebsaccere, meis tibi carmine votis,
Quippe sacerdotis nomen et ipse gero.
5 Sis pro me supplex, ego pro te, quando sacerdos,
Ille velit taleis nos variare vices.
Tu mihi quidnam optas? tibi ego opto, secula felix
Post cum dilectis plura animabus agas.

347

M[agistro] Georgio Trösterero, Viro Rev[erendo]
et Theol[ogo] Disertiss[imo], P[astori] Cibir[iensi]

Nil, Tröstere, patro mali poeta,
Forsan, te quoque quod piis phaleucis,
Assumo inter eos, quibus reversum
Natalem Domini precor beatum.
5 Sic meres, Libitina te tuosque
Hoc trux praetereat, precamur, anno.
Exi sospes et hunc et inde plureis,
Disertissime doctor, osque Christi,
Sit solemniter hoc tibi dicatum.

Rev[erendo] Doctissimoque Viro,
D[omino] Georgio Floriano, P[astori] Saros[iensi]

Quum sis, vir reverende, Florianus,
Quum sis, inquit, et ante Florianus,
Doctrina bene floreas, sacerdos
Labro rhetore floreas disertus,
5 Firmus robore floreas, Georgi.
Floriane, quid est, tibi quod optem?
Georgi tibi Floriane vates
Opto post quoque floreas iisdem,
Et magis magis atque flore crescas,
10 Donec ubere colligare fructu
Et messem meliore falce Christi.

349 Dom[ino] Ioanni Fabricio Epperie[ssino], Rever[endo] Viro,
Doctiss[imo] et Cord[atissimo] Theol[ogo]

Non possem hanc, Fabrici, expiare noxam,
Heic si clam te ego praeterirem amicum.
Quare dono tibi recentis anni
Loco, consule quos boni, phaleucos,
5 Laeta et foeta hilaris precanteis.
Pro te vapulet alter, alter intra
Se podagrica bella et arma morbi
Calculi male sentiat, quis ille?
Hoc dicam: Agriacus sit ille bassa.

Presbytero Kis Silvano Demetanoque
Vigilantiss[imo], Doctiss[imo] et Opt[imo] Viro,
D[omino] Ioanni Balogo

Temporis es gnarus morisque, Baloge, sodalis
Prime chori, decus o amiculorum.
Annus abit vetus, annus adit novus, optime Iane,
Quid precer aut voveam tibi? senectam,
5 Optime Iane, stilo te Nestoris erige sero,
Incipe vivere, Iane, sospes annos,
In versus cordata pios et dogmatis enthei
Gloria, idem tibi, idem tuis hoc

10 Sacro, tui decreta sicut prosperrima fati,
 O decus, o animae meae flos.

351 Viro Gener[oso], Nobiliss[imo] et Consultiss[imo],
 D[omino] Petro Melcero Sen[atori] Epperiess[ino]

 Et pro te facio, Melcere, heic vota, placebunt
 Sed tibi fors nostro carmine nulla magis:
 Quam si diva tuis prece mollior artibus illa
 Corpore mortipotens sana favere velit.
5 Credo nec Attalicas ita poscis opeisve dapeisve,
 Quam validum membris robur habere tuis.
 Sane igitur, servere, precor, dilectaque compar,
 Anno cum veteri cesset et aegra lues.
 Attenuent alios haec morbida fata, Charonis
10 Iam pridem horrendam qui meruere ratem.
 Publica te nostrae res indigit urbis, honoreis
 Cui tu praestantes conciliare potes.
 Te schola, te templum, te curia postulat, aegros
 Desine (sic Dominum posco) videre dies.
15 Vivito Pannonici custos sevissime iuris,
 Ipsa viros taleis gaudet amare Themis.

352 Nobil[i] et Egregio Viro, D[omino] Georgio Söldnero
 Epper[iessino] C[ivi] primario

 Quae pro te atque tuis heic xenica pango, Georgi,
 Ecce, iure, tua carmina rursus erunt.
 Et scio, quid primum voveam, quo scilicet anno
 Hoc valeas toto membraque sana geras.
5 Crux alios procerum clamosa podagra frequentet,
 Crura per aetatem te meliora gerant.
 Praeterea, cum prole tua, cum coniuge sortem,
 Söldnere o felix, experiare bonam.

353

Viro Ornatissi[mo] et Prudentiss[imo],
D[omino] Michaeli Schönleben,
Praesi[di] Salin[arum] Caes[arearum] Soowar[ini]
et Centumv[iro] Epper[essino]

En tria, Schönlebi, tibi porrigo xenia: primum
Ut vivas, valeas tuque animaeque tuae.
Deinde, tuas porro sors laetior occupet aedeis,
Absit edax ignis, absit et omne malum.
5 Denique mons totus sal fiat ubique Sovari,
Quam penetret fossor, salsa sit omnis humus.

354

Corollarium ad eundem

Cum tarde incedas, Schönlebi, heic ultimus exstas,
Nil nocet, extremis annulus est digitis.

355

Pro reliquis meis fautoribus et amicis
omnibus et singulis

Et vos, dulce meum, patroni, amici,
Quos tempus breve nominatim, honoris
Causa, non sinit heic simul figura
Pari scribier, este, quaeso, salvi,
5 Hunc annum, immo alios agendo vitam
Multos linquite prosperi, beati.
Vobis Bocatius quod opto amicus.

356

Pro memet ipso ad Christum, Filium Dei

Sed me, Gnate Dei, qua vis, hoc rexeris anno,
Aut vivam, aut moriar, sim tamen, oro, tuus.
Si cupis, excedam vita, mihi suffice sensus,
Ne moriens mortem sentiat aegra fides.
5 Erige lapsantem noxa: spem suggere firmam,
Dirum adeo lethi ne metuatur iter.
Si differre velis mea fata, et vivere porro,
Da, faciam in laudeis omnia, Christe, tuas.
Da, spartam exornem, quam gessero cumque, ministrem

10 Grata tibi amplificem publica sorte bona,
Sint oneri vires, sint ventri victus amictusque,
 Haud ego grande velim, quod mediocre, peto.
Sive domi sim, sive foris, laudabile faxim,
 Nomen honorificum sit mihi, labe vacem.
15 Caetera, quae melius calles, mihi fidus amicus,
 Optime Christe, scio, meque tacente, dabis.

M[agistri] Ioannis Bocatii Poetae Laureati Caesarei
HUNGARIDOS LIBRI POEMATUM V

I	}	continet	Martialia vel bellica
II			Encomiastica
III			Nuptialia
IV			Miscellanea
V			Sepulcralia

Ad illust[rissimum], mag[nificum] et generosiss[imum] dominum dominum Sigismundum Forgacz, L[iberum] Baronem de Gyms etc. et ad nobiliss[imum], gener[osum] et egregium dominum Christophorum Darholtz de Fyntha etc. Bartphae. *Colophon*: Bartphae excudebat Jacobus Klöss anno 1599.

(?)^a, A—Z, a—i = [16] + 505 + [6] fol. — 8° — init., orn.

Scriptura: litterae uncis inclusae semper vel nonnunquam sic proveniunt: *vocales*: (ae) pro e; (e) pro ae; (oe) pro ae; (o) pro u; (u) pro i; (y) pro i; (i) pro v; (y) pro i; *consonantes*: (j) pro i; (l) pro l; (ll) pro l; (mt) pro mpt; (ss) pro s; (t) pro th; (th) pro t; (v) pro u; necnon maiusculae pro minusculis et vicissim.

Editio, qua usus sum: RMK II. 287.

Fus.: RMNy 846; BEL: H. cel. 582; TÓTH L. 22—27; JANSON 43—52; MIrodT II, 31; Chrestomatija 37—42; Sorb. Leseb. 25; LAZAR: J. B. 244—245; ŽILKA 8; MINÁRIK: St. lit. Prešov 248—250; KARŠAI 127; KERUĽOVÁ 17—153; MINÁRIK: DSL 127—128.

HUNGARIDOS LIBRI POEMATUM QUINQUE

357 Divo Rodolpho II Rom[ano] Imp[eratori] Augustiss[imo]
Hungariae et Boemiae Regi etc.
Gratias agit autor pro Laurea et Nobilitari titulo

Aurea cum ducibus des, laureaserta poetis,
Quas bene divitias, maxime Caesar, habes:
Aurea das ducibus, mihi laureaserta, Rodolphe:
Sic aurum et laurum det tibi sancta Trias.
5 Aurea sic redeant, te caesare, saecula; sic te
Aurea, sed sero, ponat in astra Deus.

Vestrae Sacr[ae] Caes[areae] Regiaeque
Ma[gi]str[is] humilimus:
M[agister] Ioannes Bocatius
P[oe]ta L[au]reatus C[ae]sareus

Epistola dedicatoria
Illustri, Spectabili et Magnifico Domino,
D[o]m[in]o Sigismundo Forgacz Lib[ero] Bar[oni] de Gymes etc.
et Nobiliss[imo], Gener[oso] et Egregio suo Mecoenati,
D[o]m[in]o Christoph[oro] Darholtz de Fyntha etc.

- 1 Quam sit hoc tempore periculosum, quid publicitus edere, domine Sigismunde Forgacz, comes illustris; domine Christophore Darholtz, Mecoenas et vir nobilissime, satis experiuntur, qui vel ex tripode canunt et ipso Phoebō digna scribunt. Tanta nimirum est hodie passim doctorum pariter et indoctorum perversitas, ut isti, cum ipsi nihil queant; illi, cum se solos quid esse somnient, aliis lucem et oculos, ut aiunt, invident, rideant, liveant. Si qua vero literatorum facultas vapulat et flagellatur, dum in lucem ire cupit, nae Poetica. Quid enim nomen hoc et numen audit, patitur? Olim docti, divini, patres et duces sapientiae; prophetae, angeli, interpretes et filii deorum; administri famulique Musarum: iam rudes, fatui, vani, mendaces, fabulosi, lascivi, rixosi, adulatores, improbi, plus quam improbe, vocitantur, accusantur, proscribuntur, eiiciuntur a poetica,
- 3 qui nomen habent suum. Causam ego non possum aliam assequi, quam quod hoc invisum genus virtutem laudet, vitia mascule et magna cum παῖδεςαἰσῖα reprehendat. Scilicet hinc illae lacrumae. Interea nolint, velint, clam fateri coguntur: poetices studio nil divinius, nil honestius, nil excellentius, nil utilius esse. Omnis quidem ars donum est Dei, sed tamen potissimum

Sedibus aethereis spiritus iste venit.

- 4 Ciceronem audimus? Iure suo noster ille Ennius *sanctos* appellet *poetas*; quod quasi deorum aliquo dono atque munere commendati nobis esse videantur. Credimus Hieronymo? David Psalterium in morem Horatii et Pindari nunc iambo, nunc Saphico, nunc Alchaico personat. Iosepho et Origeni? Esaias, Salomon et Hiobus hexametris et pentametris in sua lingua (sanctam innuo) Marones, Nasones. O Musica corda! Quot vates, tot dii. Quid Plato (impudicos is eiicit), Aristoteles, Isocrates, Cicero, Quintilianus, oratorum et rhetorum illae Cynosurae, poeticae tribuant, tritum et notum. Magnus Erasmus, quo nil doctius, illam definit: Poetica nihil aliud est, quam ex omnium disciplinarum
- 5 delitiis ac medullis condita placenta. En gustus melioris magirum! Camerarium nostin? Ita vir: De carminum exercitio sic existimandum: neminem posse ullam eruditionis laudem attingere, neque in studiis humanitatis locum tueri ullum, qui non in hoc genere et ipse versatus fuerit.

3 hinc illae lacrumae — Terent. Andr. I, 1, 99 (126) / Sedibus aethereis — Ov. Ars am. III, 550

4 noster ille Ennius — Cic. Pro Arch. 8, 18 / David Psalterium — Hieronymus: Praef. in librum

Iob; Paulino 7 / Esaias, Salomon — Hieronymus: Praef. in librum Iob

5 impudicos eiicit — Plato: Politeia 398a / Poetica nihil aliud — Erasm. ubi?

6 De carminum exercitio — Camerar. ubi?

- 7 Alios taceo. Sanctaque maiestas et erat venerabile nomen poesis, qua cordati, qua magni quondam. Amati: Scipioni Ennius, Alexandro Homerus, Pompeio Theophanes, Augusto Vergilius, Mecoenati Flaccus, Antonino Oppianus.

Vatibus et magnae saepe dabantur opes.

Nec paucos impulit penia. Certe Horatium, ut versus faceret, et cui Deus otia fecit.

Carminibus quaero miserarum oblivio [!] rerum.

Carmine dii superi placantur, carmine manes.

Carmine fit vivax virtus expersque sepulchri.

Carmina quam tribuant, fama perennis erit.

- 8 His ad gnaviter agendum surrexit Hercules, Achilles, Alexander et plures. His traxit Orpheus arbores, placavit ursos, liquefacit cauteis. His pietas, his mores, his virtus, his honestas, his, ut reti, capitur amicitia. Ad gloriam Dei facere, negant fungi theologastrum; ἄμουςοι, Mopsi mentiuntur. Nil sacrum praeter venantur poetae, ut capiant, salivam interdum suaviorem humaniter movent. Delectant, ut prosint iis, a quibus sol non plane aversos iungit equos. Valeant misantropi! Curios illi sanctulos, hypocritae pessimi, simulant. Parietes dealbati. Barba, pallio, non re, non vita sapientes. Tacete, tacete, vos mordacia rostra:

nocet offendisse poetas.

- 9 Parco meis et qui harum Musarum. Increpare mihi licet meritos. Ut in bello cuilibet fas hostium adoriri primatem; sic bonis improbos. Malum virum vel mus mordeat. Haec poetarum criticis aut canibus potius.
- 10 Ad vos redeo, vir illustris, vir nobilis. O sacrosanctae ποῦσεος κοσμήτορε δῶω; quibus hoc iure do, quod Menelaus et Agamemnon audit in Homero. Ornamenta duo, validi Musarum umbones. Vos et vestrum aliquot, ut nostis, tam mihi, quam aliis, ad Musicos illos hortos robustum auxilium. Vobis igitur iure ramenta quaedam et novellas, ut illi, qui rure et ex viridariis redeunt, offero, sacro, dedico.
- 11 Primum, Baro magnifice, tibi tuaeque domui pro multis pauca. Lusus et nugae quasdam canoras a me tuus excepit favor, aes et beneficium. Parens tuus (ah!

┌

7 Antonino Epist. ded. Antonio

7 Scipioni Ennius — Cic. Pro Arch. 9, 22; Ov. Ars am. III, 409—410 / Alexandro Homerus — Cic. Pro Arch. 10, 24 / Pompeio Theophanes — Cic. Pro Arch. 10, 24; Caes. De b.c. III, 18, 3; Tac. Ann. 6, 18 / Augusto Vergilius — Donat.: Vita Verg. IV, 8; VI, 24 / Mecoenati Flaccus — Hor. Sat. I, 6, 49—64; Suetonius: Vita Horatii / Antonino Oppianus — quis? ubi? / Vatibus et magnae — Ov. Ars am. III, 408 / Certe Horatium — Hor. Epist. II, 2, 51—52 / Carminibus quaero — Ov. Trist. V, 7, 67 / Carmine dii — Hor. Epist. II, 1, 138 / Carmine fit — Ov. Ex Ponto IV, 8, 47 / Carmina quam — Ov. Am. I, 10, 62

8 His traxit Orpheus — Ov. Ars am. III, 321—324; Met. XI, 42—49 / salivam movent — Sen. Epist. LXXIX, 6 / Parietes dealbati — Act. Apost. 23, 3 / nocet offendisse poetas — quis? ubi?

9 Malum virum — proverb. v. Margalits

10 Ornamenta duo — Hom. Il. I, 16; III, 236

- nedum heroem satis luximus) quascunque chartulas, a me poetico liquore consputas, toties accepit et ἀντιδόχοις remuneravit, autorculo ad se vocato. Antequam fatale suum decurrendo stadium ad ipsum rediret Iovam, Iovem nostrum, caesarem, in mei gratiam, scripto cygneo valedicens, oravit et exoravit.
- 12 Ceram et laurum meam eidem acceptum fero. Is, Teuffenbachius, Hoffmannus, Orleus, Kaproncius cum quibusdam alis, virtutis ipsius filii, honorem, qui penes magnum et felicem nostrum Rodolphum imperatorem] conciliarunt. Iamne me dignum vel fore, putent, nescio, urgent. Beneficium, fateor, non iacto, Christus novit. Sum impius, magnifice Domine, si non erga te tuosque pius.
- 13 Age vero simul, generose Darholci, Mecoenas optime, qui non tibi quoque prolem istam destinam, immo mancipem? Tecum loquor et in aurem: te nobilium medullam, bonorum Glyceram, asylon et patronum Musarum, coronam virtutis et humanitatis, Delio iudice, cur non vocem? Nec hoc ibo ventilatum, quod purum, putum, clarum. Iam pridem his praeflorasti. Peream, si de te secius. Bilem haec, inquis, praeco, nasutis electant? Quid moramur?
- 14 Ringitur Invidia, boni cum laudantur, et mutua cum virtuti fiunt, Erebi filiae
- 15 magnum est cordolium. Strictim ista, nimirum eo, cur solemnius paullo tuae Dominationi, nobilissime Darholci domuique Forgacianae meas participem Hungaridas. Revorti decet: tu me nec visum, nec auditum, testatur Balogus, amasti; tu mihi regni proceres ampliter, commendando serenasti. Non rumino, quot, quoties oculis et patinae meae solamina dederis. Iam rotam, iam epiphium tuum pressare longe lateque mihi fuit integrum. Nec his ego et sexcentis aliis versicolorum saltem aliquot gratiam regeram? Nolim tam rustice Charitas offendere, quae veri, quae iusti patronae.
- 16 Denique, magnifice re-vera domine Forgacz; nobilissime (iure te sic appello) Darholtzi, vos vos mihi meaeque isti filiae tutores et patronos ex egregio illo grege delego. Suscipitis? Propages Bocatiana sarta tecta; fovetis, defenditis? arcem habet et Semiramidis muros contra suos et genitoris hosteis. Valete, ut possitis, obnixa prece Dominum illum valentissimum, ter Opt[imum], ter Max[imum] vobis coelo deprecam. Dedi Cassoviae Cal[endis] Iulii anno Domini 1599. Magnificentiae et Dominationis vestrae servus

M[agister] Ioan[nes] Bocatius
Poeta L[aureatus] Caesareus,
Scholae Cassoviensis Rector

Magnates et Nobiles Hungariae!

- 17 Vos etiam appello, domini; de titulo sic accipite: decennium adequitat, a quo vestrum hunc Martium primitus iniunctum, re et usu, quam prope credere par fit, maiorem. Hinc tamen repedavi Misis imperantibus Germanum ad Heliconem,

qui iam ante septem messeis, per quas Epperies me tenuit, vobis de factorum
18 auspiciis remisit. Heic, meritone vel garritu poetico, meliorem aliquot aureis
demulsi, inter quas et vestrae, magnifici et nobilissimi domini. Cum vero permulti
vestratium, quasi pro iure, pro vi gerras has meas ex privo meo tecto eriperent,
praedam tali fronte notare visum fuit. Nec autumo res ad pudorem gentis. Sinite,
permittite, ut soboles haec a suis cunis nomen habeat. Non infiteor, vos patrii
caussa.

358 Praga mihi laurum, titulus Viteberga magistri,
Hungaria officium coniugiumque dedit.

19 I. M. [??] lineolam utramque primus duxit. Vestrum igitur favorem cur non
adfectem? Favete, favete porro magnates et nobiles Hungariae. Si quid a me,
vestrum fuit, est, erit.

20 Et tu, lector mi, monita mea

rogo, lege. Prolis istius autor vix annorum triginta. Serius cupis? Ego, crede
iuranti sancte, ambii puer, fateor, thalamum, sed inire tam cito nolui, nisi
coactus. Tu naevis parce. Contraria quae vides arti, indica; statera classem et
21 ordinem examinare si voles, erit forte quod pondo severius corrigat. Interdum
celsior esse potui, nolui. Cur? ut mox intelligerer. Vox una et altera ab aliis variat,
quia verie. Macero quibusdam, macero: mihi non, quia nec Plauto, Terentio,
Horatio. Gratulabundus alicubi exstat, placet, quia primi flexus, sit gesticulator,
22 Italus illi viam trivit. Aliqua vere vacillant? erige, quia primitiae, quia in schola,
quia in et ex Hungaria. Typographum interroga, non fuit vel ad describendos
versiculos laxitas. Δεύτεροι φροντίδες ἀμείβονες et praelum. Bonos poetas nil
formido, sed nec malos. Illi, quod pecco, clementer et amice monstrant, isti quod
non capiunt, carpunt. Vale.

*

In Hungarida M[agistri] Ioannis Bocatii P[oetae] L[aureati] Caesarei —
Franciscus Bornemissa f[ecit] P[osonii] — v. **app. 50.**

*

Aliud — Leonhardus Mokoschinus vice-archidiaconus Ecclesiarum
com[itatus] Liptow[iensis], manu propria — v. **app. 51.**

*

18 pro vi **Epist. ded.** provi / patrii causa **Epist. ded.** patrii causa

Aliud — Matthaëus Zuberus Palatinus, P[oeta] L[aureatus], Illustris et Gen[erosi] Dom[ini] Nicolai Forgacz de Gyms praeceptor, f[ecit] Schemnicii, anno 98 — v. **app. 52.**

*

Aliud — Gr. [?] Sar. [?] — v. **app. 53.**

*

Aliud — Stephanus Peregius, Caes[areus] in Cam[era] Scepusiensi Rationarius — v. **app. 54.**

*

Aliud — v. **app. 55.**

*

In Zoilum — M[agister] Nicolaus Erhardus Dalheimius Pal[atinus], Rect[or] Scholae Bartph[ensis] — v. **app. 56.**

*

Aliud — Ταχυγράφος 7. April[is] Iul. [?] scrib[ebat] Adamus Kunischius, Ludirector Keismarc [kiensis]; fidi amoris et honoris ergo — v. **app. 57.**

*

Aliud — Daniel Franconius Silesius L. [?] Metallicae Tarnovicen[is] Scholae R[ector] — v. **app. 58.**

*

Aliud — Georgius Hoffman Iunior, Pannonius, discipulus — v. **app. 59.**

*

Aliud — Sigismundus de Kapy — v. **app. 60.**

*

Ad quendam Zoilum Bocatii — [Ioannes Balogus] — v. **app. 61.**

*

Aliud eiusdem ad Clariss[imum] M[agistrum] Bocatium Patr[iae], Poet[am]
L[aureatum] C[esareum], Cassoviam proficiscentem — Ioannes Balogus etc. —
v. **app. 62.**

LIBER HUNGARIDOS PRIMUS MARTIALIA VEL BELLICA CONTINENS

Lector Benevole!

- 1 Miraris, credo, cur humeros meos non metiar, et quod poetarum quis Atlas vix auderet, onus viribus impar suscipiam. Quod illud? Martialia. Fateor hoc, sed audi, in tuam dicam id aurem: robustiores me provocabo. Vergilium, Ovidium, Lucanum, Sabinum, Lotichium autumas? Non, cinefacti illi. Maioreis: Melissos, Posthios, Reusneros, Frencelios, Taubmanos? Non, nam etsi Musica illa fulmina, quorum proprium est

Aspera magnanima praelia flare tuba:

- superent, et suos heroas magnifica versus cordatioris luxurie pompaque decantent: huc tamen vel accersiti non migrant, quod inquilinas heic Musas non
2 sic clementer accipi putent. (O quam vere!) Alios eliciam, qui in hac Martiali ora me prius, me melius, me certius hoc grave opus operati, qua prosa, qua ligata,
3 eminus et quasi missilibus hanc aleam iacientem forsam me subsequenter. Tu Lector, opta mecum, et Hoffmannum et Francum exora, ab istis exspecta: quia Cassoviae, hoc est, ubi Bellonae nostrae currus et arma. Interea tu meam audaciam boni consule, quae si felix, a me plura, tui gustus, capies et sapiens. Modo trux haec dea suam pertexat telam, mihi meam, tibi tuam faveat Atropos.
4 Bellatum est hactenus: claro per quem, cur, quibus auxiliis, ubi, quomodo, quando. Video magnum et sacrum caesarem

aere ciere viros Martemque accendere campo.

Deum oro, vincat, vicit: gratulor. Vincitur fato, fortuna, non virtute: lamentor, et superos meliora posco. Video militeis masculos leones: laudo; mollis et ut ille, leporeis galeatos: vitupero. Militiae tuba, domi laus animat: scis hoc, nec negas. Quare perge, perge, non te poenitebit, Lector Benevole.

- 76 Sed tu, livor edax, odio licet ilia rumpas,
Carpere vel noli nostra, vel ede tua.

1 Aspera magnanima — Mart. XI, 3, 8

3 currus et arma — Verg. Aen. I, 16—17

4 aere ciere viros — Verg. Aen. VI, 165

Epistola Amurathis, Turcici Imperatoris,
Rodolpho II missa

Rex ego, Christicolum terror mundique flagellum,
 Sub mea qui populos iura Tyrannus ago.
 Tale Boemorum tibi mitto, Rodolphe, monarcha,
 Qui geris imperio debita scepra meo:
 5 Offerat ipsa suas ultro Germania claves.
 Et sospes dominum me vocet una suum.
 Astra docent et fata iubent? mihi belliger oras
 Teuto suas, ipso Marte volente, dabit.
 Cum tua rexerunt vastum Byzantia mundum,
 10 Tota fuit sceptris debita terra tuis.
 Ex hac iam pepuli defessos Marte Quirites:
 Iure mihi cedant oppida, regna, duces.
 Nostra Palaestinos virtus animosa recessus
 Annumerat Getico (qua mea regna) solo.
 15 Ipse ego Tyrrhenum proscindens navibus aequor
 Hellespontiaci littora claudio sali.
 Nobilis ipsa suo me ditat Achaia tractu:
 Sole coloratus me veneratur Arabs.
 Punica regna mihi, magno dominata Lycurgo,
 20 Se flectunt, et quae cornua Nilus habet.
 Sint mea cuncta, niveis qua Iuppiter afflat in Alpes,
 Carpatus aut altas eiaculatur aquas.
 Danubium de fonte bibam, Rhenique bicornis
 Poclā Borystheniis praebeat ortus equis.
 25 Solus ego totum caesar mihi vendico mundum,
 Aequor ubi pendens lambit et ambit opus.
 Noluit hoc sub pace meum Germania regnum,
 Mox supplex tremulas porriget ipsa manus.
 Iam dudum posui sub acuta falce rebellem,
 30 Hastiger in cuius viscera praedo ruam.
 Tale diu veterum spondent oracula vatū,
 Solus ego pestis totius orbis eam.
 Bellatrix dabit innumeras mihi Thracia vireis:
 Ibo Pheletroniis concomitatus equis.
 35 Christicolās torvo sat anhelat acynace Moschus,
 Et sua vix Parthus condere tela potest.
 Tu modo venturis iam pandito Teutona portas

11 Quirites Hung. Quiritas

12 mihi Hung. mihi

Ora: novum dominum Rhenus et Ister habent.
 Victori, pavidas qui iam moderaris habenas,
 40 Cede Casurgiaca, caesar, ab arce, tuo.
 Me paveant montes et saxa Boëma, priusquam
 Corruat ad vultus Hungara terra meos.
 Vos ego prosternam rabidi de more leonis:
 Saevus et in poenas ingeniosus ero.
 45 Miles agat frameis, et misso saeviat arcu,
 Tangat et exsanguis nulla sagitta locos.
 Cogat adulterio sociatas foedere lecti
 Post opus horrendum vis truculenta mori.
 Tunc Mahometiacas in leges ipse monarcha,
 50 Ne quisquam Christi nomen adoret, agam.
 Reliquias abiens numeroso milite cingam,
 Quando triumphati sic caput orbis ero.
 Quod mihi debetur, tandem per secula triplex
 Unicus hoc mundi rex moderabor opus.

360

Cordata Rodolphi Caesaris responsio

Ille Boëmorum qui fortiter arva tuetur,
 Totius et mundi sceptrum Rodolphus habet.
 Soepe tuos legit per verba minantia fastus:
 Terrarum dominum te fore, falsus ais.
 5 Astra silent: vastum nil ipsa regentia mundum
 Fata canunt: orbis me caput esse volunt.
 Fortia Romulidum servent mihi sceptrum Quirites,
 Donec in hoc pendens aëre mundus erit.
 Tu vires iactes: fera tu sis natus ad arma,
 10 Pacis ego studium, bella perosus, amo.
 Non confido meis opibus, non regia Martis
 Nostra tui vires aequiparare potest.
 Ipse valet Deus omnipotens absque ense superbos
 Debellare, iubens vivere pace viros.
 15 Auxiliatrices cumulet tibi Thracia gentes,
 Quicquid et ad Geticum dat sua regna solum.
 Nostra Trientinas virtus moderabitur Alpes,
 Et saxosa mihi Carpatum ossa ferat.
 Me metuant reges, patulus mihi pareat orbis,
 20 Imperii metas vespere et ortus habent.
 Haec, virtus bonitasque Dei mihi sceptrum dederunt:
 Numine, si qua gero bella, probante, gero.

Non sum, devastans ferus oppida, regna secutus,
 Audacem non me dira libido facit.
 25 Te mera fraus, te proditio, te sola cupido
 Ducit in aeternum bella movere Deum.
 Illyricum rupto turbasti foedere coetum
 Nuper, ubi pugnax arx tibi capta iacet.
 Sciliet hoc fidei decus est, ita foedera servas,
 30 Perfide, quae tecum pacta fuere diu.
 Improbus his animo surgis, plenusque tumore
 Ore pharetrato quod vomis, omne vomis.
 Quin etiam victos nondum canis ante triumphos,
 Ac terrore tuo saxa Boëma premis.
 35 Nostra Boëmorum leo candidus arva tuetur,
 Ille tua dominum clade perire sinat?
 Crede mihi (modo Christicolae te transfer in hostes)
 Ad patrios referes laeta trophaea deos.
 Nobilis exspectat cupidis Germania rebus,
 40 Ac devota tibi nostra Vienna manet.
 Sic, Solymane, tibi supplex prostrata iacebat
 Boemia montosis undique cincta iugis.
 Tristia descendens neu damna pudore tulisti,
 Austria neu caeso causa doloris erat.
 45 Sic quoque tu patrias venies imitatus ut artes,
 Pannonicos flamma depopuleris agros.
 Quid facis Eumenidum proles, quid somnia iactas,
 Non ad Danubii post rediturus aquas.
 Tempus erit, finem nostris dabit una querellis
 50 Hora: Deus tecum fortia bella geret.
 Non hic in armatos quoque vindex arma resumet,
 Vos tamen in Stygias praecipitabit aquas.
 Scilicet hoc veterum spondent oracula vatum,
 Scilicet hoc longum pagina sacra docet.
 55 Cuius adorantes nomen veneramur ad aras,
 Ultima mox vestri meta furoris erit.
 Imperio sine fine mihi, qui servat Olympum,
 Cum dabit omnipotens regna tenere Deus.

361

Poeta ad Germaniam

Cur tua bellatrix patriae, Germania, vires
 Incola diripiens viscera praedo vorat?
 Ipsa tuos cur dilaceras crudeliter artus?

Quod meruit, Geticum transeat hasta latus.
 5 Heu quoties audax nostrum victricibus armis
 Limen inerme modo luniger hostis adit.
 Heu quoties tacito fallax in vincula risu
 Pene suas nobis porrigit ipse manus.
 Cur non, si quid habes inter praecordia Martis,
 10 Virtutis specimen gens animosa facis?
 Semper adhuc bello tu gloria prima fuisti,
 Scilicet hic tellus Hungara testis erit.
 Cur tenor hic versus nunc in fera colla Getarum,
 Cur iam sopitam torpor inermis habet?
 15 Non desunt vires, non desunt arma, sed hostis
 Cur facit attonitos lancea sola viros?
 Surge animis contra tandem, invictissime miles,
 Miles Teutonici, flos generose, soli.
 Surge, graveis etiam pugnax ulciscere casus,
 20 Nostra reposce, rogo, vindice regna manu.
 Bella pares, toti redeant spectacula mundo,
 Marsque semel positae praeferat arma togae.
 Quos causa vincis, vincas felicibus armis:
 Arma vetat nunquam pro pietate Deus.
 25 Eia age, rumpe moras, si iam non viceris hostem,
 Trux Geta perpetua laude superbus erit.

362 Magnifico et Illustri Comiti Ferdinando ab Hardek,
 in Hungaria Superiori Gen[erali] Capit[aneo] bellico,
 Cassovia discedenti

Cur has, magne Baro, cor Martis nobile, terras
 Deseris, et misero deseris hocce statu?
 Thrax equidem gaudet te discedente, sed ora
 Pannonis in lacrimas cogitur ire suas.
 5 Scisne, quod insurgat nos contra luniger hostis?
 Arva Croatiaci scisne iacere soli?
 Scis, credo, quid enim belli dux nesciat ipse,
 Qui scit, ut unguiculos, hostica quaeque suos.
 Tu loca laeta petes, tristi nos orbe relinques,
 10 Iam primum patris te cor habere decet.
 Hactenus exsanguis se Turcus acynace regno
 Continuit, pax heic ut quoque cunque fuit.

1 cor Hung. cur

Iam nova de Scythia Furiis agitatur Erinny,
 Trux venit Hungarico bile Megaera solo.
 15 Heu si contigerit nos bestia tanta, cruore
 Quanto et quam late nostra madescet humus!
 Sicut aper cultis misere grassatur in hortis,
 A radice sua germina quaeque ruit.
 Non secus is castas ferro aras perdet, harasque
 20 Consumet flammis, depopulabit agros!
 Tene sequi et patria nos vis discedere terra?
 Ah, nos turba fugae non satis apta sumus.
 Hunc pater, hunc mater, hunc nati, hunc destinet uxor,
 Cur maneat, causas omnis habere potest.
 25 Pro quibus aut caram vellet profundere vitam,
 Sub duce te tantum publica salva forent.
 Ergo mane, generose Baro, gere mascula contra
 Bella Saracenos, horrida monstra, canes.
 Te nec adhuc praesente suas (modo vita supersit)
 30 Hungariae fractas esse fatebor opes.
 Si bellis aliis moderaberis arma, laboreis
 Non ita succedent forsitan, ergo mane.
 Soepe quis egregium se plus his gessit in oris,
 Non omni quaevis terra favere solet.
 35 Ergo mane, frenare scius bene legibus orbem
 Hunc! Ruit ad nutus quando ita quisque tuos.
 Te moveant gemitus, lamentaque publica, votis
 Annue totius, dux venerande, gregis.
 Eximium decus est miserorum heroa rogatis
 40 Duritiem cordis mitificare sui.
 His etiam extendit tua se celeberrima virtus,
 His etiam aeternum nomen habere potes.
 Ah, video, ah animose Baro, te nemo tenebit,
 Cogaris ante tui caesaris ire thronum.
 45 Iam primum disco, te nobis invidet alter
 Orbis, ad Istricolos hoc capietur iter.
 Non igitur frustra precibus remorabor euntem,
 Sed magis orabo numina, prosper eas.
 Arcanas coeli scrutari nescio vires,
 50 Tu tamen ad fatum forte trahere novum.
 Dii faciant, nostris longe semotus ab oris,
 Non minus imperium nos quoque porro iuves.
 I: tua laurigerae victricia gesta puellae
 Orbe canant toto, te super astra ferant.

Querela Sponsae Christi, Turcis in Croatia furentibus
et multa hominum millia caedentibus, abducentibus, 1592

Sponsa Saracенаe moestos tua proxima terrae
 Hos tibi iam planctus anxia, Christe, fero.
 Illa racemiferis tibi vinea culta figuris
 Corruit, immunda depopulata sue.
 5 Dant lacrymas gemmae, dat plantula laesa dolorem,
 Et gemit eversum tristia fata solum.
 Barbarus incurvo Mahumetus acynace passim
 Inque tuo tinctas sanguine saevit oveis.
 Testantur fuso rorantia prata cruore,
 10 Quaeque iacet nostra falce remessa seges.
 Cernis? at hoc dubitem? quid enim non cerneret ille,
 Qui nostros renes cordis et ima probat?
 Hectora cum tellus alat haec, non Ister Achillem:
 Te praeter victis non feret ullus opem.
 15 Iam quoque perpetuo civilibus ipsa sub armis
 Inclyta belligeri Teutonis ora iacet.
 Hic duo de fidei peragunt certamina rebus:
 Alter in alterius cuspide sceptrum furit.
 Hei nihil est nostro, cum tam sit latus in orbe,
 20 Quam timor et dubii flebile Martis opus!
 Illa dies haec est, quam tu mihi, Sponse, canebas:
 Illa mei reditus nuncia signa feret.
 Nuncia signa ferat reditus: quid gratius optem?
 Vix tueor castum flensque gemensque torum.
 25 En mundi furiunt in me proceresque manusque,
 Et petor immundis vique doloque procis.
 Aspice, si qua meae te tangit cura salutis,
 Si tibi, quid toto fiat in orbe, patet.
 O quam sancta rudes habuerunt secula colonos,
 30 Qui de fronde suas composuere casas!
 Mars nondum genitus fuerat, Bellona columnam
 Nesciit, ac teretem quae super hasta iacet.
 Sed postquam magnae cumularant ossa parentis,
 Et saxis clausos vix habuere Lares:
 35 Hem, non tum lacrymis, non tum caruere timore,
 Frigida mors Martem saepe secuta fuit.
 Quid iuvat ingenti vicis circumdare muro?
 Fortia bellaci castra replere viro?

Cum patimus nostras sopiti scandere turres:
 40 Ducitur e medio praeda cupita toro.
 Fortia nil obstant congesto moenia saxo,
 Quaeque paludosis turris obitur aquis.
 Cura ducum fuerat pia pro fumantibus aris
 Proque focus cupida sumere pila manu.
 45 Impiger Hectoreis meruit qui signa columnis
 Caesar, ab his Turcas victor abegit agris.
 Dat sua terga Getes, nec te quoque viderat hostem
 Carole, sic belli nomine clarus eras.
 Maxime, sanguineo cur, Aemiliane, per undas
 50 Cuspide agit celeres transfugus hostis equos?
 Martia fortis adit cum regis pectore miles,
 Nec retro Scythicus praelia clamor agit.
 Inclyta martigeris virtus heroibus aequat,
 Cui dederat primos rustica mamma cibos.
 55 Cepit aves laqueis Henricus, at expulit Hunnos,
 Post quoque communi nomine caesar erat.
 Qua cadit et surgit sol, stat Germanica virtus:
 Gens se belligeris Hungara iactat avis.
 Turpe quidem fateor, iam nostris caedimur armis,
 60 Et damus hostili colla secanda manu.
 Effuso passim scit sanguine squallidus Ister,
 Qua Geta dat potae nomina Silys aquae.
 Nobile quale fuit, praeclarae tecta Sionis,
 Quod media in cineres hora redegit opus.
 65 Non victor saxis contermina saxa reliquit,
 Atque solum rediit, quod fuit ante solum.
 Tale iacet, noster sudor manuumque labores,
 Iam raptu curvus quod bove vomer arat.
 Floruimus quondam, quod ego non gloriior, armis:
 70 A virtute Dei quod sumus, omne sumus.
 Omnia cum vento mutantur: saepe sub hortis
 Una dedit flores, abstulit una dies.
 Si non lunigero sonipes premeretur ab hoste,
 Omnibus haec rebus turba beata foret.
 75 Christe Deus, iam cernis adhuc ceu gens ea nostras
 Dissipet ac celeri falce cruentet opes.
 Parce, nec extrema stirps a radice revulsa
 Denigret Geticos igne cremata focos.
 Iam satis, illa satis data poena: recondat habenas
 80 Ira, suo cervix non satis apta iugo.
 Ut tua conciliet commotum gratia patrem,
 Pro me iam paucis ora resolve modis.

Non quia te merui, sed quod tu mitis et irae
 Nescius, in fracti cordis anhela Deus.
 85 Nos sumus (heu!) rari sollerti Martis in arte,
 Nec mihi bellatrix diva magistra fuit.
 Si qua parens mediis concepit semen in armis,
 Gradivi suboles fortior egit opus.
 Foemina sum, Volsca de gente ignara Camillae:
 90 Me mea simplicitas, me mea vota iuvant.
 Tu modo, Christe, tuas pro me nunc exsere vireis,
 Te melius viduas nemo tuetur oveis.
 Et soror et coniux tua sum, tua dicar oportet,
 Dum nova perpetui tempora veris agam.
 95 Pelle, benigne, Getas, et in hac fer morte salutem,
 Qui mihi causa tua morte salutis eras.
 Sic te cum luna, sic te cum sole canemus:
 Laude tua prompti vesper et ortus erunt.

364

Hungaria Germaniae salutem

Esse salutatam te vult, Germania, tellus,
 Quae si Marte cadit, tu quoque fracta iaces.
 Auditurne tuis nostri, pigra Teutonis, oris
 Rumor et haec miseri perdita turba soli?
 5 Forsitan arrecta capis aure, nec ulla moveris
 Sorte, meam rursus quae gravis urget humum.
 Ferre potes, rigido quod Pannonis arva tyranno
 Thracidos accedant amplificare plagas?
 Prompta fores utinam misereri, promptus ab Hunnis
 10 Ad te ceu rumor saepe venire solet.
 Pauca querar, non quod sis rerum nescia, sed ne
 Tu de more meam forte querare fidem.
 Ah quid opem missura tuam, vicinia deses,
 In longas differs, tarda patrona, moras?
 15 Nil ad te quasi pertineat defendere terram
 Hungarin, hinc distent quod tua regna procul.
 Si proprius furiat, servatis viribus hostem
 Rursus ad Euxinum pellere Marte velis?
 Scilicet orator non hoc suadebat Athenis,
 20 Hostis Olynthiacos donec haberet agros.
 Quando minas porro Demosthenis ore tonaret,
 Defendi sociam vellet amanter humum.

19 orator non hoc suadebat — Demosth. Olynth. orationes

Posset enim patriis longe semotus ab oris
 Commodius parteis Mars tolerare suas.
 25 Sit Macedo potius tractu prohibendus Olynthi,
 Urbs procul ipsa queat pace Pelasga frui.
 Turba recusavit parere, quid accidit urbi?
 Barbarus est Graia caede potitus humo.
 Pectus habes et scripta, Tuiscone nata propages,
 30 Graecorum exemplo cautior esse velis.
 Si te non pietas, nec honestae gratia famae,
 Nec movet unius relligionis opus.
 Ast perpende, tuis quaenam discrimina terris,
 Me iuga submissa Turcica, nata forent.
 35 Est mea nativo fortis munimine tellus,
 Tot nemorum latebras, tot iuga celsa gero.
 Montibus incingor, fluvii sunt horror ituris,
 Hactenus et nostras palluit hostis aquas.
 Te mera planicies, obstacula nulla coronant,
 40 Sunt passim campi libera rura tui.
 Area quam Geticis misera esses apta molossis,
 Quam cito tam solidos is popularet agros.
 Non est, crede mihi, non est tibi cognitus armis
 Turca ferox! genti bestia nota meae est.
 45 Neu faveo, ipsa truceis misera experiare furores,
 Te sociam tanti nolo videre mali.
 Sat, quod ego pro te Scythico sim praeda latroni,
 Huic dare cogor inops membra voranda lupo.
 Mactor et effusa tepet (heu!) mea sanguine tellus,
 50 Heu! cruor in rubeis flumina spumat agris.
 Pro, sceleratus opes congestas tempore longo
 Praedo rapit, miseròs devorat igne Lares.
 Infanteis, pueros necat, imbelleisque puellas,
 Sors ea decrepitos diruit ense choros.
 55 Sub iuga servitum trahitur pars relliqua, loris
 Acta, prope et celereis cogitur ire rotas.
 Nos profugas late plebecula linquimus aedes,
 Degitur in trucibus vita misella locis.
 Sylva capit bello flagrante, vel antra ferarum
 60 Incolo, dant tenebrae lustraque caeca domos.
 Scilicet haec animo si tu perpendere nolis,
 Nonne, precor, mecum, Teutonis ora iaces?
 Si quid adhuc superest tibi mentis, et ardua gens es
 Consilio, populis prospice, quaeso, tuis.
 65 Ante tuas mala quanta fores nisi cernis, et hostem
 Provida non prohibes, iuro, peribis humus.

Non mea te moveant, exempla tot adspice, plureis
 Turca sibi terras hac ratione gerit.
 Sancta Palestinae, testantur, Achaia, Persis,
 70 Troia, gravis reliquas commemorare mora est.
 Imploravit opem Germanam saepe Propontis,
 Ut Byzantinas illa iuvaret aquas.
 Si non Christigenis misere deserta fuisset,
 Haud puto, vicisses, tu Solimane, Rhodon.
 75 Surge igitur, tellus Germanica, surge, nec ipsos
 Differ agros presset Thrax male mole tuos.
 Respice me, propter superos et vulnera Christi,
 Oro, mihi socias, regio, iunge manus.
 Et poteris, satis ipsa tui sum conscia Martis,
 80 Quam valeas armis, robore, corde, scio.
 Linque parum tua bella domestica, turpe fideleis
 Inter se frustra belligerare viros.
 Nulla salus Furiis unquam civilibus, hostis
 Utiliter patriis pellitur exter agris.
 85 Si me defendis, validis si Pannonas armis
 Protegis, ipsa tuas asseris hisce domos.
 Quam, regina, tibi post inclita gloria surget,
 Hostibus ut quondam causa timoris eris.
 Cura tuae late virtutis perstrepet, omneis
 90 In mundi bello clara vehere plagas.
 Relligio partis gratulabitur ipsa triumphis,
 Prospera te porro sceptrum tenere volet.
 Eia viros viresque tuas, Germanis, amicae
 Mitte, precor, Martis filia, mitte precor.

365

Agmen Turcicum hyeme in lacu quodam submersum

Fata per aequoreos feralia condere bustis
 Carmine fert animus tumulos et triste virorum
 Diluvium, horrendasque minas superumque marisque.
 Musa fave: vobis mihi nil sine tale canenti
 5 Dextrum cedit opus, neu me ausim credere vento,
 Qua se dura Thetys monstrat, cum navita tutus
 Se sperat penetrare sinus, furit ima Charybdis.
 Iam canimus, per bella ducum, non ultima Martis
 Pectora: me reboare tuba, diva alta, Maronis
 10 Grande opus edoceas, mea quae spectacula poscunt.
 Qua saevi accensus diro Mavortis ab aestu

Aeternum Mahometa ferox bacchatur in Hunnos,
 Iuppiter albenteis nimum volvebat arenas.
 Danubiusque, Savusque, Vagusque augmenta carinis,
 15 Et quae praeterea Geticas spatia per oras
 Flumina, nymbose vellus patiuntur ab Arcto,
 Hunnorum haec vastare sinus et tecta colonis
 Vulcano miscere iubent, aditusque ministrant
 Per vada squammigeri coetus amnesque profundos,
 20 Dives aquis Geticas qua Ister dominatur in undas,
 Respuit os Latium, quem tergo allabitur amnis,
 Adque duos bombardae ictus huic ostia pandit,
 Post geminos miscent nullo discrimine fluctus.
 Hic ubi rura colunt ingentia vere colonum
 25 Tuta cohors, Scythico bruma vexantur ab hoste.
 Huc quoque delatos tacita sub nocte propinquum
 Tercentum, clypeata phalanx, ducebat equestreis.
 Nox post terga manus somno vincire sepultos
 Suadet, opesque hominum pecus a praesepibus actum.
 30 Iamque amnes praebere vias aditusque patenteis,
 Postquam adiere rati, monstrare peculia campos.
 Exploratores primo mittuntur ad alta
 Littora, qui referant tantam conscendere molem
 An patiatur opus concretum, extrema laboris.
 35 Progressi ad lapidis iactum responsa ferentes
 His redeunt: iter emensi tutumque putamus.
 Vos modo ne, socii, celeres vasto ordine gressus
 Maturate, fores ne pandat rima fatiscens,
 Iratusque voret, quo pressus pondere gurges.
 40 Talia suadentes, ceu longo fune ligati,
 Succedunt, pariterque operi incumbuntque petuntque,
 Quo se pandit iter, longo per compita tractu.
 Strimonias sic saepe grues vestigia regis
 Vidi observanteis, quater alta per aëra pennas.
 45 Interea mare calcatur, mediumque tenetur.
 Ecce ruit pronus princeps nutansque molossus
 Fit pedibus minor: hic clamans sic ora resolvit:
 State viri, lethum haeret aquis, succedite retro.
 Haec neque plura loqui auditus, fragor occupat auras.
 50 Consurgunt sonitus spumis crescentibus albis,
 Quales cum canibus frondosa per arva fugati
 Anserum, aquas pennis notas petiere, cohortes.
 Rursus it in veteris moles revoluta figuras,

43 Strimonias grues Verg. Georg. I, 120; Aen. X, 265

55 Rupto inter sese pugnantes flamine mensas
 Volvit: eques per equos raro aëre saltat anhelus,
 Sed picti apparent clypei incurvataque lunae
 Cornua, quae rabies malesana ad littora iactat.
 Proxima tum monitis urbs tanti conscia casus
 Ducentes gratum extemplo vocat aere soporem.
 60 Iamque ter auroram cantu praedixerat ales,
 Paulatimque polo Titan alta astra fugarat,
 Cum delecta virum longo se corpora Marte
 Urbe movent, thalamisque citi vestigia linquunt,
 Diluvium moniti laeto spectare triumpho.
 65 Deveniunt loca, qua Stygiae se tristic Erinnyes
 Monstraret facies per fata suprema virorum.
 Caeduntur sylvae: convexo pondere moles
 Ingens exstruitur, ratibus se condere pontes
 Incipiunt, redit ipse Tiphys vectare carinas.
 70 Fas natitare rates, ferit indignata securis,
 Tacta adamante, docet curvata harpago latebras,
 Per luteos serpit tractus, fundo extrahitur vi
 Dens quidcunque tenax semel arripit, ille retentus
 Ore, ille ex panno, guttis stillantibus aurae
 75 Reditur, obscoenum monstrum ac informe cadaver.
 Caetera secretis norunt vaga flumina fundis.
 Hi laeti ad dulces remeant sine Marte penates,
 Inque manus praeda oblata super hoste resultant.
 Sic, o sic post deludas, Pater optime, rerum
 80 Quos crudele iuvat, per inania bella, Gradivi
 Ire opus innocuasque ciere ad praelia turmas,
 Quae tibi se soli sacras devovit ad aras,
 Gens immota manet, seu horrendum accendere Martem
 Ante fores struat, affixis de cardine peilis,
 85 Impius, aut laqueos obscura ad limina ponat.
 Te duce, spes hominum, tantos contemnere motus
 Audemus: tua per munimina suffice vires,
 Qui firma tibi se coniuravere cathena.
 Neve his, neu superis, tua laus cessabit in oris.

73 Dens Hung. Deus

60 ter auroram cantu praedixerat — cf. Matth. 26, 34; Ioan. 13, 38

Ad Generosum et Egregium Heroem ac Dominum
Ioannem Isdencium, Hungaricae Militiae Iaurini Praefectum

Heros clare sago, timor hosticus, optime praeses,
 Cuius ad imperium Mars citus arma rapit.
 Si memor es (quod eras) etiamnum forte Bocati,
 Qui cor Hedervarii struxerat arte tui.
 5 Heic Ostrositicae qua labitur arcis ad albae
 Littora praepoperi nobilis unda Vagi.
 Huc ex Teutonicis iterum sese attulit oris,
 Egregium vestrae visat ut arcis opus.
 Ut si Turca (Deus quod clemens differat annis
 10 Aeternis) bello sterneret hancce suo.
 Nota et visa tamen succurrat imago reverso
 In patriam, hinc nobis quae procul ora iacet.
 Ille idem heic etiam tibi se commendat et orat,
 Sis placidus Musis fautor, ut ante, suis.
 15 Sic cum fratre tibi Bellona sit aequa, triumphos,
 Sic tibi magnificos cedat ab hoste Deus.

Iaurini 1592

Iaurinum

Arx ego Iaurini certare potentibus ausim
 Moenibus haud solum, splendida Roma, tuis,
 Sed Babyloiacis etiam nil robore muris
 Cessero per firmae tecta superba domus.
 5 Fortia per structi tot propugnacula saxi,
 Per validas turreis, grande laboris opus.
 Per tot belligeri fortissima pectora Martis,
 Per tormenta, per et dura tot arma virum.
 Fabrica totius fors ergo Daedala mundi
 10 Dicar Christigenis, qua iacet orbis honor.
 Quae natura loci? crudelibus aspera Turcis
 Area, quam geminis flumen oberrat aquis?
 Danubii vel sola potest Arabonis et unda
 Reddere securam nocte dieve Getes.
 15 Me colit egregio de stemmate plurimus heros,

tit. Egregium Hung. Egreum

4 firmae Hung. firmae

Troianus mereor dicier alter equus.
 Ventum est ad pugnas, crudelia praelia belli,
 Quam meus hinc miles clara trophaea refert.
 Classica dira fremunt, se quilibet ocyus aufert,
 20 Magnanimusque suos protinus urget equos.
 Formidanda feris ego si non Thracibus essem,
 Austrias heu misere quam cito praeda foret.
 Romani imperii sum porta, nec ora pavescat
 Teutonis, Euxinos me superante caneis.
 25 His donec felix et sospes honoribus utar,
 Turcae exosa licet, pace fruetur humus.
 Sed quoniam instabilis res est, quantumque paravit
 Fabra hominum summa dexteritate manus.
 Me commendo tibi, Deus o ter maxime, dextra
 30 Meque meosque tua post tueare, precor.
 Moenia nil prosunt, nil propugnacula, nil et
 Turmae armatorum, millia multa iuvant.
 Tu nisi sis arcis praeses, fiducia, custos,
 Maxime, tu, quaeso, me tueare Deus.

368

Ab Deum sub adventum in Hungariam superiorem
 Magnifici et Illustris Domini,
 D[omini] Christophori Teuffenbachi,
 Liberi Baronis etc., Capitanei supremi bellici

Maxime rex regum, cui parent omnia soli
 Regna soli, unda sali, lucida templa poli.
 Celse potensque Deus, cui porro Ecclesia curae est,
 Dum, residens coelo, sufficis orbe deos.
 5 Quodque tibi acceptum ferimus, qua Pannonas agros
 Hos colimus, miseras respicis usque plagas.
 Martia, qui teneant, das scepra: potentibus armis
 Imperitent magna dexteritate viros.
 Ne fera barbarici nos occupet ira tyranni:
 10 Laudibus heic etiam fumet acerra tuis.
 Qua rursus bonitate beas, Pater optime, terrae
 Quod mittis nostrae Martis ad arva ducem.
 Quo belli potior studiis, cordatior heros
 Quo non est alter natus ad arma senex.
 15 Illius est satis ante fides perspecta per arceis,
 Quotquot habet contra Turcica monstra solum.

Qualis erat Iosue, qualis Macabaeus et ipse,
Talis et hic noster praeses in orbe fuit.
Nunc aetate gravis, longo prudentior usu,
20 Quo nos consilio iudiciove reget.
Gratia, magne Deus, tibi maxima gratia, tanto
Nos duce quod rursus, pro bonitate, beas.
Sed quia te sine tantarum moderamina rerum
Nemo capit felix hoc grave Martis onus:
25 Illius ipse potens armes in praelia dextram,
Pro te proque tuis prospera scepra gerat.

369 Solimano, Imperatori quondam Turcico, de Vienna

Regia seu coeli (quod ego non arbitror) orco,
Seu te (quod credo) Tartarus ater habet.
Vivit adhuc, Solimane, tuus dolor. Ecquid acerbat
Cor tibi vel merso funere nostra salus?
5 Est segura Vienna tui, segura tuorum,
Et segura suo numine semper erit.

370 In Tartaros, anno 1566 non procul a Cassovia die vaganteis

Terram quid, o quid, gens boreetiden
Linquis? sali nigri per aquas procul
Huc navigasti, saxipes et
Culmina montibus in praealtis
5 Tam praepotenti robore patriae
Hos ingredi quis iussit agros virum,
Qua innoxias urbeis sequestrant
Legitimumque ducem coronant.
10 Quisnam egit huc te, praeter Erinnyes?
Quisnam, nigros praeter cacodaemonas?
Hi sunt tui calcar furoris,
His tua praelia mancipatur.

17 Qualis erat Iosue, qualis Macabaeus — Ex. 17, 14; 1Mach. 2, 66

Cassoviae te fortia nobilis,
 Tam dirum, atrocem moenia respuunt;
 15 Neu coelitum suadet voluntas,
 Caesaris hanc dare Ferdinandi

Urbem, per oras has bene principem,
 Cui laudis haec est semper adorea,
 Ut Christiani nominis rex
 20 Urbe decus sibi servet ista.

Heic arma, currus heic quia Martios,
 Contra Getas contra quoque Tartaros
 Adservat et prolem tremendam,
 Coeruleis gravidam catervis.

25 Qua tu morarum desine inanium!
 Nil proficis, nil Marte tuo facis,
 Iam Tartaras oras vicissim
 Ire velis, furiale monstrum.

371

TURCA

	T	hrax canis, horrendum quo nil mage maximo in orbe es	T
	U	ngarico toties trux bestia sanguine tract	U
	R	omani imperii flagrum! lacruma unica, moero	R
	C	hristicolum, crux peccati, cura anxia done	C
5	A	spera praetereant, redeant felicia secl	A

372

Hungarici proceres ad Caesarem et Regem suum
 Rodolphum II etc. pro sibi misso Generali belli capitaneo,
 Domino Christophoro Teuffenbachio, gratias agunt

Optime rex! patriae pater! augustissime caesar!
 Cuius ab arbitrio pendula turba sumus.
 Quas tua non virtus igitur meret inclita grateis,
 De duce quod nostro prospicis ipse solo?
 5 De duce praestanti studio Mavortis et artis,

21 Heic arma, currus — Verg. Aen. I, 16—17

1 patriae pater — Cic, Pro Sest. 57, 121; Pro Rab. perd. 10, 27; Ov. Fasti II, 127 Iuv. VIII, 244; Mart. Spect. 3, 12; Petr. 60

Consilio, ingenio, stemmate, corde, fide.
Bellica iam cuius sollertia splendida terris
Est nostris, cuius gloria nota prius.
Sacmaris atque aliae passim testantur id arces,
10 Qualem se nostro gesserit orbe virum.
Fortia gesta manent, veterisque stat ardua saeculi
Gratia rectoris prisca per arma sui.
Par huic nemo fuit cordati a tempore Swendi,
Martius armorum qui quoque rector erat.
15 Successu felix, animis praeclarus, in armis
Teuffenbachiacus multa peregit honos.
Sed fandi quoniam ore gravis virtute valebat,
Ardua per talem res peregre acta fuit.
In rigidae dominam tunc missus Thracidos urbem
20 A patre legatus, dive Rodulphe, tuo est.
Qualiter heic vestri tractarit commoda regni,
Nobiscum, caesar maxime, scire potes.
Qualiter inde redux, Romanas iuverit oras,
Si qua domi fuerant aut peragenda foris.
25 Clarius est solis face, toto notius orbe,
Res quam praeclaras nos repetamus heri.
Ergo gubernandos quod eidem rursus equestreis,
Inclite rex, tradis nos, tua membra, viro:
Gratius Hungaricis certe nil accidit oris,
30 Terra bonum hoc nullum maius habere potest.
Nemo seni fasceis hos invidet, omnis honorat,
Ardet, et ex animo gestat habere ducem.
Quas tibi propterea debet respublica grateis,
Auspice quo Iosua nostra habet ora suum.
35 Sceptra ducis prompti venerabimur, ocyus omnes,
Quod volet, extemplo perficiemus opus.
Vox erit oraclum poscentis, in arma ruemus
Protenus, et subitam quisque feremus opem.
Omnia sunt: isto sub principe bella geremus
40 Prospera! iam tristes cernimus esse Getas.
Iam recipi tot propugnacla videmus et arceis,
Et quos ereptos Turcus arabat agros.
Salve magne Senex, magno cum caesare salve,
Mascula queis virtus iam sua sarta parat.
45 Pergite nos, vestros defendere iugiter armis,
Omnia sub vobis nostra duobus erunt.

De hasta cruentata a Bertal Bassa Agriae missa
anno Domini 1566

Tempore quo nostras intraret Swendius oras,
Swendius armorum gloria, Martis honos.
Ut per eum caderet discordia nata duobus
Regibus ob sceptrum, Pannonia terra, tuum.
5 Germano procereis dum regi pacat et arceis
Eripit, alterius quae modo partis erant.
Turca ferox Agriae bella, horrida bella minatur,
Arx sibi quo cedat deditione, furit.
Praecipue validus dux ipse, Magocius heros,
10 Poscitur, ac duri caetera membra sagi.
Ni faciant, eversurum se glandibus arcem,
Aerea quas nitri pulvere canna iacit.
Perque cruentatam rem protenus indicat hastam,
Asserat ut vitam miles et arcis opus.
15 Agria sed frustra tentatur, et arma Tomitis
Obiicit, hostileis temnere gnara minas.
Gratia sit superis, quod adhuc nos illa tuetur,
Protegit et nostros auget et usque Lareis.
Arcibus ergo licet furiat feriatque potestas,
20 Adservante Deo, nulla nocere potest.
Est Deus orandus, ne tandem ea saeviat hasta,
Saepe ruina quidem sera, sed ampla venit.

Optio pro Illustri et Cordatissimo Heroë ac Domino,
D[omino] Christophoro Teuffenbachio,
Libero Barone, prorege Hungariae

Sic te ipse omnipotens pater,
Sic te filius et spiritus optimus
Bellorumque regat Deus
Victis hostibus ut Martis adoream.
5 Reddant incolumem solo,
Et servent animam, Nestor ut inclitus
Longum robur et aes triplex
Circa cor habeas, ut querimoniam
Porro Christiadum trucem,

1—12 Sic te omnia perpeti — cf. Hor. Carm. I, 3, 1—25

10 Turcam cuspide sternere barbarum
 Hector sustineas, bonus
 Pro Christo et patria heu omnia perpeti,
 Dum mortalibus erutum
 Te coeli Hercules parte labor beet.
 15 Teuffenbachiacae domus
 Heros floride, gloria palmaque.

375 Doctiss[imo] et Opt[imo] Iuveni Marco Schwagero Misnico

Huc etiam tu, Marce, venis, Misneidos oras
 Propter et ob patriam vertere visne solum?
 Iure facis, laudo, mores imitaris eorum,
 Qui a longe extinguunt omnirenum ignis opus.
 5 Mulciber iste Lareis quum nostros proximus ardet,
 Res agitur vestri, Marce Schwagero, soli.

376 De disciplina militari ad milites improbos

Quid laetare, scelus, Christiani dedecus orbis,
 Fax hominum, profugus, fur, latro, adulter iners?
 An quia Romani iam caesaris arma secutus
 Impia militiae sis quoque massa piae.
 5 Heic impune queas genio indulgere maligno?
 Falleris! haud furtis Mars favet iste tuis.
 Carpe pyrum, invito domino, arbore rursus eadem
 Tu pendes, hominem percute, rursus obis.
 Scilicet est bello tam certum rete malorum,
 10 Ut ruat in casseis bestia quaeque suos.

377 Hussari

Tecta ferae exsuviis et pelle Libystidos haec est
 Quaenam turma? Scytas nonne ea forma decet?
 Sic ego! respondit Bellona! enixa iuventam
 Ipsa parens hanc sum, laus mihi prole mea est.
 5 Sunt animae horrendae: furiata corus hic hasta

5 Mulciber iste . . . proximus ardet — cf. Verg. Aen. II, 311—312
 1 ferae pelle Libystidos — Verg. Aen. V, 37; VIII, 368

Trux ab equo Thracas praecipitare solet.
Gloria et Hungaricis oblectamenta dynastis,
Post etiam, hussaridae, promptius este viri.
Militiae decet ira truceis imitata furoreis,
10 Horrida plus armis pectora saepe nocent.

378

Praelium Turcicorum puerorum
Albae Regali iussu Beglerbegi Graeciae fustibus commissum.
Ad Illustrem, Magnificum et felicissimum Heroem ac Dominum
D[ominum] Christophorum Teuffenbachium, Liberum Baronem

Audi, magne Baro, quae risu ac digna relatu
Scribitur a nostris res agitata Getis.
Terror es Albanis regalibus! illius arcis
Turca Saracenos qui moderatur agros,
5 Ludicra per pueros ex Marte pericula fecit,
Disceret ut sortem ficta per arma suam.
Sexcentos legit duodeno, aut circiter, anno,
Qui facerent numero praelia fuste pari.
Altera pars bello moreis imitata patritos,
10 Altera Christicolis aemula signa gerit.
Congreditur clamore gravis bilem utraque proles
Fictitiam, hinc ambo classica dira fremunt.
Poscitur heic nostri ter clare nomen Iesu,
Sed ter ibi Stentor barbarus Halla boat.
15 Fuste caput fervente dolant satis acriter udum
Sanguine: nec fictis amplius arma rotant.
Seria iam gliscunt, superare laborat uterque
Mars, agit in vero protenus hoste furor.
Anceps pugna diu, Christianis hostibus impar
20 Denique succumbit lunigera illa cohors.
Pellitur a statione domumque recurrere frustra
Tentat, et a reliquis vulnera nulla capit.
Saeva per armatos discordia cessat alumnos
Milite crudeleis vix dirimente manus.
25 Sic ista in lacrumas abeunt tentamina largas,
Matres natorum fata cruenta gemunt.
Cum grege rex omen formidat, et arma futura
Hoc anno credunt perniciose suis.
Praelia Christicolis iterum felicia spondent,

18 protenus Hung. potenus

30 Tali quod rerum schemate nosse queant.
O Teuffenbachi! nostri spes unica Martis,
Tu rogo per taleis ipse notare vices.
Alma Trias faxit, duce te prudente vicissim
Amplificent nostrum laeta trophaea solum.

379 De Fileco per Illustrem et Cordatissimum Heroem
D[ominum] Christophorum Teuffenbach, Hungariae reddito

Quod felix nostris fortunatumque sit Hunnis:
Tandem (summa Deo laus) propugnacula durae
Diruta Sabbatsae fumant, arxque alta Fileci
Iam supplex tremulam porrexit dedita pacem.
5 Examinata metu procul oppida caetera migrant,
Adventusque Senis formidant proxima Paesto,
Buda potens et Danubius felicia sentit
Praelia Christiadam, Germanorum arma virorum
Extimet arx frustra ante annum oppugnata Strigoni
10 Millia multa Istri, rapide comitantibus undis,
Diffugiunt. Graecas late timor occupat oras.
Efficere una potest tantum expugnatio felix.
Omnipotens, regni Deus arbiter unice! vireis
Suffice post illi heroi, sapientia cuius
15 Iam per lunigeras se differt notior oras.

380 De suspenso in castris nobili fure

Qui gravis ut princeps here maiestate verendus
Inter honoratos ibat ubique viros:
Ecce hodie cruce suspensus quam turpiter idem
Nunc coelum ac terram pensilis inter agit.
5 Discite iustitiam reliqui, neu spernite legeis,
Nec magnis bello furibus esse licet.

31 Teuffenbachi **Hung.** Tenffenbachi

5 Discite iustitiam — Verg. Aen. VI, 620

381

Viro Reverendo et Doctiss[imo]
D[omino] M[agistro] Samueli Sautero, Pastori Epperiessino

Exhibet hoc nostrae praesens spectacula publi
Tempus, et a gallis bella quotannis habet.
Ut cernat, sit quanta ipsis sollertia brutis,
Discat et exemplo laudis amore regi.
5 Ergo docebo meos pro tempore pauca vicissim,
Ales et aurorae nuntia doctor erit.
Committent pueri gallos de more vetusto,
Et schola sanguineum cras mea cernet opus.
Si bellum spectare cupis, sique otia suadent,
10 Tu iudex Martis crastinus esto mei.
Sol medius coelo primam cum fecerit horam,
Arma armis, castris castra parabo suis.
Te decet aspicere haec, reverende vir, ipse senatus
Vult operas nostrae te quoque scire scholae.

382

Slesiaci milites

Slesia quos genuit, sat idonea pectora Marti
Sufficit, hac tellus Hungara testis erit.
Praecipue qua turma sedet generosa caballis,
Non homineis murum Turca sed ipse vocat.
5 Assere te laudesque tuas, gens inclita, porro
Muri more hostem patriae amore feras.

383

Estote contenti stipendiis vestris
Luc[as] 3

Heus, heus, turba rapax et avari gloria Martis,
Illicitas quid quaeris opeis? stipendia caesar
Quum solvat. Defendendos cur more raponum
Latronumque, prophana cohors, has Pannonis urbeis
5 Et pagos spoliare venis? Te castra secutum
Si qua fides pietasque tenet, contentus in armis
Accipe, miles atrox, quod menstrua caesaris arca
Porrigit, ad luxum neu posthac utere nummis.

Non tua sparta Deo gravis est, solum ense tueri
10 Disce tuos, non incursare! Nec arma beatis
Officiunt pia, iusta, decencia; caetera damnant.

384 De Lazaro Swendio, Capiteo olim in Hungaria bellico.
Ad Generosum et Egregium Dominum Valentinum Usz

Militiae superis labor est heroibus, intra
Vincula concordiae lege tenere suos.
Qua non est pallor, nec honos: reverentia friget,
Nemo ducem curat, propria quisque ferit.
5 Ergo ducem miratur adhuc haec Lazaron ora,
Quem de Swendiaca claret origo domo.
Hunc proceres tremuere soli, quasi cerva leonem,
Neu sic agna solet forte pavere lupum.
Scilicet is norat vir: debellare superbos,
10 Effera militiae corda domare suae.
Non minus, ut vileis lixas miserosque caloneis,
Illius egregios sustulit ira viros.
Crux pro nobilibus cum semper aperta colonum
Ceum pro subiecta rusticitate foret.
15 Efferus haud quisquam se contra impune ferebat:
In cruce magnificum saepe pependit onus.
Nonne putas, Uszi, belli si Swendius armis
Nunc ista rursus praeficeretur humo.
Caesaris edicto magis grex pareret, in alta
20 Ni fieri vellet littera longa trabe.

385 In horrendas militum execrationes

Cur ita salvifico facis o nova vulnera Christo,
Gens, quae de Christo nomen habere cupis?
Non mirum est, tellus tibi mox quin ima dehiscat,
Fulmine et in Stygias mox adigere plagas.
5 Turca suo nunquam, sed tu convivia semper
Ipsa tuo facis, heu bestia cruda, Deo.
Caesar et imperii reges prohibete, profecto
Hoc unum perdet nostraque nosque scelus.

9 debellare superbos — Verg. Aen. VI, 853
20 littera longa — cf. Plaut. Aul. 38—39

Quinque hussari fugant et caedunt centum Turcas.
 Ad Illustrem et Magnificum Dominum
 Dominum Simonem Forgacz, L[iberum] B[aronem]

Clare comes, si cura sinit gravis, accipe, vates
 Dulce tibi forsann commemorabo recens.
 Scripsit heri quidam Cassovidos urbis amicus,
 Acciderit paucos forte quid ante dies.
 5 Dux Agriae Praepostvarius legavit equestreis
 Hussarici iuveneis pectora quinque chori.
 Rustica iuratos illi qua pendere census
 Turba solet, binos quae veneratur heros.
 Heic ubi sistuntur, se centum augusta per arva
 10 Obvia Turcarum bellica corda ferunt.
 Territa per quinos proles Meseecia vertit
 Terga, retro plureis Pannonas esse rata.
 Hungarus insequitur, trux quattuor ense trucidat,
 Atque unus vivum dulce refertur onus.
 15 Victorique simul vexillum cedit habendum
 Agriaco munus gratius aere duci.
 Mascula sic virtus numerum nil curat et audax
 Gloria belligeros saepe iuvare solet.
 Censuram tamen oro tuam, Marte inclite magnas:
 20 Nam quivis melior censor in arte sua est.

De legatione Illustrissimi Transylvaniae Principis
 D[omini] Sigismundi Bathori etc.
 ad Caes[arem] Rom[anum] Rodolph[um] II

Quos praeter morem, quosnam hac, precor, urbe togatos,
 Si tamen est recte cernere, cerno viros?
 Hungara vox equidem, sed ritu Pannonas omneis
 Haud referent nostros, quos tamen esse rear?
 5 Credere nec possum, tellure Polonide missos,
 Ex manicis nosci Sarmata quisque potest.
 Turcigenasne putem? non sic. Meseecia proles
 Rasa caput penitus sindone tecta gerit.
 Sunt Hunni, sermo docet, arvis forte remotis
 10 Ad notos faciunt, principis instar, iter.
 Heus puer, Hungaricine satus vos? unde profecti?
 Tempore cur isto? qui via? quaeso, refer.

Quis cygnus iste gerit niveas qui tempora plumas,
 Cui gravitas oculis emicat, ore lepos.
 15 Nec dubito, doctrina viro est, et plurima rerum
 Cognitio gravium: fascibus altus honos.
 Alloquar ipse, meis poteritne vacare Camoenis?
 Alloquar, huc vultus dirigit usque suos.
 Salve, magne Senex, nostras qui diceris oras
 20 A Transylvani principis ire throno.
 Quonam te vates excepero more? quibusnam
 Versibus illustrem te celebraro meis?
 Fas erat, huc omneis Helicone venire patronos,
 Fas erat, huc doctas appropere deas.
 25 Ardua, cur venias brumali flore profectus,
 Causa facit, nec nos forte latere potest.
 Coniicio, divine senex a principe missus
 Hinc procul Ausonios praepes adibis agros.
 Sunt commissa tuae peragenda negotia curae
 30 Ardua, Romanus rex ubi scepra gerit.
 Nempe Casurgiaden recta properabis ad urbem,
 Imperii fasceis ante disertus eris.
 Caesaris heic vultus scripto exhilarabis honesto,
 Cui robur mira dexteritate dabis.
 35 Maxime Caesar, ave! Rex maiestate verendus!
 Unica Christigenum gloria, cura, salus.
 Qui terram ditioe tenet de monte vocatam
 Septeno, rerum te dominum esse cupit.
 Gratatur vestris ex corde potentibus agris,
 40 Virtuti et sorti laeta trophaea tuae.
 Quodque Saracena moveas felicia turbae
 Bella, Deo grateis laetior ipse canit.
 Dent superi tantis posthac respondeat ausis
 Successus, vestros Marte iuvante viros.
 45 Te rogat, immo monet, sacra per communia, bellum
 Tam sanctum porro continuare velis.
 Nil poterit nostris contingere dulcius oris,
 Nil Transilvano gratius orbe fuit.
 Scilicet hoc unum ferventibus omnia votis
 50 Agmina cum Domino iam voluere suo.
 Dacia laetatur, Moldavia tota triumphat,
 Bulgaris exsultat, Doridos ora gemit.
 Contra Thraca simul vagina diripit ensem,
 Nauseat et solitum ferre recusat onus.
 55 Quod pietas etiam suadet, quae fortiter hosteis
 Contra pro sociis induit arma suis.

Hoc dictamen habe, te belligerante per Hunnos,
 Iazyges Euxinos Marte sequentur agros.
 Nesteridos fluvios nigrasque Propontidas undas
 60 Egregius turmis noster adibit herus.
 Integer est annis iuvenilibus, arma capessit
 Strenuus, ingenio consilioque potens.
 Fortis et ad duri quasi natus praelia Martis,
 Promittit nostro plurima gesta solo.
 65 Addo, suam defert operam tibi, maxime Caesar,
 Militiae consors percipit esse tuae.
 Nec vult tam pravo posthac servire tyranno,
 Pro te proque tuis omnia ferre studet.
 Praeterea, quo certa fides, tua foedera poscit,
 70 Ut post se stabili tuque favore iuves.
 Legitimos ex stirpe tua meditatur amoreis,
 Et generis sponsam gaudet habere tui.
 Quam si, dante Deo, vestrisque, quod orat, amicis
 Auspiciis, patriae ducere posset humo.
 75 Quanam te coleret pietate fideque? quibusnam
 Pannonas auxiliis ipse iuvaret agros?
 Annue, sic nobis in foedera certa coibunt
 Arma, duplex regnum consociabit opem.
 Sic vireis iuncti pars utraque Martis habebit,
 80 Ut melius belli sustineatur opus.
 Sunt animi nostro, sunt arma virique dynastae,
 Munita est genii terra favore sui.
 Principis ergo preceis tanti ne despice, princeps,
 Utiliter domino iunctior esto meo.
 85 Sic tua supremus felicitet arma monarches,
 Sic possis urbeis amplificare tuas.
 Cerno, Dei prompto duplicis nos gratia vultu
 Respicit, iste soli numen at ille poli.
 Haec tu Baczkaides, vir maxime, caesaris ante
 90 Ora, nisi fallor, dicta severa dabis.
 Nec dubito, responsa feres gratissima, voti
 Ut fieri possit patria compos humus.
 I, precor, i felix, magni cura unica belli!
 Iam te responsum cerno referre bonum.
 95 Iam cerno, imperii te concio tollit Olympo,
 Iam te felicem cerno redire domum.
 Celse Deus, regum rex optime, maxime! coeptis
 His ades, in laudeis cedat ut omne tuas.

*

Celadon. Ecloga nomine mei Soceri Ioannis Belsii, nuper pie defuncti, scripta ad Caesarem Rodolphum II — v. 1.

*

Theol[ogo] et V[iro] Opt[imo] Doctiss[imoque] D[omino] Martino Sturmio, Concionatori Leutschovien[si] — v. 182.

*

Viro Nobiliss[imo] et Strenuo D[omino] Erico Lassotae, Caes[areo] Lustrationum in Hungaria superiori magistro — v. 185.

*

388

Sarmatae Germanus

Hoc prudenter agis, quod, Sarmata, cautior arma
Nemine pro capias, sit nisi sarta fides.
Hoc sed deliras, armata, o Sarmata, contra
Te Marte et bellis agmina quando vides:
5 Fracta fides est, nonne vides tua? Turcica contra
Nos cum Christigenas agmina bella movent.
Non mea, non tua, nostra fides est, Sarmata, fracta:
Arma cape, aut non est sic tua sarta fides.

389

Iaurinum anno 1594 perditum

Divide Iaurinum, cedat pars altera Turcis,
Altera Romanis, nomen id omen erit.
Pone modo in medio duo cornua, dixeris, illa
Fregisse Hungarico cornua bina solo.
5 Unum Iaurinum est cornu, Agria nostra secundum,
Iauris ob *vinum* haec cornua bina iacent. §

Nota! — Christianos nos *Iaur* sua lingua vocant Turcae, quasi infideles vel ethnicos; inter *Iaur* et *inum* pone *v*, evadit *Iaur-v-inum*.

390

Aliter

Turcicograeca facit *Iaurino* dictio nomen,
Immodice quod *Iaur* Teutones οἴνον ament.

2 nomen id omen — Plaut. Pers. 617

352

391 Acrosticon, votum pro Hungaria, contra Turcas et Tartaros
1595 anno clementer defendenda

	<i>Rex</i> nunc orbe gerens venerabile pusio nome	N
	<i>Verus</i> es aethereo missus mortalibus ax	E
	<i>Christus</i> homo, aeterni soboles aequaeva parenti	S
	<i>Iovae</i> , qui mare, qui terras, quique alta gubernat	T
5	<i>Mens</i> aeterna Dei patris: mens edita null	O
	<i>Unica</i> spes hominum, satis exspectate Redempto	R
	<i>Serva</i> , Christe, tuum ne post lupus intret ovil	E
	<i>Immanuelem</i> qui te coelo turbat ab alt	O
	<i>Noster</i> is et tuus est, Christe, atrocissimus hosti	S
10	<i>Vive</i> , Deus, quem virgo hominem tulit inclita part	U
	<i>Impia</i> quo barathri citius procul inde facessan	T
	<i>Fulmina</i> , quae sedes Furiae iaculantur ad Alt	I
	<i>Tolle</i> , tuis tandem populis sis, Maxime, nume	N
	<i>Occurras</i> Parthorum armis socia agmina dur	A
15	<i>Telis</i> coelicolum rumpas, Martemque nefandu	M
	<i>Orbi</i> huic et sociant uno quae vincula nex	U
	<i>Tunde</i> Othomannigeni nobis horrenda tyrann	I
	<i>Agmina</i> : sterne, Potens, sterne atri daemonis illu	D
	<i>Monstrum</i> informe, ingens; et nos da vivere pac	E
20	<i>Suscitat</i> aeternum, nunquam placabilis arm	A
	<i>Ungaricam</i> contra gentem trux belua belli	S
	<i>Bellator</i> , sed Gnate Dei, nove iustitiae so	L
	<i>Perdere</i> quid cessas Getica hostis fulmina sanct	AE
	<i>Terram</i> quae gentis sacra fana arasque prophanan	T
25	<i>In</i> vada iam nigri protrude profunda barathr	I
	<i>Nosque</i> malis miseros, o vindex, eripe tanti	S
	<i>Constrictos</i> Stygiis, rex summe, ulciscere vincli	S
	<i>Intendens</i> iamiam labentur mille quod ann	I
	<i>Perfidus</i> ut nostram perstringit acynace terra	M
30	<i>Enseis</i> atque hastas hebetans: hoc percute vult	U
	<i>Vexatosque</i> iterum maneant sua praemia Turca	S
	<i>Tandem</i> in eos heic passa diu sint omnia vers	A
	<i>Iam</i> sat poenarum, Christi ob venerabile nome	N
	<i>Da</i> requiem lassis exoptatumque levame	N
35	<i>Vivere</i> dulce sinas modice et placabilis est	O
	<i>Pace</i> tibi fundet magnas ECCLESIA gratei	S

*

*

392 In festo D[ivi] Michaelis, exercitus coelestis archiducis

Rursus in Harpyias pugnat Iovis armiger ales,
Ut sibi commissas rex tueatur aves.
Quem tellusque polusque tremunt, fortissime Princeps,
Cui porro alituum militat ordo duci.
5 O Michael dux, aligeras largire phalangeis,
Quae regi fortes auxilientur avi.
Anno aquilam hoc nostram si exungulat illa Celaeno,
Thrax heu Romanas vultur habet volucreis.
Tu prohibe aethereo coelestibus agmine turmis,
10 Ne nos in miseros Turcica rostra ruant.

393 Aureum vellus Illustrissimo et Cordatissimo Principi ac Domino,
D[omino] Sigismundo Bathori,
Transylvaniae et Romani Imperii Principi datum

Qualis erat quondam vindex dux Thessalus armis,
Phryxaeae dignus vellere miles ovis.
Quando tot Ionium princeps heroas ad aequor
Duceret ac vindex Colchidos urbe foret.
5 Bathorea talem se stirpe creatus in oris
Hisce, Sigismundus, Marte favente, gerit.
Pro socero clarus fera praelia fecit Iason,
Inclita cum sociis dans monumenta suis.
Aequat eum prorsus, cui Transilvania paret,
10 Qui nostram gestis fortibus implet humum.
Sprevit enim rigido bellacem pectore Turcam,
Dilectae asseruit principis inde domum.
Caesarea de stirpe trahit genus illius uxor,
Propter eam nostri caesaris arma gerit.
15 Aesonides annis florentibus acer alumnus,
Ut iuvenis, senibus causa timoris erat.
Bathorides etiam sat grandem aetate Sinanem

2 Phryxaeae ovis — Ov. Her. XII, 8

Terruit, ut profugus turpia terga daret.
 Ille sui fuerat ceu Martis adeptus honoreis,
 20 Rettulit aeternae posteritatis opes.
 Iste Iasonidae titulos a caesare grato
 Accepit meritos, scitaque plura ducis.
 Immo suos inter divos scripsere Quirites,
 Principis et nomen dulce dedere sui.
 25 Utere Bathorei clarissime sanguinis heros,
 Utere, quando favent numina, sorte tua.
 Cresce decus mundi, cunctas tua gloria metas
 Exeat, haud terras, astra requirit honos.

394

Ad Mecoenatem meum,
 Generosum et aere antiquo virtuteque Nobiliss[imum]
 D[ominum] Christophorum Darholcz de Fyntha

Si pendere velis narrantis ab ore, Darholci,
 Lux hesterna mihi protulit hocce novum.
 Transivere decem nostram vexilla per urbem,
 Pars vecti potior militis aegra fuit.
 5 Pars vestita parum prae frigore dente fremebat:
 Pars tantum furtis ibat onusta suis.
 Esseda pars mollis, pars rustica plaustra premebat:
 Pars frangebat equos ebria tota suos.
 Pars non bellatum, sed scortatum ire, sequaci
 10 Pone meretricum turbine, visa fuit.
 Cur sua purgamenta solo Germania nostro
 Misit? eget isthaec fortibus ora viris.
 Visne ego, Mecoenas, rursum ominer? ista peribit
 Pars horna natis arbore laesa globis.
 15 Ore geret bellum cum prunis, occidet illinc
 Pars: heic Mortis, ibi praelia Martis erunt.

395 Ioanni Thoraconymo, Egregio, Ornatissimo et Cordatissimo
 iuveni Teuffenbachiano

Dixeram ego nuper, fieri quod miles et arma
 Ferrea thoraci forte ligare velim.

26 Utere . . . sorte tua — Verg. Aen. XII, 932

1 Si pendere velis narrantis ab ore — cf. Verg. Aen. IV, 79

Est quidam nebulo naucique vir, ille profanus
Me levitatis ob id crimine scurra notat.
5 Clamitat esse nefas, doctum, vatemque magistrumque
In fera militiae castra parare viam.
Immo gravis cupio esse sago: cataphracta quod armis
Concio thoracem ferrea tota suum est.
Heros ipse tuus, cui facta Licentia Iuris
10 Quondam, aut Marte levis, si gravis arte vir est.
Iane tuum thoraca gravem nusquam exue: curant
Musica castra leves, Martia castra graves.

396

Cometa anno 1596 in Hungaria conspectus

Quae fax aethereo nova rursus in axe coruscat?
Vera mathematici quis mihi lege canet?
Terreor: infelix est crine minace cometes,
Heu! notat hae nostris tristia lampas agris.
5 Horrida Pannonicis cladeis annuntiat oris,
Nec roseo frustra sanguine flamma rubet.
Hoc impune iubar non cernimus, ante potestas
Nota sat est, parilis cum fuit igne polus.
Audio concursus turmarum, arma audio: Turcas
10 Audio clamoreis tollere ad astra graveis.
Percipe, quisquis ades, miserandos percipe questus,
Eiulat et variis planctibus ora vacat.
Barbarus Hungaricas Thrax obsidet, accipit arceis,
Crescit ubique metus, crescit ubique dolor.
15 Aspice, falcato quam fulminet ense tyrannus,
Aspice, quam ferro demetat omne genus.
Hem! pueros necat innocuos castasque puellas,
Hem! furit in tremulos bestia cruda seneis.
Ah! quoque materno raptatur ab ubere blandus
20 Pusio, neu gravidas negligit ursa nurus.
Terra, videsne? videsne tuos, o Pannonis, hosteis?
Cernis et haec spernis ferrea corde tamen.
Natio prava veni, te postulat ira Tonantis,
Praemonet interitus, patria, more tuos.
25 Audi, si quid adhuc pietas tibi! si quid honestas:
Tollito vel certa parte levato malum.
Parce tuis: ritum doceo, ne crimina patra:
Desine peccati, corrige crura, manus.
Cor doleat, bene mos oleat, vox astra fatiget:

356

30 Pura sit, obscoenis mens careatque suis.
 Quoque facis, bellum gere mascula, crede triumphos
 In superi dextra solius esse Dei.
 Non virtus hominum, quamvis operosa, tyrannos
 Frangit, id est regis cunctipotentis opus.
 35 Si non legitime victricibus uteris armis,
 Sors iterum Turcis laeta trophaea favet.
 Ecce venit propius, dominamque pererrat ad arcem:
 Heu Agriae forsán stella minatur atrox.

397 Praelium coeleste, pro festo D[ivi] Michaelis Epperiesini
 sollemniter, Agria a Turcis obsessa, pronuntiatum

Posthac bella canam, quae forteis Turcus in Hunnos,
 In Turcos Hunni duce iam Maxaemiliano
 Grande gerunt: superet quod Transylvanus Achilles.
 Quam multum ille ausus iuvenili in corpore miles,
 5 Gloria Battoridum, quod Teuffenbachius heros
 Marte potens arceis his rursus adiecerit oris.
 Nostra Getis cur se modo sentiat Agria cingi?
 Iam caesum toties genus unde volatile crescat
 Tartarus, et socias animet magno agmine lunas?
 10 Iam mihi carmen erit bellum coeleste, quod olim
 Dux Michael pro gente sua cum daemone gessit.
 Quodque negant omnes Epicuri de grege porci,
 Fabula queis mendax et habetur naenia, quidquid
 Seu canitur de plebe sacra felicis Olympi
 15 Alituum genere, aetherea de stirpe ministris
 Coelicolum; seu nubivago de regnatore,
 Monstro, immundo, atro, hoste Dei, cui lumen ademptum.
 Quos putet esse iocos, gerras risusque prophanos,
 Qui volet, heic iuvenes flammatos, agmina coeli,
 20 Dein aliquid Stygios esse, horrida at agmina, fratres
 Dicere velle meum est: mihi Christe o, suffice vireis.
 Ne quod difficile est, sale sed vel pane necessum
 Plus, sine fruge cito occidat et vanescat in auras.
 Te sine nil felix, sine te nihil utile virtus
 25 Nostra potest, labor est et inextricabilis error.
 Christe iuva, fiet et quidlibet auspice felix.
 Principio Deus ex nihilo quum voce creasset

Omnipotens hanc tellurem coelosque profundos,
 Caerula quicquid habet maris unda et stridulus aër:
 30 Ecce Deus, Deus ipse sibi famulantia fecit
 Agmina, coelestis pueros proceresque beatos.
 Regis ut exemplo famulos et haberet Olympo,
 Cives ipse suos, magnum per inane canentes
 Grata Deo, cytharas stringendo pectine dulcis.
 35 Pars staret vultus ante officiosa Iehovae,
 Proque sua nostraque simul longo ordine grates
 Diceret aeternum super astra salute creatori
 Ipsique Christoque sacraeque flaminis aerae.
 Omnia lucis erant nivea, nec cernere turmas
 40 Posse oculis omnes sat erat fulgore micantes.
 Vidisses numerum, numerus superabat aristas
 Autumni, et nostri quae vinea grana racemis
 Fert bonitate soli, vel quod comprehendere non est
 Eloquio: tot ibi, tot stabant ordine luces.
 45 Quae non perlegeres oculis, legata volabant
 Agmina, perque vices alii mandata per auras
 Iam reduces feliciter expediisse caneant.
 Dulce opus aeternum dextra aurea sceptris tenenti.
 Ecce his desierat mulcere suavibus auras
 50 Carminibus, duce Lucifero (nam Lucifero uni
 Nomen erat) Dominique a maiestate recedens
 Furtim certa cohors pendebat ab ore loquentis.
 Ille oratoris partes agit, ora resolvit
 Talibus: Heus socii consortes mille laborum,
 55 Credo, vos etiam non parva molestia frangit,
 Conditio quod dura premit, sine fine tribunal
 Ante, heu Elysium cur nos discriminat axis?
 O miseros! cur non manus, inquit, libera terras
 Haec humiles colit et mortalia sceptris gubernat.
 60 Nullus honos nobis, nos flexo poplite nemo
 Suspicit, et coram nemo nos pronus adorat.
 Factus homo est, ut quae magnum sunt nata per orbem
 Obsequium illius praestent aut singula nutu,
 Seu tellurem amplam, spaciosa aut aequora cernas.
 65 Ergo movet si quem tantarum gloria rerum,
 Aurea libertas Marte acquiratur et armis
 Excussisse iugum praestat, quam vivere sceptris
 Sub miseris; tentanda via est, excindere ferro
 Servitium licet. O socii mens una furoris

52 pendebat ab ore loquentis — cf. Verg. Aen. IV, 79

70 Esto modo vobis, communi quaerere fato
 Sortem haud poeniteat meliorem et gaudia semper
 Victura, ante ipsum regem, qui sede superbit
 Aetherea, coelo iuvat exturbasse, potestas
 Ne soli invicto tanto discrimine vires
 75 Conciliet: validas in viscera vertite vires.
 Ipsius infensis animis crudeliter iras
 Sic nos coelicolae supera alta tenebimus omnes.
 Nullus erit totis alio iactantior astris.
 Omnibus una salus pariter, decus omnibus idem.
 80 Bella nec invicto nos stulta parabimus, arma
 Sunt nobis, animis vel numen quilibet aequat.
 Vix ea: misceri iam magno murmure coelum.
 Sicut apes aestate nova cum examina ducunt,
 Et strepitu rostrisque nimis late aëra complent.
 85 Concio tota duces sequitur, stridentibus alis
 Non citius mussat, quam sede silentia mandet
 Rex ipse arborea positus, de more verendus.
 Scinditur interea et totum sua lumina vulgus
 Mox adit, arma parat pro libertate gerenda.
 90 Pars melior, pars fida Deo, divortia sensit.
 Hic etiam Michael, subita coëunte virum vi,
 Solatur dictis socios et pectora firmat,
 Sicque suis: dilectorum clarissima fratrum
 Lumina, quae tanto Deus est dignatus honore,
 95 Ut cum cuncta humileis teneant animalia terras,
 Regia vos coeli, vos aula beata recepit,
 Luce sacros vultus maiestatemque verendam
 Cernere posse dedit, florentia regna tueri
 Huius et aeternum superi commercia coeli
 100 Usurpare. O felices! si talia nostis,
 Non est ergo locum demus crudelibus ausis.
 Usque ministerio tam sancto hic esse fideles
 Fasque piumque iubent, linguam ad mendacia solvit
 Lucifer, ambitione tumens, malus, invidus, Orco
 105 Mox damnandus, in infernas, ni pareat, undas
 Praecipitandus ab aethereo, miser, exul Olympo.
 Et qui Luciferi gaudebat nomine, nigris
 A tenebris piceaque geret caligine nomen.
 Quod sine fronte, pudore sine haec committere tentat.
 110 Nec mora, si nondum parilis dementia coepit.
 Arma armis opponamus iustissima, sumptis

Turpiter, ambitio nunquam felicia gessit
 Bella levis, solet innumeros pia vincere caussa.
 His ita firmati dictis heroa sequuntur
 115 Millia multa ducem, pariter fortissima bello
 Pectora; se pugnae aptant, is fera tela pharetris
 Colligit, ille ense lateri addit, cingere ferro
 Sese tota phalanx ardet. Versatur Olympus.
 Paulatimque coit miles, qua classica poscunt.
 120 Nec requies habet ulla virum, qui primus in hostem
 Hortatur reliquos, quos mens bene sana tenebat.
 Iamque suos et se bene colligit agmen utrumque.
 Disponunt acies, et in aures mittitur ira
 Voce ducum, gliscat certamen et omnia praesens
 125 Miles agat, sive insidiis, seu fiat aperto
 Marte, alacres adeant, nec tanta pericula curent.
 His ita ductures laxabant pectora verbis,
 Quis innexa armis incendit laeta iuventus.
 Mox tuba terrificis frangit terroribus auras,
 130 Fervet opus, faciunt rapidos dura aera fragoreis.
 Principio levibus pugnatur utrinque sagittis.
 Lucifer at frustra iaculatur, et omnia perdit
 Tela, ea vel nimis alta volant, aut aere resultant
 Fracta e duro, stramineos imitantia culmos.
 135 Irrita sed nunquam Michaelis dextra per arcus
 Tenditur, in fixo pulmone tepescit arundo.
 Et quoties iaculat, toties praecordia tangit.
 Oppositumque ferit caput, harmoniamque cerebri
 Dissipat. O miseros! aliquis laesa inguina clamans
 140 Proiicit, et galeam et prostratus summa loquendo
 Dulcem animam exhalat, reliquos metus acer agebat.
 Postquam omnem viduant illi, sine fruge pharetram.
 Vagina exemptum diverberat aëra ferrum,
 Stomilus et Scyptrops regiusque Giasque labantes
 145 Auxilio frustra extimulant, retinere magistri
 Exanimes nequeunt verbis, nec verbere pugnam
 Promovet ante alios immanior ipse furore
 Lucifer; hinc illinc spes aufugit, omnia languent
 Consilia. Hic Michael: Iuvenes, fortissima corda
 150 Sperate, et quoniam sors haec tam laeta resurgit:
 Tax, tax, ense citi fessos stupefactaque corda
 Cedite; state modo, melior fortuna sequetur.
 Otia tum rumpunt omnes et protenus ense,
 Lanigeros ut oves mactant, et sanguine multo
 155 Mille viros letho dedunt, animasque superbas

Eripiunt cum victa ferocia caede malorum,
 Colluvies precibus votisque exposcere pacem
 Incipiunt, dant herbam et victos esse fatentur.
 Saepe tamen clypeos rursum accepisse iacentes
 160 Dux iubet: eia agite, inquit, et o praecordia virtus
 Excitet, arte viri, arte nova cito vincite, vires
 Promitto, auxilio en rursum adsunt mille phalanges.
 Non sors, sed desunt animi, quin immo sequace
 Sorte viri superate, viri. Mars omnibus idem.
 165 Nec minus haec Michael nunc hos, nunc praeterit illos
 In flammis ultro felici Marte ruentes
 Suscitatur, officii memores causaeque supremam
 Ut superent aciem, nec enim iam stringere contra
 Ferrum exangue queat, nec tantam vincere molem.
 170 Quos ita quando acuit verbis, in pectore flammam
 Quisque fovet, movet extremas in praelia laudes.
 Ense Demas, Proylisque bonus Protinusque tot inter
 Funera caesorum exsiliunt, fugientia prendunt
 Agmina, sed iam mille viris vir sufficit unus.
 175 Non ita diffugiunt lepores, aut cornua cervi
 Tergore posta gerunt celeri comitante molosso,
 Caeca per arma ruunt, ipsi ac hastilia viva
 Induti, haerent nec vestigia iam legisse,
 Nec iuvat ulterius cursu aëra findere sudo.
 180 Quid faciam? accepto iam vulnere Lucifer inquit.
 An supplex lacrymis poscam, hostis ut exsuat istam
 Mentem? et det veniam victo, et cum sanguine vitam
 Donet, at haud ita servitio me exire licebit.
 Me pede mancipium feriet, vitare Charybdim
 185 Dum volo, fors Scyllam incidam, at ista rebellia bella
 Me perdent, quia nemo meorum everberat enses;
 Nemo habitu fortes, nemo arma habet integra, et ipse
 Urgeor immodice; at leo sim licet ipsa caterva
 Terga fugae nudet. Dux masculus agmine plus est,
 190 Sic secum, exsurgit cor tali voce novatum.
 Cedit inops animis magis et magis agmen, at arcem
 Coelestem interea reserat iam ianitor acer,
 Qua pars caesa iacent, pars vix sua inertia passim
 Corda movent. Pacem exposcunt prece divite frustra.
 195 Ecce hic hostilem ad cumulum se pandit Olympus.
 Praecipite galeasque virosque voragine hianti,
 Seque videt sceleris coelo dux trudier alto.

Nec mora, is infernas misere delapsus ad undas
 Lucifugas cito mutato iam Lucifer oras
 200 Nomine adit novus incola trux Acherontis opaci
 Princeps cum sociis saevai dirus aquai.
 Victor ovat Michael laetus, cava buccina passim
 Dulce canit, nova laetitiae sunt signa relictis.
 Eia triumphe, triumphe, triumphe, triumphe, triumphe!
 205 Una voce Deo ingeminant Iovamque salutant
 Agmina, concilium faciant, se firma professi
 Post fore perpetuo: adglomerat se quilibet ante
 Victorem Michaellem, alacres ad munia tendunt
 Prisca omnes: capit ille urnas et nectare complet
 210 Praedulci pateras, Michaeli pocla ministrat.
 Is positus facit ambrosia convivia mensis,
 Certatim officium faciunt sine fine ministri.
 Tota poli resonat facies et laudibus amplis
 Rite Deo grates divino ex ore canuntur.
 215 Cerbereae ille domus novus incola et hospes in oris
 Tartareis iam Lucifer horridus, acer, adustus
 Excideret tantis sociis cum mille quod ausis
 Corde dolos versat, ne praecipitatus ab alto
 Se frustra doleat nec inanis secla vegetur
 220 Omnia, regnum habeat, dominus princepsque verendus
 Voce salutetur. Formidine compleat omnes
 Trux hominum sedes. Opera omnia fecerit autor
 Quae Deus, impediatur, secum in nigra Tartara ducat,
 Qua possit Stygias, Cocytia regna, paludes.
 225 Vincere cum nequeat superos, nec adire penates
 Amplius aethereos liceat, domicilia restent
 Vasta vago sola iuncta salo, nebulosus et aër,
 Esse nocendum aliqua tandem, si non datur ultra.
 Vulneris haec memor antiqui dum corde volutat:
 230 Ore cruentato fremit horridus, ignea fauce
 Tela vomit magno cum murmure, prodit ab antro
 Eumenidum sociis stipatus tristibus ira.
 Bella iterum cum gente Dei namque esse gerenda
 Dicit, et his illos compellat vocibus ante:
 235 O passi haud turpem mecum sed sorte repulsam,
 Praelia dum tento nova, dumque resarcio damnum
 Fortibus et maculas animis rursus eluo tantas:
 Arma virosque manus renovantem pectore fortes
 Divinas ut opes sternam, nostrique labores

216 Lucifer **Hung.** Lucifer

240 Hostis praecipitem, mecum carissima rerum
 Agmina per varios casus variosque labores
 Ire iuvet, divum quos inclementia versat.
 Ipse mei faciam primo praeludia Martis.
 Est locus Eoas horto genialis ad oras,
 245 Egregio rapidus quem flumine Tigris oberrat,
 Et cuius rigat arva Phison gratissimus undis.
 Divini haud fallax ibi sese autoris imago
 Iactat, ad immortale decus quem servat honorique
 Aeterno Deus ipse, sed hos an gestet honores,
 250 Et Paradisiacos homo, fas est, incolat hortos?
 Non faciam, caput hoc iuro, per numina testor.
 Arte dolisque *meos* faciam, quos fecerat axis
 Astrifer ante *suos*, et libertate bearet.
 Magnum habet adversis socium solatia crimen,
 255 Quippe ubi praescriptas coelo transcendere metas
 Me suasore animo fragili mens suaserit Adae
 Devia, prole sua privari senserit arbor
 Interdicta, necis damnabitur ipse suique
 Nati natorum, quos unquam postera tandem
 260 Secla ferent, nobis regnum post fata futuri.
 Sceptra tamen victi victricia sceptra geremus.
 Haec ubi fatus, adit loca, quae lustrabat Adamus
 Delitias Domini, consertas ordine plantas.
 Et tum sermones iisdem de rebus habebat
 265 Coniuge cum dulci vir primus, et ordine magni
 Costae insertabat mandata parentis, ut arbos
 Lethifera haud impune queat temerarier, etsi
 Plus reliquis capiet, moveatque aut visa salivam.
 Et movet hoc animo, perituros luce sinistra,
 270 Qua carpant, et dente secent tam nobile pomum.
 Heu fatale malum, queritur mas, pensile malum!
 Hic ita perstabat memorans, et ab ore loquentis
 Foemina pendebat fixa, ardescitque tuendo.
 Lucifer his socium sese addit, et haeret in illa
 275 Arbore, sed specie vultuque similimus angui
 Formoso, et vocem simulans sic ore trucidat,
 In sociae voces Adam quae miserat aures:
 O non sic animae dulces! lita fraude parentis

241 per varios casus — Verg. Aen. I, 204

257—258 arbor Interdicta — Gen. 2, 15—17

268 moveatque salivam — cf. Sen. Epist. LXXIX, 6

275 similimus angui — Gen. 3, 1—6

280 Ora, ter hac dulci ter ab arbore numine foeta
 Vos abigant; melius doceo: est innoxia tactu
 Arbor, et augustas prohibet, mihi credite, dotes.
 Aeternae domus est lucis, sapientiae origo.
 Perpetuumque comesta decus feliciter affert.
 Hic vitam invenietis, et his vere esse beatos
 285 Vos fore praedico: celerem vos addite dextram.
 Nunquam hodie est illud, si carpitis, ut carpendo
 Pro facto maneat vos inclementia lethi.
 Vix ita fatus, habet cum spesque metusque flagranteis,
 Est dubium, an parere velint, an temnere dicta.
 290 Sed mulier dudum ardebat persuasa loquenti
 Ore secare cibos, fatales prendere ramos.
 Prima manus addit, duo demit, et arbore missa
 Partem avellit, et o vix, dulces accipe fructus.
 Ergo, ait, experiar, num hodie moriemur, Adamus!
 295 Dividit extemplo dente et iam viscera tangit
 Mali infelicis, nec enim satis ossa carebat
 Carne ambesa, ubi se nudum conspexit et Evam.
 Extimuit, simul illa locos celare pudendos
 Incipit, et manibus turpeis excaecat amores.
 300 Heu pavidum trepidare metu, sibi quaerere mortem.
 Contra, ille effecta bene re, se laetus agebat
 Hinc et Io sociis fugiens, iam vicimus, inquit.
 Vicimus et vincemus humi, si vincere coelo
 Non licuit, nec nos quoque sic maneamus inulti.
 305 Nec tanto rerum cessabo cardine, fraudes
 Stat struxisse novas, sunt cautis mille meatus
 Vulpibus: ingenium validis plus efficit armis.
 Quid moror? excidium humanum mihi vita decusque.
 Dulcia Adam thalami duo nutrit pignora natos.
 310 Alter ut alterius se sanguine polluat ora
 Ante patris, faciam lacrymas et funera matri.
 Dixerat: ac sacra Abel de more parabat in agris
 Primitiasque Deo frugum sacrasse novarum,
 Germano iunctus structas Cainus ad aras
 315 Ardebat, sed ubi coelestis flamma voraret
 Abeli sacris positos ab ovilibus agnos,
 Ast illum tanto non dignaretur honore
 Flamma, haud ullus edax sic ignis ab aethere lapsus

314 iunctus **Hung.** iunctos

297 se nudum conspexit — Gen. 3, 7—8

315—322 sed ubi interfecit Abelum — Gen. 4, 1—8

Lanigeras absumeret, ut fraterna, bidentes.
 320 Mox ideo Stygio germanus percitus oestro,
 In Furias et in arma ruit, poscente dracone,
 Incautum et miserum telo interfecit Abelum.
 Quo scelere impulsum post caedem et fata dolentem
 Frustra heu infernas secum deduxit ad undas,
 325 Qua primis gaudet spoliis et tortor avarus
 Dat lacerare aliis inamoenae sortis alumnis.
 Ut genus interea totum mortale per orbem
 Creverat, unde suos promisso semine Olympus
 Quondam delicias et haberent aurea multos
 330 Tecta poli cives, quam tandem hoc orbe receptis
 Terra diu sedes esset, velut hospita, sancte
 Transfigerent aevum, quod facta dedisset.
 Ni facerent, animis quoque sint coelestibus irae,
 Sit Styx illaetabilis et rex dirus Averni,
 335 Pollutas animas qui torreat igne perenni.
 Hoc draco cum sciret, iam tum tenditque ruitque:
 Ne pietas quem, ne quem virtus ducat ad astra.
 Sed scelerum facies tot sint, quot orbe figurae.
 Hic agitat trux concordēs in praelia fratres,
 340 More tyrannorum ut furiant feriantque flagellis.
 Hic facibus saxisque petant, sibi viscera rumpant.
 Corda habeant variis pro facto obnoxia poenis,
 Dives inopsque simul non uno crimine flagrent.
 Ad ducis exemplum scelera omnia quilibet addat,
 345 Flagitiis donec fatalibus eluat undis
 Mortales tellus quoscunque tulisset, et arcam
 Nohae extra Domini quos subruit ora procellis,
 Adderet et Satanae sociis regni incrementum.
 Hic petiisse iubet coelestia regna gygantes,
 350 Centaurosque feros molem struxisse superbam,
 Qua Babylonis adhuc stant altae moenia fracta.
 Quid loquar, ut patre cum sancto certavit Abramo,
 Cum raperet fratrem Lothum et pia pignora Lothi,
 Coniugium, dulcem Gazam longosque labores.
 355 Fumat adhuc Sodomae, quam sulphuris igne perussit
 Incestus, foedi polluta cubilia lecti
 Ille execrandus fornix et turpe lupanar.
 Tetra Gomorrha iacet parili disperdita fato,
 Qua pater altitonans ultricibus omnia flammis

346—347 arcam Nohae — Gen. 6, 12—22

351 Babylonis moenia fracta — Gen. 11, 1—10

360 Perdedit, et Stygium post fulmine adegit ad Orcum.
 An rapuisse nurus fas est, an iungere lecto
 Germanas lateri et dulces habuisse sorores?
 An cum prole sua concumbere? tendere natae
 Retia fas? ruptum temerare cubile mariti?
 365 Ah nihil hic memoro, quam fraude ac arte maligna
 Trux coluber miseras deduxit in avia mentes,
 Concio ne qua foret quae sacra statuta Iehovae
 Atque Dei natum coleret, sic flexile numen,
 Ut quondam per eum mortalia corda bearet.
 370 Namque videbat uti, coeli quos ardor habebat,
 Perpetuo gemitu et lacrymis sua fata dolerent,
 Iustitiae solem veniam pro labe rogarent.
 Solveret is, quod homo nullus reparare, nec ullus
 Angelus, ira Dei cessaret gratia mundum
 375 Prisca foveret, et aethereo donaret Olympo.
 Turpis avaritiae gens turpis dedita luxui,
 Nil stomachum praeter curat, nil ilia praeter.
 Humanas mentes intra peccatur et extra.
 Pauca loquor, nec plura loqui lux ista loquentem
 380 Me sineret, mala quot quondam sint nata per illud
 Monstrum horrendum, atrum imo ortum Orco, avido atque Erebo actum.
 Iam ferus innumeris grassatur in aëre turmis,
 Divitias hominum nigro sata turbine frangit,
 Spes miseris omnes per agros perque arva colonis
 385 Eripit, arboribus radices rumpit ab imo,
 Arte domos sternit longoque labore paratas.
 Tecta solo male praecipitat, mox arietat aedes
 Iam iam casuras ut quis putet, imbris exit
 In campos magnos late crescentibus undis.
 390 Aemula diluvii rapiunt iam flumina quicquid
 Contingunt, misere infantes cunabula mersant,
 Arboribus pendent summis (miserabile visu)
 Hic annexa boum, nec cornua solvit arator.
 Iam placet iniectis urbes exurere flammis,
 395 Et quae longa dies, quae secula mille pararant,
 Omnia Vulcano longe spectantibus urbis
 Civibus exitio dare: iam prosternere peste,
 Iam viduare suis magna oppida et arva colonis,
 Iam vexare gravi miserorum corpora morbo,
 400 Totque lues passim, tristes tot scribere mortes.

366 coluber **Hung.** colaber

389 magnos **Hung.** magno

Iam ieiuna fames stomachum sedare latrantem
 Non sinit, et steriles coqua plorat moesta culinas,
 Ossa quis in vacuis numerare et viscera posset
 Cernere, triste hominum, venturae mortis alumna.
 405 Iam, quod ego potius taceam, bella, horrida bella
 Suscitāt, insignis ne pace Ecclesia crescat,
 Crescat et in Domini se laudes tota resolvat.
 Testis Hiobus erit, quamvis complexus amore
 Insigni et pietate Deum, quem scripsit in albo
 410 Dulcis amicitiae Pater omnipotentis Olympi.
 Quos non ille dolos Sathanae, quos ille furores
 Non tulit! ipse suis bene stando ridiculus vir.
 Hoste repentino totum cum vapulet agmen
 Ipsius, inque manus bello pecus omne scelestum
 415 Divitiae veniunt: tempestas horrida tectum
 Dissipat, et natos natasque repente ruina
 Sustulit 'exsutos vita, currentibus undis
 Sanguine de patrio, patrio de sanguine nati.
 Quae quondam Isacidum fuerint, quae fata requiris,
 420 Iura viris legesque dedit quo tempore Moses,
 Heu! lacrymis sine nemo potest perstringere multis.
 Nam quoties Solymas Bellona exivit ad arces
 Exstimulare viros in praelia et arma tyrannos
 Impia, qui gladiis saevirent, culmine sanctam
 425 Ut ruere urbem vidisset, nisi mortis imago
 Se scelerata locis iactaret in omnibus intra
 Moenia, post expugnatos miserabile vulgus
 Cederet haud precibus furor execrabilis ulli.
 Heu! quoties pecudum de more cogit ab urbe
 430 Millia multa virum peregrinas visere terras
 Hostis atrox, Furiis cui non mutabile pectus.
 Qualis erat Pharaο, captos qui dura coëgit
 Ferre iuga, atque modis mire vexavit amaris.
 Quid loquor (ah!) veteres casus? quid inhaereo priscis?
 435 His oculis, his tot quae iam labentibus annis
 Cernimus. Heu nimium nostris, quantum ille pericli
 Afferet! Heu quantum vel in hac regione dolorem
 Suscitet! et si quando Satan genus omne malorum,
 Hem Furias omneis hoc secum tempore duxit.
 440 Ungaricae quod opes, quod lamentabile regnum
 Edocet, amissis tot iam urbibus, arcibus, arvis.
 Ah ubi nunc Buda, germano contermina Paesto?

Nobile Iaurinum? quo tota superbiit olim
 Europa, et scutum contra trucem acynacis iram
 445 Credidit esse suum summamque caputque salutis,
 Quale fuit nobis Iaurino fortior ipso
 Agria, nec lacrymas mecum teneatis amici:
 Agria nostra fuit, si nos nostram esse putamus.
 Nostra tamen potes esse diu, potes, Agria, nostra
 450 Esse, Dei natus, Michael si bella vicissim
 Pro nobis gerat omnipotens, gere bella, Michael!
 Te duce nil Turcae, socia agmina, nulla pavemus
 Arma, movet vetus arma draco, sua surgere regna
 Ut faciat. Michael, Michael fortissime, pugna!
 455 Causa tua est, Michael, tua gloria! Bella meremur
 Impietate quidem nostra, vel plura meremur.
 Ast tu, noster enim frater, nec desere fratres!
 Pro nobis pugna, Michael, charissime frater!
 Pro nobis pugna, Michael, dulcissime frater!
 460 Pro nobis pugna, Michael, iustissime frater!
 Pro nobis pugna, Michael, fortissime frater!
 Pro nobis pugna, Michael, o maxime frater!
 Pro nobis pugna, pugna, invictissime frater!
 Pro nobis pugna, pugna, mitissime frater!
 465 Pro nobis pugna, Michael, homo dive, superbus
 Hostis ut in sancto pereat quoque monte, superbus
 Ceu cecidit coelo quondam deiectus ab alto
 Lucifer; o pugna, Michael dulcissime Iesu.
 Semper honos nomenque tuum laudesque manebunt.

398

Dulce bellum inexpertis

Bella animant multos, quod inexplorata sit illis
 Conditio Martis, durus et ordo sagi.
 Ferre famem atque sitim, sub dio stertere, brumam
 Et solem in castris qui tulit, arma fugit.

tit. Dulce bellum inexpertis — Veget. De re m. III, 12

Praecatiuncula ad Deum per puerum recitata
post stragem Agriacam

Care Pater, ne, quaeso, tuos ne desere natos,
Ne deserta cadant nomen honosque tuus.
Iure quidem genitor nos optime iure flagellas,
Excedit scutica virgula multa modum.
5 Supplicium non est delicto maius, et ipsi
Cum patribus nostris nil nisi culpa sumus.
Sed tu nostrorum puni de more parentum,
Oscula si virgae figimus, ira iacet.
10 Blandule parce Pater, mellite et amandule, parce,
Aureole, o miseris parce, Pater, miseris.
Scis, Pater abba, gravis quondam non accipit aetas,
Saepe ferunt blanda quod prece filioli.

In Agriae nomen

Agria pro nobis quum gesserit acria bella,
Nos contra posthac ἄγρια bella geret.

Adamo Kunischio Tyropol[itano]
pietate et eruditione ornatissimo viro

Kunischi, rediit novus rotundo
Annus tramite, nunquid Hungarorum
Pax solo rediit? vel illa gentis
Robur Hunniacae, Agria et triennis
5 Iaurinum Austriacas dolor per oras?
Ah ah non rediit modo, nec unquam
(O heu mentiar omnibus) redibit.
Sed vox Hiltenii biennio post
(O heic mentiar omnibus) prophetis
10 Addet Teutonis Ausonisque tractus
Triumphanda Getis, nisi reversa
Rursum ad nos fuerint prius, fugamus
Quae nos cottidie calentius, ceu
Sunt, Fas atque Pium, iacens Honestum,

11 Pater abba — Marc. 14, 36; Rom. 8, 15; Gal. 4, 6

15 Temperantia, Castitas Fidesque.
 Tu tamen, cor amicum et optimorum,
 Kunischi, optime, versibus labora
 Ad cunabula, Pusionis olim
 Dei, mitificare Patris iram.
20 Ut possis, voveo puer puellae
 Hunc annum tibi sospitet recentem.

402 Egregio et optimo viro, D[omino] Stephano Peregio etc.

 Mitius has iterum teres anni circulus oras,
 Ambiet Hungaricum sole recente solum.
 Quid, pro more, tibi precer, o Stephane, ergo calendis
 Hisce novis, nisi, te servet ut ille puer?
5 Quo nisi servatore Deus iam desinet irae,
 Non vir, sed iuvenis, sed puer esse velis.
 Christe, Patris gravis orator, da circulus anni
 Ambiat heic felix me Stephanumque meum.
 Da, si bella geri vis, nostrum bella coronent
10 Serta caput, Stephani vel male Thraces erunt.

*

Virtute duce, comite cruce: pedissequa victoria. Heus Christiane! — v. 77.

*

Invitatio in hanc militiam — v. 78.

*

Aliud — v. 79.

*

V[iro] et Dom[ino] Ill[ustri] et Mag[nifico] D[omino] Simoni Forgacz, L[ibero]
B[aroni] de Gyms etc. — v. 80.

*

V[iro] Nob[ilissimo] et Doctiss[imo] D[omino] Caspari Franco, Rat[ionario]
Caes[areo] in Cam[era] Scep[usieni] Magistro — v. 85.

*

Ad Gen[erosum], Egr[egium] et Ampliss[imum] Virum ac Dominum
Georgium Hoffmannum etc. — v. 81.

*

Ad eundem de dono, missa mihi pecunia et commeatu — v. 82.

*

V[iro] Gen[eroso] et Egr[egio] D[omino] Nicol[ao] Orleo etc. — v. 83.

*

403

Ad Illustrem et Magnificum Dominum,
D[ominum] Christophorum a Teuffenbach,
L[iberum] B[aronem] Caes[areum] Consil[iarium]
et Capitaneum in Hung[aria] sup[eriori] bellicum

Qualis erat passim tunc exsultatio, nostri
Inclyte belligeri duxque caputque soli,
Nuper ubi Martem te fama accendere Turcis
Diceret, et rursus castra parata forent.
5 Talis erat nobis hoc omnibus orbe vicissim
Luctus, et ex animo moestus ubique dolor:
Nuncia cum caneret te turba redisse domique
Vix vivum ob morbi fata iacere tui.
Heu mihi, laetitia quantum mutatus ab illa
10 Grex dabat exanimi squalidus ore sonos.
Ah palmare decus iacet! ah iacet ille iacentis
Ultimus Hungariae corde fideque pater.
Qui virtute sua nunc aemulus Herculis ibat,
Tuta latrociniis ut foret ora suis.
15 Sicut enim Alcides quoque quondam ultricibus armis
Pro patria gessit fortia bella sua:
Sic pro Christiadum tendebat in arma salute
Christophorus, magnas nomine reque Baro.
Non ita tunc trepidare metu miserabile vulgus,
20 Caeruleus forti cum vehereris equo.
Iam recta amissam (dicebat quilibet) arcem

Ultor it, ac Agrios ipse domabit agros.
 Tota soli solo spes nixa recumbit in illo,
 Quo stabit vivo, quo moriente cadet.
 25 O utinam fruitur dum luce, et vescitur aura,
 Hunniadae discant iam bona quisque sua.
 Sic populus, sic ipse ego tunc votivus iturum,
 Te prece per totum sum comitatus iter:
 I pater ast patriae, felix duce et auspice Christo,
 30 I, triste emenda, corrige Martis onus.
 Semper adhuc bello tu gloria prima fuisti,
 Inter et heroas nobile nomen habes.
 Tunc etiam cum caesareo sub fratre per hostes
 Ultimus a Turcis ire coactus eras.
 35 O utinam solo tunc te monitore fuisset,
 Ebria caede nova protinus, usa phalanx.
 Sed tibi sera fides, prudentia sera, Solones
 Ride, sancte Senex, despice iure tuos.
 Hinc vix accepit satis enarrabile damnum,
 40 Scilicet hinc nostri causa secuta mali.
 Usque senes adeo non est contemnere tutum,
 Cum sint astutis bella movenda Getis.
 Sed iam tempus erit, quo fortibus annuat ausis,
 Reddat et omnipotens prospera cuncta Deus.
 45 Scilicet excipiet te laetior ora reversum
 Hungaris. O talem sol fer ab axe diem.
 Tuque manus in bella animans, in praelia dextras,
 Fac, precor, audaces, numen ad arma viros.
 Praecipue nostro vires et robur Achilli
 50 Suffice, per laudes hoc ego posco tuas.
 Haec ego, Mecoenas, pro teque tuisque sacello
 Saepe meo genibus vota sedendo dedi.
 Ecce autem subiti mihi littera missa doloris,
 Quae te nec validum diceret esse domi.
 55 Heic de corde meo calor excidit omnis, et ipsum
 Frigidius glacie mox mihi pectus erat.
 Hinc supplex collum petii lacrumisque profusis,
 Expedii multas nocte dieque preces.
 Quid factum est? nostras Deus annuit ipse Camoenas,
 60 Audisti preculas, Christe benigne, meas.
 Non tibi difficilis nunc est Hygeia, sed armis

29 I pater ast patriae — Cic. Pro Sest. 57, 121; Pro Rab. perd. 10, 27; Ov. Fasti II, 127 Iuv. VIII, 244; Petr. 60; Mart. Spect. 3, 12

56 Frigidius glacie — cf. Ov. Her. I, 22

Te prohibet Phoebus doctior ire foras.
 O posses, non sic ageret ferus ocia miles,
 Non gereret sterileis Mars sine lege manus.
 65 Errat ut a fido navis deserta magistro,
 Quando per aequoreos fluctuat acta notos.
 Sic absente suo duce te iam fertur in armis
 Miles, et Hungaricos ipse molestat agros.
 Impedienda forent, quae bella geruntur ad Istrum,
 70 Ne Geta distracto Marte nocere queat.
 Sol abit ad signum capricorni, et labitur omnis
 Commoditas belli, pigra subintrat hyems.
 Vivitur et nemo ventura pericula curat.
 Ac si pax nobis esset et alta quies.
 75 Tartarus hic flammis, hic durus acynace Turcus,
 In sua gens illinc viscera saevit atrox.
 Ah miseros cassosque diis et viribus Hunnos!
 Ecqua sub aethereo gens magis axe iacet?
 Turca triumphatas iam nobis eripit urbes,
 80 Aspera iam reliquis arcibus arma parat.
 Nemo potest solide vindex arcere tyrannum,
 Nemo trucidandis ferre paratus opem.
 Tu, Teuffenbachi, cum castra secutus ab annis
 Militiae teneris sis, timor hostis eras.
 85 Te sine nil recti geritur, tibi cognita belli
 Est ratio, qua vel Teuto, vel ille gerit.
 Tu maris et terrae spacia es dimensus, ob artes
 Ingenuas quondam belligerasque simul.
 Gallia te scriptis instruxit et Itala tellus,
 90 Hinc Themidos nosti scitaque iusque duplex.
 Tu iuvenis, tu vir, tu discis praelia canus,
 Tu cum Turcarum es digladius avis.
 Tu prius heic annis tot iam labentibus, hosti
 Notus es, has terras, has quoque testor aquas.
 95 Qua celer in foedus Tocaini ad nobilis arcem
 Cum Bodroci undis usque Tybiscus abit.
 Tu veterum calles emblemata mille, nec usquam,
 Te gravat historicos evoluisse libros.
 Tu castis aures praebes quandoque poetis,
 100 Inque sago chartis doctior esse cupis.
 Paupere qui vena manant, et stridulus ipse
 Versiculos placida, quos cano, fronte capis.
 Rarus habet nostras nunc Mars in honoribus arteis,
 Miles atrox lituos, carmina Phoebus amat.
 105 Nec pietatis honos unquam tibi defuit, ipsa

In galea mens est relligiosa Deo.
 Ingeniosus es, et si non successerit illa,
 Mox alia cautus vincere parte studes.
 Scimus, ut aërias passim superaveris arces,
 110 Tam dudum multis quae metus acer erant.
 Hoc docet in saxo moles exstructa Fileci,
 Quae nimium nostrae saepe nocebat humo.
 Hoc castella Getis erepta, hoc oppida passim
 Teuffenbachiaco diruta Marte docent.
 115 Saepe tuum vincis munus, nimium aspera tentans,
 Et fers personae non patienda tuae.
 Stant alii post principium, tu praelia ducis,
 Ictibus et primis obiicis ipse caput.
 Inspicis ipse situs, pluteos vallesque profundas,
 120 Ipse vigil, quae sunt officiosa, vides.
 Ipse sub Hatvanii lustrabas providus omneis,
 Unde capi possent, obsidione locos.
 Ipse dabas documenta tuis avertere fossas,
 Te ductore fuit pervia facta palus.
 125 Ausus es hostileis dux ipse accedere portas,
 Omnia sunt oculis moenia visa tuis.
 Nocte prius multumolvebas mente, diurno
 Quae fierent iussu conficienda tuo.
 Ipse tuis digitis tacite monstrare solebas,
 130 Qua fieri cuperes vulnera parte prius.
 Autor eras, traheret pars illa vel illa ruinam,
 Machina quando globis iam foret usa suis.
 Tantus amor patriam defendere, tantus ob aras,
 Christiadam heroi pectore fervor erat.
 135 O divine Senex! decus immortale futuri
 Temporis et secli gloria prima tui!
 Tuque diem fastis addes, heroas et inter
 Accipies magnos semideosque locum.
 Vive pater patriae! nil amplius addere laudi
 140 Cum possim, in seros te voveo esse dies.
 Nostra salus agitur, sis ergo Nestoris aevum
 Sospes, et Hungarico restituare solo.
 Postque meis, heros, faveas, celeberrime, Musis,
 Praecipue causae iam bonus esto meae.
 145 Nullus adhuc frustra vates provexit, et arteis
 Qui fovet ingenuas, praemia rursus habet.
 Ore poeta Deum flectit votivus, et aequum,

139 Vive pater patriae! — v. 403 29

Supplicibus numen vatibus esse solet.
Vive, vale unice spes Hunnidos aurea, semper
150 Qua potero, laudes amplificabo tuas.

404 Nobili et Strenuo Viro, D[omino] Francisco Zedlicio,
Equiti S[lesiaco]

Ex patriis salvus nostras adveneris oras:
Heus, Francisce, sed hoc certior esse volo.
Vidistine ista stupefactos clade Polonos,
Iam transferre suos in peregrina Lareis?
5 Hui, pallent adeo cito? qui si forte propago
Sarmatici Turcas cerneret ipsa soli.
Credo, Polona cohors caligis moreretur in ipsis,
Aut leporina illic bella gerenda forent.

405 De Agriae clade 1596 Optimis viris:
D[omino] Martino Brechtelio et Adamo Kunischio,
cariss[imis] amicis meis

Quos ego suspiro, quid amici hoc tempore rerum
Vos geritis, quo nil tristius esse potest?
Heu! Deus, o miseros, in quae nos secla reservat?
Hem postrema vicem cernit ea ora suam.
5 Sic animae dulces, praedixitis: namque prophetis
A vobis rerum littera missa fuit.
Tu mihi praesertim vates eris, ante canebas
Qui missum fato, dulcis Adame, malum.
Agria nostra fuit, nostrae cor Agria terrae,
10 Quo misere exempto caetera membra iacent.
Ah ubi speratae spes et solatia nostra?
Ah ubi flos nostri Martis et artis, ubi est?
Tot bombardarum classes, tot castra, tot astra
Militiae audacis lecta per arma manus.
15 Quae vestra Geticus stravit formidine Xerxes:
Pannonis heic tellus tota latronis erit.
Tu miserere soli pereuntis, Christe, perimus:
Respice nos aliqua, respice, quaeso, Deus.
Plura queri vellem, sed ne voveatis, amici
20 Vos mage moestitiae, cesso, valete mihi.

Belligera autumni redit aetas: arma iuventus
 Prompta cape, Hungarici tonsa per arva soli.
 Surge animis contra bellacem Thracia, nec oras
 Occupet is nostras sorte sequace prior.
 5 Messis abit, nova musta dedit vindemia, frugeis,
 Queis vescare, tuas assere Marte gravis.

Quis fragor iste novus? sibi quid spectacula passim
 Tanta volunt? solito plus omnia laeta triumphant.
 Clangor in urbe merus, mera gaudia, plaudit ovatque
 Quilibet, esse quid hoc, dicam? res mira, nec unquam
 5 Visa prius, muros intra cursatur et extra:
 Psallitur, oratur, confertur, quaeritur, itur,
 Aera sonant, turresque boant, taratantara clangit.
 It clamor coelo, vultus auresque saginant
 Iubila, concentus, vox Musica, tristia damnat
 10 Omnis, et ex alto pellit Cato quisque dolores:
 Stoicus in risus coeno de paupere surgit.
 O quas esse rear causas! tam laeta quod haec lux
 Aureola hos civeis sic afficit urbis et orbis
 Totius Hungariae? num quod redivivus in auras
 15 Christus ab inferno surrexit et omne revixit
 Cum Domino pro more suo? venerabilis aeo
 Festa dies agitur toto? quia pascha quotannis
 Nos etiam celebrare iuvat, pro tempore, laetos.
 Post tristeis hyemis lacrimas, post frigora brumae
 20 Hoc faciunt etiam rationis egentia passim.
 Nix liquefit, glaciem consumit et imbriferum ver,
 Vivificat fluvios austris terrasque resolvit.
 Aura Favoni annum senio exsuit: omnia risus
 Promittunt renovata, reciprocatur omnia Phoebus,
 25 Laxat iter larga serie, camposque rotatu
 Longius hos visit meliore, et calfacit agros
 Rectius Hungaridos terrae. Sed miror id unde
 Sit, quod nobilium flos et gens rustica fastos
 Cum celebret veteres, non nos imitata per urbeis,
 30 Ploret adhuc, quod tu pro nobis, Christe redemptor,
 Tam grave supplicium crucifixus in orbe luisti.

Cur tamen aërias arces, cur gaudia pagos
 Talia pertentant? en laetior involat urbem
 Hanc flos nobilium, gens rustica, civibus addunt
 35 Se socios? altis sonitus bombosque crepaeis
 Arcibus attendi; si fors permetteret anni
 Tempus, et instructus gereret Mars bella per agros.
 Dicerem ego certi fieri haec ob signa triumphi,
 Sed neque Mars campis, ut qui sit inutilis armis,
 40 Nunc, ubi nulla Ceres campis, nulla arbuta pascunt.
 De nihilo hoc non est, quid si tamen ausus in hostem
 Caesaris indultu quis forte ivisset et arcem,
 Auxiliante Deo, magnam expugnasset, et ista
 Laetitia id populus iam testaretur. O haec est,
 45 Haec est causa, licet dictis vix credere possis.
 Eloquar? haud credas, taceam, quid publica celem?
 Eloquar ah, sed io, sed io, qui nam eloquar ista,
 Quae prae laetitia vix ora resolvere mittunt?
 Rumpo moras: Nostrum Iaurinum dicitur esse.
 50 Nostrum est, est nostrum, Iaurinum est nobile nostrum!
 Credere quo fas est, breviter memorabo labores
 Quo duce, quantum auso, quibus artibus et quibus armis
 Nostrum est, est nostrum, Iaurinum est nobile nostrum!
 Magnum opus aggredior, quod vix describere possit
 55 (Quod tamen aggredior) Maro vel divinus Homerus.
 Christe ades, et nostris te versibus insere, magni
 Hoc est oris opus. Logos oratorque Parentis
 Tu quia es, et te te Iaurinum est auspice nostrum:
 Ut canere haec possim gravius, ipse has suffice vires.
 60 Postquam a belligero dux lectus caesare belli
 Rite foret praestans Baro, Schwartzenbergius heros,
 Non minor antiquis heroibus, alter Achilles,
 Mente Solon, Brutus iusto, virtute Camillus,
 Coelitus Hungaricas bellatum accitus ad oras,
 65 Heic ubi stant clarae fama fortisque Viennae
 Moenia, saepe animo versat, queis finibus istis
 Amissas arceis et lamentabile regnum
 Turcis eripiat, fato si vindice possit,
 Pellat et his terris Christiani nominis hosteis.
 70 Sed tamen ante alias solers plus cogitat unam,
 Quattuor ante annos amissam fraudibus, arcem:
 Daedala Iaurini sunt moenia noxque diesque.
 Dulce nihil superest, nisi rursus pareat orbi

Christiadam illa Rabae vaga combinatio et Istri.
 75 Alta mente movet, quoniam ratione vel armis
 Iam semel atque iterum frustra tentata triumphet.
 Saepe repulsa subit, nece plus horrenda, pudorem
 Aestimat, et laudem potius vult morte pacisci.
 Annuit his Deus omnipotens, primordia et ipse
 80 Prospera concessit facilis prece victus et aris
 Supplicibus, sua respexit bonus agmina tandem.
 Tunc agimus nostris etiam feliciter armis,
 Quum prece miscemus virtutem, et numina bello
 Poscimus, ore deos praesentesque usque vocamus.
 85 Christus et oranti huic sua suggerit ipse secundus
 Consilia, in bellum digitos, in praelia dextram
 Armata, et ipse vias bonus invenit ante labores.
 Nec mora, nec requies secum rimatur agenda.
 Omnes per casus, per cuncta pericula pernox
 90 Atque diurnus agit, prudens explorat Ulysses
 Singula; quae facies arcis? custodia qualis?
 Qui numerus? gentis quis dux? quae moenia? quantum
 Robur? ubi fieri prius oppugnatio foelix
 Forte queat? quando excursus, cum caetera fiant?
 95 Qualis honos primis? quae vis, quae gratia in armis?
 Omnia tuta tamen pavet, et nil scire secundum,
 Quod tacitus condit, vult, nec fallacia corda,
 Quae secreta iuvent, noceant manifesta, revelent.
 Respicit omne, bifrons Ianus velut alter, et hostem
 100 Consilio superare prius, quam viribus ardet.
 Prudens rerum opifex, quae seria subticet, auceps
 Quaesitorque novi: nunc hoc, nunc, aure sagaci
 Vel prece, vel precio nunc imbibit illud: hyaenas
 Ordinat, in mediis quae captent aemula Turcis,
 105 Auditum et visum referant: hac sospes adibis,
 Illic restat adhuc metus; heic mortalibus ullis
 Vix aditus pateant, sed ibi prudentia vincat.
 Haec ubi scita capit, iam certus abire Vienna
 Apparat, exiguo stipatus flore iuventae.
 110 Forte Comarinum petit, hucque accersit Achatem
 Fidum operum et rerum, cum quo communicet uno
 (Palffius ille audit) quid pectore verset, et arcem
 Quam tentare velit, duce Christo et sorte secunda:
 Iaurinumque potens, quibus artibus et quibus armis
 115 Posse capi speret, quae soli haec abdita pandit,
 Et bello socium comitemque laboribus orat.
 Palffius armipotens, Mavortia gloria, gentis

Hungaricae decus omne, animis nil fluctuat, huic mox
 Spondet idem, concorsque iuvat: pro laude paciscar
 120 Christi non timidus vitam, et pro caesare dulce est,
 Sic sic posse mori duosve subire labores.
 En dextramque fidemque, heros fortissime, secli
 O nova laus nostri, nos ibimus, ibimus ambo,
 Qua fas et nostris Deus adspiraverit ausis.
 125 Quid tum, si ob patriam patiamur vulnera? quid tum,
 Si pessum unus et alter eat pro arisque focusque?
 Nos manus exigua, esto, cadet parvo agmine magnum,
 Si coelum et fortuna volet: tecum, inclite, pergam.
 Haec et plura loquens prudenti Palffius ore
 130 Consulit in medium: bello conscribitur agmen,
 Omnibus et quosdam furtim evocat arcibus illis,
 Quae parent aquilis, et adorant caesaris enseis
 Romani; ergo citi pariter concurrere gaudent,
 Qua iussi ire simul prompti sociosque laboreis
 135 Ferre parati omneis, seu certam incurrere arcem,
 Seu cum lunigeris certare per ardua pilis.
 Stat delecta cohors, spes Martia, militiae flos.
 Omnibus est studium, mensque omnibus una sequendi.
 Tempus erat, quo cessat hyems bruma aspera pulsa
 140 Septima cum Marti lux et vigesima coelum
 Versat, et Andromedae sua cingula torta recedunt,
 Qua Christus grave mortis opus, grave Martis in orco
 Sustinuit vindex, et averni carcere fracto,
 Et saxo ocluso, et penetrato marmoris antro,
 145 Post sua fata iterum laetus surrexit in auras,
 Tunc ubi nos rursus solida in statione locavit,
 Ostia clausa potens miseris reseravit Olympi;
 Rettulit in melius Patris iras, aurea pacis
 Saecula restituit, Stygio caeso agmine claustris.
 150 Luce etiam hac (mira certe ratione) Comarro
 Noster abit victor loca foeta furentibus armis,
 Thracia quae attulerat messes treis ante Sinani
 Auspiciis, socias qua Rabae copulat undas
 155 Ister, et ambit aquis laurini moenia nostri,
 Moenia tunc rabidis repleta ac horrida Turcis,
 Ut Christus veluti tunc Orci victor abisset.
 Tertia quem spoliis a morte reduxit onustum
 Lux redivivum, ob nos miseros nostramque salutem.
 Sic iste a Turcis etiam aemula signa referret,

160 Tertia qua roseo se lumine tolleret Eos.
 Nec (quia causa fuit parilis) sperata fefellit
 Spes heroa suum, quippe hac concordia Rabae
 Et Romana salus surrexit luce et eadem
 Hora, qua Dominus (dictu mirabile) Iesus,
 165 Hinc nos Christigenae celebramus septima sacra,
 Atque diem Domini memores solemnibus usi
 Ritibus, in fanis per pulpita sacra ciemus
 Ore Deo laudes. Veneris Mavortius heros.
 Bellatum ergo die postquam exivisset, ut ipse
 170 Filius omnipotens flagra, caedem et vulnera passus,
 Moenibus a Solymis Stygiam digressus ad arcem,
 Multa pati atque graveis mox exanthlare laboreis,
 Per duras, nimium heu duras pedes ire salebras
 Cogitur, ad femora usque niveis iam sole solutas
 175 Personam exsutus tantam, atque palustribus undis
 Primus iter carpit pedes, et sua facta secutos
 Exemplis animat ducis ipsius, instar anhelii
 Nisus equi, nervis maioribus omnia vincens.
 Quodque solo ingreditur, vix aut supereminet undas,
 180 Causam habet, ut furtim veniant hostem eminus armis
 Sentiat haud hostis per caeca silentia noctu,
 Nec late hinnitu quadrupes loca turbet acuto.
 Iamque ubi Danubii per aquas toto agmine transit
 Navigio exceptus vel pontibus ante paratis,
 185 Hinc praemittit equos passim, qui quattuor horis
 Praecedant campis omneis avertere casus,
 Nemo prior veniat Iaurinum, et talia Turcis
 Indicet; ergo via cunctos intercipit, illac
 Qui tendant, ita dux praeceperat optimus illis.
 190 Ne Turcae hoc scirent, urbi improvisus adesset.
 Illi abeunt oculis vigiles, praecepta facessunt.
 O felix dux, o bellum felicius, o et
 Felicissima gens, populus qua paret, et inter
 Mortis onus grave, miles eo non ire recusat,
 195 Millia ubi tuti vix essent, unus et alter
 Credere se campis audet pro principe caro.
 Quin etiam hic praecepta salubria scribit aperte,
 Qua nunc ire velint ratione, ac ordine quali,
 Atque illos vocat huc celereis, hos dividit illuc,
 200 In partesque docet certas, et classe coronat.
 Hinc Germanus abit, movet hic se Gallica pubes,
 Purpurat hic Italus, sequitur turma Hungara pilis,
 Expedit haec vastentque cavet cultoribus agros.

Sanctam ad iustitiam Themidis sacra, lege minaci
 205 Cogit, et abstineant spoliis, iubet ore disertus.
 Praemonet, edicit praesesque autorque futuri
 Supplicii poenas maturus et irrogat acreis.
 Praecipuaeque duces hortatur gentis, honorem
 Praescriptis habeant, moresque manusque gubernent.
 210 Utque secundet iter, coelum orent supplice voto,
 Ne sint indecores regno, ast sua fama feratur
 Post gravis, ast totum post laudibus occupet orbem.
 Vincat amor Christi patriaeque immensa cupido.
 Ergo iterum laeti pergunt, nec secius arma
 215 Mota loco memores faciunt perque ardua tendunt.
 Nec satis est ivisse semel per flumina, restant
 Hic superanda iterum, sed et haec Schwartzbergius heros
 Providus, a tergo linoit toto agmine, factis
 Navibus et celerem pertransit ponte Socubsam,
 220 Atque alios superat fluvios, quois nomina desunt.
 Et iam noctis erant bene sera crepuscula caecae,
 Omneis per terras animalia fessa iacebant.
 Hic sit prima quies, Schwartzbergius inquit, et axe
 Sub gelido sistit comites, et pluribus orat,
 225 Dura ferant aequi, casu et discrimine tanto:
 Fortibus hic animis opus est et pectore firmo.
 Ecce autem insurgens ventis comitatus et imbre
 Nimbois Orion, galeisque infundit et armis
 Magna mole niveis, tempestas horrida barbas
 230 Congelat, et duri coeli inclementia supra
 Perfurit, usque minis, et crura haerentia frigus
 Sistit, Athlas coelum vix vertice fulcit, et alta
 Nubila subsidunt, caput et latera ardua pulsant
 Trux boreas, imberque gravis, mixti agmine caeco.
 235 Noctem illam perferre tamen studet ardua virtus,
 Luctaturquè dies donec iam surgat Eoo
 Postera, Phoebaea nigras face dimovet umbras.
 Poscit abire iterum porro dux masculus alas
 Conficiens, de more petit qua dextra Nemethi
 240 Vallis, et hic, donec propior sit vesper Olympo,
 Sustinet, egregiosque virum iam convocat omneis,
 Accersitque alios, quos currere vellet in arcem.
 Quos sic alloquitur: Iuvenes, fortissima bello
 Corda, quid ulterius vos celem? ingentibus ausis
 245 Perficere est animus, Iaurini et moenia nostra

213 Vincat amor — cf. Verg. Aen. VI, 823

226 Fortibus hic animis — cf. Verg. Aen. VI, 261

Sint cras, aspirante Deo, forte auspice dextra
 Iaurinum petimus, Iaurinum haud fata negabunt.
 Ergo agite, o iuvenes, incepta haec rite paremus,
 Praemia digna feretis, opeis, Iaurinia et aera
 250 Cuncta dabo, spoliis faciam vos omnibus aequos,
 Vos modo nunquam animis, nunquam armis cedite Turcis,
 Quisque sua maneat statione fidelis et acer.
 Hoc vos per mortem, per nobile sanguen Iesu
 Salvicamque per oro crucem, perque omnia sacra.
 255 Aut vivam, aut moriar, non hic ego inultus abibo.
 Dixerat; illi omnes respondent: Maxime ductor,
 Te duce, stat virtus nostra imperterrita, seu nos
 Contra hostem ire velis forteis campestribus armis,
 Seu iubeas arces altas et scandere muros.
 260 Postquam haec effati, Iaurinia rura salutant,
 Deveniuntque locos, sua qua castra inclitus ille
 Fixerat ante annum Austriacus, licet irrita, princeps.
 Atque hic Danubii se foemina tollit ab undis,
 Accedit propius turmas in veste nivali,
 265 Cincta comas lauro, similis divae omnia vultum
 Astat, et in morem pandit secreta Sybillae:
 Este salutati, iuvenes, quos ipsa secuta
 Sors comitat, quibus omnipotens Mars annuit, altum
 Quos amat, et tantis dabit omnia prospera coeptis,
 270 Numen et auxilio quos praesens adiuvat aether.
 Non incerta cano, quae dicere iussa, revelo.
 Quod coelum et terras torquet, me misit Olympo.
 Hostibus ille dat, ille adimit rursum hostibus arceis.
 Vos tantum, illustres animae, tolerate labores.
 275 Certandum est, non is veniet sine Marte triumphus.
 Sic illa; ex oculis simul evanescit in auras.
 Hinc firmati animum magis et magis arcis ad oras
 Ipsius ardescunt accedere, et omnia coram
 Ocyus inter se cognoscere. At ipse pedestreis
 280 Inter se turmas animat Schwartzbergius; alta
 Palffius interea generosi terga caballi
 Pressat, equestrem animans florem, docet usque magistro
 Germanumque ducem, re sic cogente, secutus,
 Saepe ferocis equi luctantia colla sonosque
 285 Noxia saepe prius, cohibet gravis atque severus,
 Accenditque animis socios et pectora firmat.
 Ecce autem tenebrae fugiunt, et amica viris nox
 Involvens piceam clauso coelo hactenus umbram,
 Fit manifesta, suam profert Proserpina lucem.

290 Apparent terrae illustres campique iacentes.
 Hos metus acer habet rursus, et trepidatio summa
 Corda subit, ne quicquam iterum succedere furta
 Nunc posse, omnis ait, manifestius agmina cernet
 Hostis, et egressus nisu prohibebit inani.
 295 Verum vota Deo hic facere et prece supplice coelum
 Non prius absistunt orare et poplite flexo
 Poscere opem, lateat quam Cynthea pulla vicissim,
 Nigra tegat frontem ferrugine et omnia celet.
 Indulgent convexa poli stellantia, et igneis
 300 Condunt caeca suos, se pallida servat in umbris
 Nec terras velut ante, suo splendore colorat
 Luna. Pater facit hoc, cui sidera et omnia parent.
 Nox fit et eripitur rerum discrimen in oris
 Omnibus, et vix nota legunt vestigia, ductor
 305 Qua fidus praeit et baculo compendia monstrat.
 Iamque in conspectu est mons Rascius, ipsaque longe
 Moenia non absunt sperata, hic omnia princeps
 Militiae apta facit pugnae, et via passibus absunt
 A porta centum, quam fortius arietet illa
 310 Machina, opus divum et miseris fatale repertum.
 Hoc duci ad muros hortatur, et ante locari
 Dux mandat portam, quo fractis impete claustris
 Atque aditu facto possit se infundere miles
 Hostis ad hostem, arcem late complere parentem.
 315 Iussa viri faciunt, furtimque adducere tentant
 Impositam curru tacito, quam voce petarram
 Molem Italus dicit, quae iuncta aperire superbos
 Sola queat postes, hosti ostia pandere fracta.
 Ergo operi accinctos plaustro admonet, ire sequenteis
 320 Hos iubet, hos humeris trahere et clam sistere ad arcis
 Ostia, et ut mussent per amica silentia portam
 Ad fatalem. Unus hic supra moenia custos
 Auribus haec captat vigilantior, atque ita fatur:
 Quid petitis? cuius venistis et ergo? an amicos,
 325 Anne hostes rear esse? quid hi de nocte labores?
 Unus ad haec nostrum, bene callens Turcica verba:
 Heus, Turcae, heus! non nos ex hostibus, appulit ista
 Huc nos nocte metus; Germani ac Hungara turba,
 Nos Cererem et victus vobis per plaustra vehenteis
 330 Aggressi, hanc profugi petimus maturius arcem.
 Pandite, praesidio servate et moenibus iisdem.

Vulgus inerme sumus, ne pugnis turba, sed apta
 Solvere Paestano reverenter debita Bassae,
 A quo nunc iter est, aperite et protinus omnes
 335 Acceptos pariter defendite, moenibus instat
 Hostis, et arva tenet Iaurinia; dicite regi
 Haec vestro, hoc sat erit, scio, gratum et praemia habebis.
 Sic ille; incendit cum forte favilla Petarram
 Sulphure non apto, nec primum claustra resolvit.
 340 Praecipitat flammam alias Vulcanus, et ardet
 Iam felix aries, horrenda tonitrua fiunt,
 Ianua tacta labat, procumbunt cardine postes,
 Rupta repente iacent per fragmina mille serarum
 Vincula: fit via vi, mox se per aperta Quirites
 345 Ostia ponte ferunt strato, et loca iussa receptant.
 Hinc Galli fortes et duri Marte Valones,
 Hinc acies sequitur longis horrenda sarissis.
 Hungarus et Teuto pariter se infundit, et intra
 Arcem omnes veniunt ex somno alto aere solutam.
 350 Protinus hic etiam se Schwartzenbergius infert,
 Voce monens alta, nomen ter clamat Iesu.
 Terribiles inflant lituos utrinque, trucidant
 Obvia prima tamen, qui propugnacula servant.
 Vix somno excitus minatur Bassa tumultus,
 355 Prosilit ex stratis suspensum a pariete ferrum
 Liberat, et dextra bis acutum corripit ensem.
 Altera vexillum manus accipit, agmina quaerit
 Quae sua? clamat opem portisque accurrere mandat.
 Ipse anteit Lybicos animis ac bile leones.
 360 Ceu lupus haud numerum curat, nec mille bidentis
 Unius horrescit lanii semel ensis acutus.
 Hic Iauriniades ululant et sydera tangunt
 Clamore immenso: fuimus Iaurinia turba.
 Hostis habet portas murosque ascendit et omnes
 365 Occupat heu turreis et propugnacula servat.
 Heu quis nos nimium miseros defendere, quae nos
 Accipere arx poterit? dominantur in urbe furentes
 Germani. O morimur, genus insuperabile belli est,
 Turba canum rursus succedet sedibus istis.
 370 O Turcae, haud nobis stabunt Iaurinia parvo
 Hospitia; in patriam reditus fortuna negabit.
 Ignaros fati, veritos nil tale Penateis
 Hostis et hospes init: fugite heu: quo? more bidentum

364 Hostis habet portas — cf. Verg. Aen. II, 290

Occidimus, modo per portas exire liceret.
 375 Foemina virque graves hos tollit ad aethera questus.
 Praecipue princeps discurrit in urbe, lupus ceu
 Raptor oveis intermedius, caecoque resistit
 Marte petens aditus factos, qua plurimus astat
 380 Caesarius, verbis contra iacit aspera Turcas
 Ipse sues: hic hic ne, canes, pugnabimus armis?
 Vos mera proditio vos torpor inermis honore
 Exsuit, extremum iam vivitis, arma repente
 Ni capitis fortes, uxoriam corda, monarchae
 Perditis haec nostro, ceu plurima et ante, nec hostis
 385 Vinceret hanc etiam, si me custodia vestra
 Admonisset heri; meretricia turba, quid ista
 Segnitias? mecum quin nunc expellitis hostem.
 Irruat atque animis se quisque recentibus armet.
 Si pereo, nunc me periisse iuvabit honestum.
 390 Sic Mahometigenum dux perfurit ore, rotatque
 Fervidus hic gladios, qua portae limina servant
 Christigenae, in medios prorumpit et arduus obstat.
 Ira manus conferre iubet, dolor igneus urget.
 Obvius ense metit cunctos, nec inertia rursum
 395 Cogitur arma pati; furibundum saepe coërcent
 Christigenae, huic liquido iam traicit ilia plumbo,
 Non procumbit humi tamen, imo effundit habenas
 Longius irarum, multos dat acynace letho.
 Nec socii minus adglomerant, dominumque tuentur
 400 Expertem galeae, et vix lino pectore tectum
 Suppara velabant nudos angusta lacertos,
 Mars utrinque favet, somno tua funera, neutrum
 Agmen terga fugae dat, ferrea saevit et instat.
 Cum victore cadit victus, nec discrepat ausis.
 405 Hic iterum Bassae quis viscera perforat hasta,
 Pugna hians immane tamen, dum concidit ore
 Pallidus; ergo iacet tellure et calcibus atram
 Tundit humum exspirans animam trux accipit Orcus.
 Ense caput solvunt humeris et acynace tollunt.
 410 Sed nihil occasus reliquos ducis iste moratur.
 Viribus usque suis audent maiora, nec ullum
 Telorum exhorrent genus, omnia pila globosque
 Perrumpunt, portasque volunt ceu caetera nusquam
 Bella forent, unus hos impetit ardua longe.
 415 Sed facies Germana fores dura obsidet hastis,
 Defessosque magis denso agmine sternit, et extis
 Perforat, ut pronus iam concidat omnis, et atro

Sanguine humum signet, lapsuque ad Tartara pergat.
 Hic quoque Denlopius, quo dextra haud fortior alter
 420 Romulidum, exarsit, multasque effudit habenas
 Iram, impatiensque suos animare Quiriteis:
 Stringere ferrum, animis medios se ferre per hostes,
 Et virtute sua reliquos bonus excitat heros.
 Segnior haud stricto Fabacurtius ense Latinos
 425 Arguit incusatque morae quid vivida virtus
 Debeat et possit, docet ipse, et multa cruentat
 Agmina Turcarum, nec parcit inermibus, ultro
 Hasta qui abiecta veniam orant, Tartara ad ima
 Mittit atrox omneis, vastos dat stragis acervos.
 430 Ille nigri gaudens montis cognomine fidus
 In media urbe tenens, nunc hos, nunc erigit illos.
 Inter opus durum fervet Germana iuventus,
 Ensibus ille bonus, plumbum ille volatile torquet.
 Hunnus in adversos se fert, nec segnius instant
 435 Palffiadae, et chalybis multos ope sternere tentant.
 Hic punctim, hic strictim, tereti ille reciprocatur ictus
 Cuspide, saepe graveis frangunt hastilia vulgo.
 Saepe etiam Herculea cerebrum clava omne terebrant.
 Vi prohibent Turcae superare et scandere muros,
 440 Sylvicolae ut Fauni nituntur, ut agmina turbent,
 Quae teneant supra, et per propugnacula cedant,
 Seu cogant fugere ad portas, vestigia quaerant.
 Ter sese attollunt, ter reiicit hostis, at illi
 Mox iterum superant, procul inde expellere tentant.
 445 Expelluntque citos pedibus clamore sequuntur.
 Hic profugis portas cursuque petentibus obstat,
 Corripit, et primum Schwartzbergius ore minisque:
 Heus, heus siste gradum, quo te rapis improbe, non tu
 Evades nostras (licet hostis ab ense recedas)
 450 Forte manus, non ista fides promissa; age retro
 Te fer, et haud coepto iam desine cardine rerum
 Durare, et rebus decet hoc servare secundis.
 Dixerat: ecce cohors mox tota reversa sequenteis
 Vertit, et opponit quisque acrius ensibus enseis,
 455 Grandis utrinque oritur caedes (miserabile visu),
 Mars dubius: modo Christus ovat, modo iubilat ille
 Plusque agit; accurrunt nunc hi, nunc cedere cogit
 Altera pars; raro bis barbarus occidit ictus,
 Terque quaterque hasta vix omni sanguine misso
 460 Pronus humi iacet, interdum hic renovata videtur
 Nequicquam arma movens prostratus, et oris honestas

Et flos dum rubeus fugiat, vitamque sub auras
 Linquat, eunt passim de sanguine flumina fuso.
 Quis cladem illius noctis, quis funera fando
 465 Explicet? aut possit lacrumis aequare labores.
 Talis erat facies, nox talis, Pergama quando
 Durateo caperentur equo, somnoque sepultos
 Quando in Troianos iret nocturnus Achilles.
 Tantus erat furor et rabies tunc Turcica tanta,
 470 Quantam haud ipsa prius se fassa est tristis Erinnys
 Vidisse; imo foret victrix festina virum vis,
 Leges ante nisi Schwartzenbergere, tulisses
 Tam cautas prudens pugnam ante, et fortis in ipso
 Ocyus admosses certamine robora cuncta.
 475 Hinc facta est animis melior pars altera, et ense
 Fortior, a Christo quae dicitur; urget acerba
 Qua stantes rari apparent, hos protinus omnes
 Demetit, et prendit fugienteis, caedit ad unum.
 Dat nova laetitiae signum tuba; rursus imago
 480 Laetior ad Christi bellum; labentia rursum
 Corda animant, certam sperare hac sorte salutem.
 Dulce canunt, et io ingeminant rauca aera vicissim.
 Huc illuc agitatus equo sua Palffius acer
 Agmina perlustrat; nunc intonat Hungarus Hunnis,
 485 Italiae voces Italas; Germanide cretis
 Ora, ore est Teuto, variat vox aemula Prothei.
 Ut pariter superent, curas traducit in omnes.
 Dextrum spondet opus, dulcemque haec aspera pugnae
 Finem habitura, sacer vates ceu disserit, ensem
 490 Felicem ipse rotat, plausu et clamore triumphat.
 Multa redit virtus, crescitque in pectore flamma
 Omnibus, ut simul ac animos ad verbera durent
 Incensi iuvenes, taedae instar, fervida corda
 In Furias et in arma ruunt atrocibus ausis.
 495 Nec Deus hos, Bellona soror neu deserit ipsa.
 Numen utrumque ira simul aestuat, ardet et ingens
 Corde dolor Marti, comitem se caesaris addit
 Romani sociis; trux agmina Turcica ferro
 Sternit et ingenteis (referens horresco) per urbem
 500 Sanguinis exundat fluvios: quae sanguine sidunt
 Corpora, vix vidisse datum est, Erythraeus it undis
 Gurges, equus niveo modo pectore candidus, alte
 Nunc humore rubet roseo vel ephippia ad ipsa.

Ingenteis victor tandem spectabat acervos,
 505 Irruit et tectum omne tenet genus acre virorum.
 Et licet hic matres et inermum vulgus ab altis
 Praecipitent tectis flammis. et scipio multus
 Desuper eiaculatus eat, quisque intrat in aedes.
 At manus interea vel adhuc se fornice caeco
 510 Munit et e contra flammis incendia miscet.
 Et ne dent aquilis poenas, moriuntur in ipso
 Pulvere disiecto vallo (miserabile visu)
 Seque hostemque suum miscent et in aëra spargunt.
 Hic primum ergo duces lacrymas emittere, et ignes
 515 Execrari istos, quod ubi nec tela, nec hostes
 Egregias animas vicissent, laeserit ignis.
 Quid facerent? nec enim sine sanguine Pergama tanta
 Et sine casu aliquo poterant tibi Maxime reddi
 Caesar, et hoc etiam est plus quam satis; illa quod hosti
 520 Tam vigili et forti tanta arx erepta phalanges
 Per modicas, horis potuit tribus esse vicissim,
 Atque erit aeternum tua, vindice et auspice Christo,
 Cui sit prima, tibi sit palma secunda, Rodolphe,
 Tertia Schwartzbergero et Achatu illius et illis,
 525 Qui simul ense iacent, aut passi vulnera vivunt.
 Salveat o aries quoque maximus ille petarrae,
 Quae quo disiiceret fabricata est machina portas.
 Materies latet illius, nec dicere tutum est
 Prudenti edicto, quibus inventoribus, aut qua
 530 Arte paretur opus, ne fama vagetur in oras,
 Graecia saeva, tuas, pellacem edoctus Ulysses
 Hostibus ex ne quis praestet, conatibus iisdem
 Iaurinum, aut alias hoc pacto quaeritet arceis.
 Hanc aperire artem totique exponere mundo
 535 Certatim historici vellent, si dive Rodolphe,
 Tu sineres, et non metus esset: certior arte
 Ne noceat, catus es, Thrax inventoribus ipsis.
 Auri sacra fames bombardas caetera et arma
 Attulit Euxino, rudibus compendia Turcis.
 540 O opus illustri dignum duce, caesare dignum.
 Salve flos regum salve Augustissime Caesar,
 Nae te tam laeta Iaurini nobile bellum
 Sorte beat! nunc te septem pars tota viratus
 Promptior auxiliis sponte aere viroque iuvabit,
 545 Ut reliquas etiam possis mox eripere arces.

538 Auri sacra fames — Verg. Aen. III, 57

Agria quod metuit, nunc sat percussa ruina
 Sponsae, quam voluit sibi coniunxisse Viennae,
 Hoc anno vestrae, dulcis celebrare hymenaeos.
 Illam fraude Sinan Thrax, deditioe Sinanus
 550 Coeperat: ast tibi caesar, aperto Marte recepta est.
 Egregiam vero laudem nunc ille referret.
 Heu, quibus heu, Stygias si non cessisset ad undas,
 Si superaret adhuc (iam curis fractus obiret.
 Fors prae moestitia se ultro suspenderet, Orcum
 555 Infelix victor peteret modo cannabe fractus.)
 Turcicus ipse Pharo suspiria ducit ab imo
 Corde, gemens secum casum interitumque suorum,
 Quidque timere prius, vel cuius oporteat ante
 Mirari, inscius haeret, et huc iam dividit illuc
 560 Sensus trux omneis, infrendens dentibus, iras
 Concipit ingenteis, frustra exaestuatur acer.
 Nulla sed huic dabitur rursus affectare potestas
 Iaurinum; ipse Deus pro nobis arma Cyclopa
 Induit hos contra, pestemque avertit ab oris
 565 His talem, nec enim dubitamus, Gogque Magogque
 Occidet; illud atrox monstrum, informe, horridum et ingens,
 Ex quo nos populat, millesima labitur aestas.
 Hactenus indulsit, iam coelum irascitur ausis
 Intrare Austriacas, tam sancti caesaris, oras.
 570 Sed fremat usque licet, frangat collum, ilia rumpat
 Moestus uterque. Deus nos, optime maxime caesar,
 Per te perque tuos post asseret usque fideleis.
 Et faciet clemens, cum foenore caetera reddet,
 Ut longe potiora illis possimus habere,
 575 Quam quae Christicolis trux hactenus hostis ademit,
 Pollicitus nobis per reddita moenia tale,
 Quae nequam accito sunt tradita sponte Sinano.
 Ipse diem citius vesper componat Olympo,
 Omnia quam recitare queam, quae victor in arce
 580 Occupet: egregias et opes operumque labores.
 Millia barbaricis restant novilunia signis.
 Mille laboratae fulgentia dona Minervae,
 Mille aulaeae graveis intertextosque tapetas,
 Discretas auro telas, muliebria texta,
 585 Et pictas tollunt vesteis et fulgida gemmis
 Ornamenta: auri pretiosa emblemata; nummos
 Regiferos, auri flaventia munera, Tempe

Hungara quae mittunt, vel Arabs excudit Eous.
 Quid loquar egregios animis in Marte caballos?
 590 Robur et omne decus Turcarum et caetera prudens
 Praetereo; quibus imperium stetit ordine, ceu sunt
 Tot bombardarum species currusque gravati
 Tam vario aere, globos tereti quod fornice grande
 Mille iacit ferro cusos; quid plumbea frusta
 595 Persequar hoc versu, tunicas rumpentia, Brontes
 Quas Steropesque parant, vasto Cyclopes in antro?
 Sic pauca in campis amittere semina praestat,
 Rustica quae recipit cum foenore dextera imago.
 Sic agris etiam messeis exspectat avarus
 600 Caesar et adiiciat Paestum Budamque receptam.
 Versat adhuc tantos animos dum Palffius, horror
 Maximus est Turcis, nulli virtute secundus.

408

Ἐπιστολή

ad D[ominum] Schwartzbergium et D[ominum] Palffium

Alloquor heic etiam vos, vos duo fulmina belli,
 Magnanimi heroes, Martis melioris et artis,
 Quos Deus et caesar pugnis dedit esse magistros!
 Quos non argenti, non auri praeda, sed ingens
 5 Vicit amor patriae Germanidos ora salusque
 Christiadum, veri laus numinis ipsaque virtus.
 O quos vos memorem? Mortales voce, sed armis
 Haud rear esse homines: quis vos non sanguinis alti,
 Quis non suspiciet vos? quis non fronte supina
 10 Vos ut semideos, vix ducere semina terris
 Diceret, ast coeli delapsos crederet arce?
 Arte magistra equidem vicistis, at arte magistra
 Coelitus excita: cedent miracula mundi,
 Cedent praeteriti secli inventa omnia vestris.
 15 Debet honos vobis et haberi gratia, debet
 Laus tunc vestra mori, quum facta illustria letho
 Summa dies quamvis dabit, haud dabit omnia facta.
 Credo equidem in tantum vestra excellentia surgent
 Ausa, in quantum olim magnus surrexit Achilles.
 20 Quin etiam praesul Romanae maximus urbis
 Transferet in fastos, ut agatur festa per orbem

5 Vicit amor patriae — cf. Verg. Aen. VI, 823

Illa dies totum, annaleisque ea facta perenneis
 Posthabeant, vestris mansura encomia pugnīs.
 Par vobis virtus, animus par, corpora bina,
 25 Una sed est mens, unus amor pugnare duobus
 Contra hostem, totus quem exhorruit hactenus orbis.
 Par bellatorum felix, par dulce monarchae:
 Hoc vos Christigenis duo, quod duo maxima coelo
 Lumina: sol et luna polo decus omne, solo vos
 30 Et vestris, tu Germanis, tu fortibus Hunnis.
 O regio felix, taleis vix Hungara tellus
 Unquam habuit, licet usque suos ea iactet alumnos.
 Vivite concordēs animis et viribus ambo,
 Ambo pares studiis iisdem et conatibus aequis.
 35 Si genus ingratum est hominum, sperate laborum
 Axe Deum Elysio memorem fore: nullus ob aras
 Et patriam frustra bellum gerit, acer in hostem.
 Sed vos iam proceresque ducesque et numina mundi,
 Hic geminus virtute sua vos excitet heros.
 40 Ferte citi auxilium, date opes, ferte arma, virum vim,
 Et bene apud memores tanti stet gratia facti.
 Si bene quid gestum est, solius numinis illud
 Dicitur auspiciis gestum; si moenia perdat
 Dux, est noxa ducis solius, et omnia clamant
 45 Compita: dede neci, caesar, qui patria tradunt
 Praesidia aere hosti, probat exitus acta, nec usquam
 Arceis perdideris, modo bellis praefice fidos.
 Ast dolor haec fervens et bilis splendida dictant,
 Seque Deosque tacent victi, accusare parati
 50 Militiae caput et damnant cum principe castra.
 Verum haud fas, blaterat quod vulgus, credere semper.
 Fortior est victor vel plus virtutis in illo,
 Quisquis ovat: licet et coelum victricibus armis
 Sufficiat vires et robora saepe ministret
 55 Angelus omnipotens: tamen et sua gratia nostris
 Vindicibus stat licta viris. I vulgus et ipso
 Posce a belligero quoque caesare praemia nostris
 Vindicibus pro Marte viris felice, nec arcem
 Frustra hanc restituant, tanto discrimine vitae.
 60 Proditor est poena dignus, sint praemia fidis.

Votum pro victoribus

Romani imperii duo fulcra duasque columnas
 Hungariae coelo missas, Deus optime, serva;
 Laudibus omne tuis quod serviat, atque salutem
 Ad nostrum faciat, quoque post illustribus ausis
 5 Hi tentent socia virtute bonisque repertis.
 Una sit ambobus mens, sors eadem, ardor et unus,
 Sorte laborum aequa se magnum semper Achillem
 Praestet uterque, solo monumenta relinquat amico,
 Ipsorum ut nati et qui post nascentur ab ipsis,
 10 Maiorum agnoscant facta, excellentia facta.

Coronis ad Schwartzbergium

Denique, Schwartzbergi, tu nunc eris alter Achilles,
 Tu Iosua es nobis alter, tu maximus ille es,
 Unus qui nobis certando restituis rem
 Perfidia amissam turpi; tu maximus ille es,
 5 Unus qui multos praestas virtute viros vir.
 Tu velut Andromeden Perseus, victricibus ausis
 Alter ab immani monstro nos asseris; armis
 Libertate nova donas, plus Hercule praestas:
 O quantas grates tibi nunc aget ille popellus
 10 Omnibus ex mundi collectus partibus, omnes
 In mundi partes et patria in arva reversus.
 Quippe iugo exemit rursus, et produxit in auras
 Assertrix virtus tua, quos Geta durus habebat
 Solis ab occasu solis celebrabere ad ortum.
 15 Iam nunc virtutemque tuam dextramque potentem
 Christiadae agnoscent late, Mavortia pubes
 Suspiciet ceu semideum: tu strenuus armis
 Omnibus es Turcis dolor, omnibus hostibus ipse
 Romani imperii pallor; te Sarmata, Moschus,
 20 Discet Arabs, omnes discent Garamantes et Indi
 Antipodes: quantum possit Schwartzbergia virtus.
 Quam rumore axis celebrabit uterque calenti.
 Quam primus metuet, quam horrebit et ultimus orbis.

5 multos Hung. multis

3 Unus qui nobis — Enn. Ann. XII. frag.; Verg. Aen. VI, 846; Macr. Sat. VI, I, 23
 6 velut Andromeden Perseus — Hyg. Fab. 64

25 Quam Mavortis opus canet inter quisque labores,
 Qui velit esse suos feliceis: ergo litabit
 Saepius huic, positisque altis Schwartzbergius aris
 Sublimeis inter divos numerabitur olim.
 Te, nomen laudesque tuas post nulla silebunt
 Saecula: nemo tuos Mars anticipabit honores,
 30 Dum vehet Ister aquas, Arabonis et auctior undis
 A sole occiduo, solis volvetur ad ortum.
 Palmareisque viros vinces heroas et omnes
 Aeacides, dextra, ingenio tibi cedit Ulysses;
 Mente Solon, Brutus studio aequi, Daedalus arte;
 35 Viribus Alcides, Aeneas laude, Camillus
 Armis vindicibus, Cato moribus, ore Pericles.
 Tu Pylios aequato dies modo et auspice Parca
 Corporis exsuvias in sera reponito busta.
 Ipse tuas laudes tuaque inclita saepe fatebor
 40 Facta meo versu: tu nullo indictus abibus
 Carmine, cum vates heroum encomia scribent,
 Ut coelum accedes, hic laudum terminus esto.

411

Monstrum Varadini natum

Aspice quisquis ades lector: Varadinia monstrum
 Hoc mulier peperit. Foemina, masne? refer.
 Omnia naturae quod eant praepostera, cernis,
 Ah tantum cernis, vane homo, vana patras.
 5 Visne interpretem agam? concreta haec bestia trux est
 Tartarus et Turcus: nos ea fauce sitit.
 Cernis, ut exsertet linguam canis instar anhelii,
 Nos anno hoc lepores, ille molossus erit.
 O bonitas immensa Dei! nos instar amici
 10 Praemonet, et miseros non cupit esse Deus.
 Et dubitamus adhuc vitam emendare scelestam,
 Supplice vel veniam voce rogare Deum?

Crede mihi, Lector (testor multos amicos, apud quos hoc epigramma),
 Varadino salvo et nihil adhuc metuente, praesagium hoc mihi scriptum.

V[iro] egreg[io] et integerr[imo],
D[omino] Stephano Peregio etc.

Rem laetam mihi nuntias, Peregi,
O sed sic mihi nuntias, Peregi;
Ne tot simplicium arcium triumphus
Unam rursus et alteram triumphet,
5 Foenus lunigero sit istud hosti.
Quae nos laetificant, et illa possunt
Securos adeo illius vicissim
Moestos reddere. Quid praeivit? arceis
Quum nobis Geta principes ademit,
10 Iaurinum ac Agriam; duas salutis
Nostrae ac imperii Ausonis columnas.
Est virtutis opus pol illud ingens,
Arceis eripere octo et id diebus
Solum octo: ac retinere semper arceis
15 Tot, divinum opus et labor beatus.
Mox factum cito disperit, Peregi.
Verum o mentiar et siem poeta,
Tu sis veridicus, precor, propheta.

413 Spectabili et Magnifico Domino, D[omino] Francisco Dersfi,
Caes[areo] Consil[iario] L[ibero] B[aroni]
et Comiti Supremo Comit[atus] Saaros

Magne comes, noster quem caesar et aula Quiritum
Eximia merito laude coronat, ave.
Maximus has rursus quia terras Aemilianus
Ingreditur, nostrum plaudit ovatque solum.
5 Cumque solo coelum, coelique elementa triumphant,
Pro duce quisque suo iam pia vota facit.
Vult Deus orari, nobis victoria cedat,
Princeps lunigeros vincat ut iste canes.
Quae res grata Deo, plusque efficit ense, profectae
10 Si sint ex animo fervidiore preces.
Me quoque moverunt haec publica iubila, chartis
Gratulor his tanto prospera quaeque duci.
Eius cum lateri, Baro tu celeberrime, semper
Sis bene persona proximus ipse tua.
15 Hos, rogo, votivos illi tu porrigere versus,

Ut lector Musae sit, velut ante, meae.
Rex Macedo in castris dignatus honore poetam est,
Dux qui digna gerit carmine, carmen amat.

414

Ad Serenissimum et Illustriss[imum] Principem
et Austriae Archiducem, D[ominum] Maxaemilianum,
tertium in Hungariam Sup[er]iorem] advenientem

Salve iterum Hungariae spes optima, gloria sceptri
Et laus Romani florida Marte throni.
Rex votis, princeps terris et origine caesar,
Praecipue Austriaci, dux generose, soli!
5 Cum tibi gratentur coelumque solumque, Camoena
Nostra tacere sibi dedecus esse putat.
Tu facis, ut nostras vox laeta perambulet urbes,
Nosque magis toto reddit in orbe pios.
Per te quisque suis castis advolvimur aris,
10 Quisque Deo certas expedit ore preces.
Nam te prompta licet durorum fracta tot annis
Hungara bellorum sit satur ora, capit.
Sperat enim tempus, duce te, quoque dulce futurum,
Cesset ut hoc nostro Martius orbe furor.
15 Tu modo Romani quia nomine caesaris istas
Sceptrum per terras convenienter habes.
Maxime nos Scythicum contra Aemiliane tyrannum
Assere, quo possis, te regat ipse Deus.
Accipies etiam tu praemia summa vicissim,
20 Quando tibi grates vesper et ortus agent.
Te canimus vivum, sed post celebrabere sidus,
Inter honoratos coelite fronde duces.
Aspice, vota ferunt tibi numina quinque, benignas
His aures faciles porridge, dive, tuas.

415

Prudentia

Regia progenies, magno sate caesare, princeps,
Hunc a caesareo qui geris arma throno,
Cara mihi soboles, cauteque sceptrum gubernas,
Et quodcunque facis, mente sagace facis.
5 Vaticinor passim tua cum prudentia mundo
Nota sit, a Turcis laeta trophaea feres.

Tu modo de speculo casus, velut ante, futuros
 Prospice, sint dextrae tradita lora tuae.
Contrahe, quando opus est, vel da sua carbasa ventis,
10 Quod facit aequoreis navita rector aquis.
Sicut et in portu placidam dein confice pacem,
 Munere sic fueris functus in orbe tuo.
Felix imperium, felix res publica, princeps
 Quam prior expertus pace sagoque regit.

416

Iustitia

Salve vera patris Maxaemiliana proles,
 Quam fas, quam Themidos iura sacrata iuvant.
Iustitiae leges atque aurea scita tueris,
 Alter ut haud aequus te magis esse queat.
5 Res est digna piis ducibus, non priva, sed armis
 Omnia pro populi ferre salute sui.
Ergo age, cum princeps sis servantissimus aequi,
 I contra iniustos fortis atroxque Getas.
Ipse favet iuris custodibus Arbiter aevi,
10 Latius imperium proferet ergo tuum.
Ito bonis avibus, claris rediture triumphis,
 Crescat ut in mundo laus tua, crescat honos.
Causa tua est melior, iustam qui belliger armis
 Causam habet, is certus victor abire solet.

417

Clementia

Optime dux salve: salve, in quo nixa recumbit
 Maxima Pannonici cura salusque soli.
Mira tibi virtus, pietas est mira, superbos
 In miseros quoties cogeri esse ferox.
5 Tale tibi ingenium natura creavit, ut irae
 Sis patiens, longum lenis iniqua feras.
Digna duce est virtus clementia, solaque numen
 Quae facit ac homines hoc super orbe deos.
Eia igitur, princeps, has ingredere, optime, terras,
10 Maximus hoc fias nomine reque solo.
Esto pater patriae, verissima gloria surget

11 Esto pater patriae — v. 403 29

Huic porro titulis addere sueta tuis.
Iam tua quo virtus vocat, i feliciter audax,
Infer atrox rabidis aspera bella Getis.

418

Fortitudo

Ergo redis nostras, princeps bellator, in oras,
Cuius ad imperium caesaria arma tremant.
Non te mollities ingloria, turpia non te
Otia, sed Martis praelia dura trahunt.
5 Bella geris Turcas contra horrida, ferreus armis
Nomen ut aeternum nobile Marte pares.
Audaces Deus ipse iuvat, sors annuit illis,
Pro patria fortes quos iuvat esse viros.
Quid dubites, heros fortissime? fortiter ausis
10 Annuet omnipotens, qui regit arma, tuis.
Ipsa tibi, princeps, bellum inclyte spondeo felix:
Ipsa dabo castris fortia corda tuis.
Oro, tuum nomen, dux maxime, vertat in omen
Numen, ut in toto maximus orbe regas.

419

Temperantia

O decus, o famae merito pars maxima nostrae,
Tu quoque dux, nostri numinis esse domus.
Innuba ceu Pallas, validis quae praesidet armis,
Inclyte sic princeps, aemulus ipse deae es.
5 Castra placent superis, quae casta, nec aptior ulla
Virtus principibus dura per arma viris.
Quam dudum Macedo se vicit, vicit et hostem,
Se minor ut primum, tam cito victus erat.
Staret adhuc Troiae regnum, nisi turpiter ipse
10 Cum grege rex luxus perditus ante foret.
Haec mala perpendens, dux auree, perge severus
Aeternae custos esse pudicitiae.
Quanto quis magis est generosus corpore, tanto
In puro castas pectore servat opes.

2 nostri **Hung.** nosti

9 Staret adhuc Troiae regnum — cf. Verg. Aen. II, 56

Hungarici proceres

Quod felix fortunatumque sit omine fausto,
 Rursum intras nostrum, Maxmiliane, solum.
 Ut Martem et turmas princeps modereris equestres,
 Bellum et ab arbitrio pendeat omne tuo.
 5 Ante duas ipso pugnasti caesare messes
 Cum Scythico, numero flos ubi Xerxis erat.
 Sed qui res hominum dispensat, is obstitit ausis
 Fortibus, ut neutri pugna secunda foret.
 Iam tibi promittit nostrum felicia coelum
 10 Praelia, iam tandem prospera bella geres.
 Te duce, magnificos speramus ab hoste triumphos,
 Vel ditionis erit Thracidos ora tuae.
 Nos operam dare membra decet quoque bellica, nervos
 Mars tuus hic etiam possit habere suos.
 15 Nostra tibi semper famulabitur ardua tellus,
 Serviet ad nutum subdita turba tuum.
 Tu modo nos et nostra tuo complexus amore
 Non dubita, princeps fortis et esse bonus.
 Quos roseo peperit sibi quondam sanguine Christus,
 20 Propter eos dulce est vivere sive mori.

Gloria

Sic tua se claris attollat gloria rebus,
 Sic tibi laurigerae dent sua sarta deae.
 Fortiter has, vindex, rursum assere, maxime, terras,
 Omnibus hoc nervis, quaeso, tuere solum.
 5 Te quoque scripserunt Romana per astra Quirites
 Nobile iam pridem sidus in axe poli.

Vota

Maximus ingreditur terram Aemilianus in istam,
 Da, Deus, hacce Getes egrediatur humo.

423

Aliud

Princeps dive, tuas defendis et asseris oras:
Sospite enim regno, dux quoque sospes eris.

424

Aliud

Caesaris ecquid adest frater Maxaemilianus:
Numen id hoc nostrum sentit adesse solum.

425

Aliud

Ingredere, princeps hos optime, tertium in oras:
Perfectum hoc trinum faxit et ipsa Trias.

426

Aliud

Cur redit Hungaricum Maxaemilianus in orbem?
Omnia quo redeant, quae periere prius.

427

Aliud

Ingredere has felix, dux optatissime, terras:
Vivet ad ingressus Pannonis ora tuos.

428

In hospitio

Cui sunt mille arces, cui regia plurima, princeps,
Nil hac te pudeat iam tamen esse domo.
Herculis Euander, Iovis Hyreus numinis aedes
Excepit placidum, pauper uterque, suas.

Parva domus, tu Maximum habes sola Aemilianum:
Feliceis, divi quos adiere, Lares.

Ut a regnicolis munera clementer accipiat

Quas regnum exiguas dat opes, quae munera parva,
Maxime tu princeps, consule, quaeso, boni.
Accipiunt superi quoque thura minuta, voluntas
Prompta licet, nequeat si dare plura diis.

Ad Hungariam

Officium cognosce pium, gens Hungara, princeps
Sic te amat Austriacus, ceu gregis arva sui.
Thrax instat patriae: tamen hi placuere recessus,
Laudis ut aeternae sit tua compos humus.
5 Si proram puppimque tuae fers, terra, salutis:
Huic te dura lubens gens patiare regi.
Vos etiam proceres, vos caetera surgite turba,
Is vocat, armatos protinus ire decet.
Qui nisi vos promptos ad praelia ducat: in auras
10 Surget, et ignavos puniet ipse Deus.

De reditu tertio in Hung[ariam] Sup[er]iorem]
Serenissimi et Illustrissimi Principis ac Domini,
D[omini] Maxaemiliani, Archiducis Austriaci etc.
Ad Mecoenatem Gen[er]osum] et Egr[egium]
Dominum Christophorum Darholtz, de Fyntha etc.

A quo, Mecoenas, tibi venit epistola, princeps
Ille redux nostra nuper in urbe fuit.
Venerit huc qualis, tibi significare laboro,
Si fas, da Musae tempora pauca meae.
5 Ipse, per infirmos quia fors corporis artus,
Non comes adfueris laetus, ut ante, duci.

2 Feliceis Hung. Felicis

Hebdomas est hodie, cum primo solis ab ortu
 Quavis armatus debuit ire domo.
 Hinc lituis animata cohors deducitur extra
 10 Moenia, et a porta stat geminata phalanx.
 Est mora, venturus dux exspectatur, anhelus
 Dum sol aequoreas se prope mergat aquas.
 Saepius aetherei cum tandem arx alta Sarossi
 Fumat, et, Austriaco praetereunte, tonat.
 15 Horaque vix discedit, adest, stipante iuventa,
 Ipse, sedens niveo Maxmilianus equo.
 Perque acies intrat binas, quas nostra domatim
 Iusserat ad portam Curia stare gravem.
 Wirthius heic iudex prior excipit ore disertus,
 20 Civis fausta simul nomine multa vovet.
 Hinc pariter comitant, et moenia protinus intra
 Principis ora potest quisque videre sui.
 Excepere domo cives, et munere vini
 Tempore pro varias exhibuere dapeis.
 25 Moestior hospitio nobis dux vivus in ipso,
 Propter missa sibi nuntia laeta minus.
 Transylvanus enim, nostro qui scepra monarchae
 Marte suo dederat semper habenda, redit.
 Paucos ante dies cum servis quippe duobus
 30 Dicitur hac celeris tergo vectus equi.
 Sed facti quia forte suas habet is quoque causas,
 Iudicii non est iste vel ille mei.
 Maximus hinc variis dux Aemilianus amanter
 Reddere mansueto cogitur ore viris.
 35 Ille preceis coram, querulos dedit ille libellos,
 Nobilium et vulgi concio magna fuit.
 Contulit egregie cum principe multa Petaeus,
 Me dignum alloquio censuit inde suo.
 Mox Niareus heros, cui paruit Agria quondam,
 40 Se tulit ad vultus, Maxmiliane, tuos.
 Hungarici iuvenes, clara de stirpe ministrant.
 Se procereis inter saepe tulere soli.
 Meque sui quidam comes accersivit in aedes
 Hospitis, et stantem pone sedere iubet.
 45 Hinc, an Bocatius sim, quaerit, et ille poeta,
 Qui cecinit versu sobria castra suo?
 Huic ego: magne Baro, sic est, quem cernis, at illum
 Non cernis, qualem forsitan esse putas.
 Per caros aliquot sum nomen adeptus amicos,
 50 Qui quod ego non sum, me tamen esse volunt.

Vera fides pietasque viris, qui castra sequuntur
 Bocatii, docto reddit is ore mihi.
 Vivas, care mihi: posthac numerabere noster,
 Et commendatus iam mihi semper eris.
 55 Caesaris ora dein mihi donat, qualia mos est
 De collo magnis pendula ferre viris.
 Austriacaeque domus turmas qui duxit equestreis,
 Trautmansdorferi nobile nomen habet.
 Aurea pro misso mihi carmine dona remisit,
 60 Et genium versus dixit habere meos.
 Adfuit Hoffmannus, mea gloria, vespere sero
 In cuius coena proximus ipse fui.
 Altera vix tenebras aurora fugaverat ortum,
 Iam video cinctos principis esse pedes.
 65 Ursit iter, positasque prius consedit ad aras,
 Audiit et missam, ceu solet, ante suam.
 Tunc mihi pro scripto redduntur carmine grates,
 Responditque meis gloria summa metris.
 Porrexit dextram dux illustrissimus ipse,
 70 Ipse dedit propria munera flava manu.
 Donec plura redux dem laetior, accipe, vates,
 Dixit, et in celsum mox bene scandit equum.
 Haec tibi commemoro, quamvis, generose Darholci,
 Nota prius: felix tu quoque cerne ducem.

433

Mag[nifico], Generosissimo et Strenuo Domino,
 D[omino] Sigismundo Friderico Trautmansdorffio etc.
 Exercitus Maxaemiliani Archiducis Austriaci Capitaneo

Ergo iterum, generose Baro, te sistis in arma,
 Illustrasque suo nobile stemma sago?
 Maior ut evadas, nec Trautmansdorphia virtus,
 Gloria Stiriaci desinat esse soli.
 5 O res digna viro, magnae quem stirpis origo
 Et sua quem clarant Martia gesta foris.
 Quem puerum ingenuis iuvenemque instruxerat olim
 Artibus, hunc Pallas bellica scita docet.
 Quid docet? immo gravem iam dura per arma magistrum
 10 Fecit, ut armigeros dirigat ipse gregeis.
 Cernimus, ut scite turmas moderetur equestreis,
 Utque animet populos, Maxmiliane, tuos.
 Quam bene coniurant, doctum esse, et fortibus ausis

Pro patria trucibus bella movere Getis.
15 Quod Sigsmunde-Fridrice facis? qui nominis hosteis
Nunc in Christiadum dux bonus ire paras.
I, tua quo pietas te poscit et ardua virtus,
Perge tuum vere nobilitare genus.
20 Perge tuas, heros cordate, acquirere laudeis,
Quae geris, aeternum sunt habitura decus.

434 Cosaci cum Serenissimo et Illustrissimo Austriae Archiduce
Maxaemiliano in Hung[ariam] venientes

Quinam hi, villosos quos cerno vibrare galeros?
Horrida monstrosi quaenam ea turba caput?
Maura gerit tergo suspensa pharetra sagittis,
Cur ita sessor atrox celsior urget equos?
5 Sunt etiam, tegitur queis ferrea canna, nec una
Forma, suo variant vestis et arma viros.
Dicere forte licet, bello genus acre, Cosacos,
Alite quos quadrupes cursu animare solet.
Tantus in arma furor genti est, ut pondere fracti
10 Sint nisi, tormentum quod iacit ore globos.
Ut nihil adversi contraria tela morentur,
Trux peragant Martis, more leonis, opus.
Nil cruor emissus, nil terrent vulnera vivos:
Talibus haec fuerint bella gerenda viris.
15 Maximus hos igitur non frustra alit Aemilianus,
A quo larga gerit praemia fortis eques.
Pectora pectoribus vos aemula vivite nostris,
A vobis discant praecipitare moras.
Hoc si praeda potest, focus araque plura triumphet:
20 Suscitat et forteis plus bona causa facit.

435 Meo Ioanni Balogo

Quod fore praedixi, Varadinae bestia matris
Nonne duos hosteis Marte, Baloge, tulit?
Obsidione premit concreta ea bestia nostros,
Tartarus illa atrox Turcus et urbe furit.
5 Hercle, quid addubites? sunt praescia corda poetis,
Divisum vates cum Iove numen habent.

Ad Nob[ilissimum] et Egreg[ium] Virum,
D[ominum] Sebastianum Rosemannum,
Caes[areum] Epper[iessini] Veredarium

Rumor it, ad Budae quod moenia castra locarit
Schwartzenbergiaci fortia Martis honos.
Sed nisi tu, Rosemanne, tuo simul arma veredo
Videris ad Paesti flumina, falsus erit.
5 Credere rumori non est, qua belliger orbis,
Quae non visa suis, dicere visa solet.
Vera tamen de Iaurini prior illa veredo
Vox erat, huic famae sit quoque vera fides.

Ad V[iros] Nobiliss[imos] et Generosiss[imos]
D[ominum] Franciscum et D[ominum] Sigismundum
Mariassii etc.

Quo, Mariassidae fratres, par nobile gentis
Hungaricae, quonam iam capietis iter?
In bellum? sero est. Hodierna luce, sacrata
Maximiliano, anni praeteriere duo,
5 Turcica quando Agriam (proh) cepit bestia nostram,
Cum dedit Hungaricum maxima damna solum.
Forte dies etiam fuit hic fatalis, et arcem
Hostibus aut nobis rursus amica tulit.
Agria ubi caperetur, erat crudelior eurus,
10 Has oras contra durus et ipse notus.
Nunc Agriam contra boreas furit horridus; anne hos
Sic temere fieri nostra per arva putem?
Numen inest vati, vates hoc ominor, iste
Trux aquilo Turcis perniciosus erit.
15 Non igitur serum est, quod vos duo fortia Martis
Pectora, Christigenis iamque feratis opem.
Aere diu vestro non unus purpurat armis
Miles, et in profugos pergat abire Getas.
Vos etiam dominos pariter vocat ardua virtus,
20 Cum Scythicis coram belligerare lupis.
Ite viri fortes, quorum studet inclita facta
Gloria magnificis equiparare viris.

Dii faciant laetis nostram redeatis in urbem,
Ob reduces felix patria semper ovet.
25 Hoc ego conabor prece stratus supplice ad aras,
Pro vobis toto poscere corde Deum.

438 Consultiss[imo], Opt[imo] et Doctiss[imo] Viro,
D[omino] Michaeli Wirthio,
Iud[ici] et Not[ario] Epperiess[ini]

Luce quod Aeolidae faciant hac praelia fratres,
Quod furiant nostra corus et auster humo:
Causa subest, Wirthi, quod eadem Thracius eurus
Trux annos Agriam straverit ante duos.
5 Heu quanto nostras tunc murmure turbidus oras
Rupit et in lacrumas ire coëgit agros.
Ergo per arctos parilis violentia turmas
Iam Marte eorum sternat acerba solum.
Nobis atra fuit, sit lux haec atra vicissim,
10 Qua Niger in Budae trux modo monte furit.

439 Nob[ilissimo] et Prud[entissimo] V[iro],
D[omino] Petro Meltzero

Haec est illa dies, qua belli Maxmiliano
Praeside, in hosce ruit maximus horror agros.
Agria desperiit nostrae pars maxima terrae,
Quid, Meltzere, hodie forte perire potest?

440 Nobiliss[imo], Doct[issimo] et Amplissimo V[iro] ac Domino
Ioanni Crausio, XIII in Scepusio oppidorum Provisori etc.

Quae nova, vir generose, refers ex Hunnidis oris?
Si qua tibi soli credere iure queam.
Tam varie sparsit fallax mendacia vulgus
Hactenus, ut nulli fors sit habenda fides.
5 Ast tibi quum soli vel Thomas credere possit,
Quae nova tu, Crausi, vir generose, refers?

Viro Magnifico et Fortissimo,
D[omino] Godfrido Ribischio Iuniori,
felicissimo Varadini propugnatori

Prima renascentis per Martem gloria terrae,
 Strenua militiae Pannoniaeque salus.
 Slesidos o generis decus orae! palma Ribiscae
 Gentis! honos patriae! caesarianus amor!
 5 Gratulor, et merito reducem te propter in oras
 Has ego cum toto laetor ovoque solo.
 Salve, magne vir, o heros invicte! potenteis
 Quo duce nil Turcas Hungariae arva pavent.
 Cuius in extremas virtus se mascula terras
 10 Porrigit, ac triplex orbe pererrat opus.
 Nam tua narrantur generosi praelia Martis,
 Ut fueris duro fortiter ense gigas.
 Ante sat Herculeo te pectore saepe probasti,
 Armorum invicte suetus acerba pati.
 15 Non memoro, passim quam multos fuderis hostes,
 Quam tuleris victor clara trophaea domum.
 Sola Varadinae mihi nupera sufficit arcis
 Laus, animos nobis exhibet illa tuos.
 De qua nostra salus pendeat, fidus Achates
 20 Arcem servasti, dux animose, soli.
 Bresla tibi patriae quas credidit inclita turmas,
 Has moderabaris, Hector ut ille, manus.
 Tu propugnaclum te qualem gesseris intra,
 Constat et imperio res ea scripta sacro.
 25 Hoc duo consorteis, Niareius atque Rederus,
 Tum passim scriptis exposuere suis.
 Te tua commendat vigilantia, sedulus ipse
 Quod gravis excubias egeris, omnis ait.
 Quamque bonus porro dictis animaveris agmen,
 30 Usque forent domino pectora fida suo.
 Quamque viros ore exemploque erexeris, arma
 Ut ferrent cunctis semper honesta malis.
 Quamque dies noctisque truci stimulante Tomita
 Reppuleris contra masculus ipse Getas.
 35 Caetera si memorare velim, longa Ilias esset,
 Surgeret immensum vatis et artis opus.
 Quare paucarum tantum accipe munera laudum,

tit. Godfrido **Hung.** Godfridio

Ut possis voti iam memor esse mei.
Scis, tibi quid vates ista fuerim urbe precatus,
40 Quum tibi praerberet Curia nostra dapeis.
Pro te vota Deo feci, generose Ribischi,
Is coeli preculas audiit axe meas.
Nunc iterum reduci cum laude, virisque trophaeisque
Occino gratanti praelia fausta lyra.
45 I patriam, tibi prompta suos Budorgis honoreis
Servat, et est reditu Slesia laeta tuo.
Caesar et imperii proceres magnique dynastae
Reddent virtuti praemia iusta tuae.
Aut si mortaleis, benefactis arida gratis
50 Corda gerunt, merces est tua certa Deus.

442

Ad Nobilem et Egregium V[irum],
D[ominum] Sebastianum Rosemannum,
Caes[arem] Epper[essini] Vered[arium]

Rector, io, alipedis quidnam, Rosemanne, veredi
Grata tui a Paesto fama recentis habet?
Fac me certum, an sit: fertur Budam esse profecto
Nostram, estne? Istriculis ipse veredus ero.
5 Vix me fraeno, ferar quin, lictis omnibus, ultra
Danubium. O verum est? eloquere aut ferus es.

443

Hungaria gratias agit suo Regi, Rom[ano] Imp[eratori]
Invictiss[imo] Augustiss[imoque] Rodolpho II etc.
pro cura paterna et defensione

Gloria Romulidum veneranda, Rodolphe, parentis
Qui nos, Hungarias quos alit, instar amas.
Qui nos stricturis valide obiicis ensibus enseis,
Et quocunque potes Marte iuvare, iuvas.
5 Hocce solum, quod Thrax canis et trux Tartarus hosteis
Depopulant miseris exagitantque modis.
Tu spes nostra manes, te invicto caesare nostras
Non plane fractas esse fatebor opeis.
O tibi quas grateis referam? quae praemia tantis
10 Pro meritis reddam, dive Rodolphe, tuis?

Dii tibi dent annos animosque, ut victor ab oris
Maximus his referas laeta trophaea domum.
Graecia te dominum Byzantia et unda salutet,
Dediscat Scythicum Thracia ferre iugum.
15 Dii dent possideas, iuncta Germanidi terra,
Quae ferus in curvo permeat ense Getes.
Dii dent, sera tuo grateis Ecclesia Marti
Cantet, et aeterna laude fruare polo.

LIBER HUNGARIDOS SECUNDUS ENCOMIASTICA DICTUS

Lector Benevole!

- 1 Moneo te rursum, sciens ut sis, cur huic secundo libro titulum fecerim: enco-
miastica. Tene: quia depraedico bonos, stringo sub nominibus fictitiis malos.
Nosti rhetorum hoc institutum: in demonstrando sunt ἐγκωμιστικὸν et
ψευκτικὸν, per illud et hoc intellego. Mecum etiam facit Aristoteles, ubi: omnis,
2 inquit, oratio poetica vel est laudatio, vel vituperatio (Lib. I. Poe.). Causam
quaeris? Cicero pro me reddit: Omnes bonos trahi studio laudis. (Nam mali, cum
laudanda non faciant, neque laudari cupiunt, ut sentit Plinius.) Haec est illa
Helena, pro qua sudatur, pugnatur; haec ad τὸ καλὸν et virtutis arcem impellit;
haec laudibus vel alienis inflammat; haec rerum praeclare gestarum custos
aeterna; haec veritatis et iustitiae filia; haec merces et praemium laboris; haec
3 πάντων ἡδιστὸν ἀκουσμα, sicut apud Xenophontem ipsa dicit. Quare malos non
laudem, accipe. Qui falsis elogiis nebulonem ornat, nequior est, quam qui vere
pessimum reprehendit. Illos igitur austere taxo. Et cur non? Theologo licet voce
vel in personas debacchari: quare poetae versu non in vitia, crimina, scelera.
Nonne et nos theologi? Immo. Per officium ergo tenemur Θεοῖσι καὶ
ἀνθρώποισιν αἰεῖδειν, de principis nostri, Homeri sententia.

licuit semperque licebit

Parcere personis, dicere de vitiis.

- 4 Hinc tot satyrae; tot comoediae; tot tragediae. O Taure, Bubale! (funesta
compello nomina) desinite criminis, ut desinam carminis, sed dentati. Vos tamen,
Aeneae mei, non ideo vobis, ut Suffeni, placete; vos, Atimi, non excandescite.
Saepe, qua laudo, moneo; qua vitupero, praecaveo. Adulari Gnathonice non
5 sum ego doctus. Placere alicubi videtur mea Musa: affabilis est; non simia, non
gemma, non umbra, non vipera, non cicuta. Laudet, qui volet

Sermonem indocti, faciem deformis amici.

1 omnis . . . poetica — Arist. Poet. 1448b 24—27

2 Omnes bonos — Cic. Pro Arch. 11, 26 / ut sentit Plinius — Plin. Sec. Panegy. 56 / ipsa dicit —
Xen. Mem. II, 1, 31

3 Homeri sententia — Od. XXII,346 / licuit — Hor. Ars p. 58; Mart. X, 33, 10

5 Sermonem indocti — Iuv. III,87 / asino in pelle leonis — Avian Fab. 5

Ego nolim asino in pelle leonis ἄλογον tribuere λόγον. Vos Myosobas, vos
Glossogastoras decet κέρκω σαίνειν. Iam tu perge, perge, non te poenitebit,

Lector Benevole.

76

Sed tu, livor edax, odio licet ilia rumpas,
Carpere vel noli nostra, vel ede tua.

444

Ἐποστροφὴ
ad Viennam Viennae scripta

Salve urbs, heroas inter numeranda, nec unquam
Qua stante Europam posse perire rear.
O decus, o divum genetrix, celeberrima regum
Patria, principibus caesaribusque domus!
5 Pergama miretur, qui vult, Romamque vetustam
Concelebrent prisci, scripta moderna novam.
Ast ego virtuteisque tuas fabricasque referrem
Daedaleas, fieret si modo pace tua.
Auspice te Musa ferrem sublimibus astris,
10 Si nostro virtus carmine tanta foret.
Tu quoque doctorum cantata tot oribus oras
Per mundi cunctas et celebrata satis.
Iam scripsere diu magni tua praelia vates,
Historicique canunt fortia gesta viri.
15 Ut quondam, totas in te quum Thracia vireis
Urserit, ante tuas castra locarit aquas.
Mentis habes celsae quae robora, prompta laboreis
Pertuleris flagrans obsidionis onus.
Si tunc cessisses hosti, belli inclita proles,
20 Iam trux Germanos Turcus araret agros.
Austridos ora tibi debet, Germania debet,
Totaque Christigenis qua iacet orbis iter.
Te, qui terrarum gerit ardua sceptrum, Rodolphus
Cum tribus, ut matrem, fratribus usque colit.
25 Te sacrum imperii robur septemque viratus
Fortius exstructam muniit aere suo.
Te rerum domini, tot regna illustria norunt,
Legatos quorum semper habere soles.

8 pace tua — Terent. Eun. 466; Cic. Tusc. V, 5, 12; Tibull. II, 5, 105; Catull. LXVI, 71; Prop.
III, 20, 4

Te rex Hispanus, te Persis et Itala tellus,
30 Hunnus, Belga, Scotus, Sarmata, Turcus adit.
Hinc tua per cunctas florescit gloria terras,
Hinc arcis divae moenibus instrar habes.
Clara Vienna, Vienna tuas porro exsere laudeis
Latius! ut possis, te regat ipse Deus.

445

De Posonio, Posonii tum igne laesi

Clara tuos, Presburga, Lareis quo tempore passim
Flamma vorasset edax, tua moenia forte viator
Aspexi indoluique, furens quod Mulciber urbem
In tantam laxis sese immisisset habenis.
5 Quando igitur factum est, fer, Posonis inclita, silvas
Consule vicinas ac pegmate saxa resarci.
Hospita conciliis de tecta et fornice structo
Indulge hospitio, quum te hoc dignetur honore
Caesar, et heic gravium coëant commercia rerum.
10 Primitus heic mactare gerenda negotia regum
Concio dum soleat procerum legataque turba
Nomine quisque suas domino proponere causas.
Iam video properare Getas, obnixa laborat
Pannonicas turbare iterum Thrax Marte cohorteis.
15 Iam video, nostri te caesaris ora salutant.
Prompta viros capias, quos in medium optuma coram
Consulere et pacis vel commoda quaerere belli,
Urget atrox hostis, pro nostro errore flagellum
Turca, datam servare fidem cui flexile cor est.
20 Pulcrum est, nec sine laude, solo placuisse frequenti
Nobile Posonium! tua moenia, rege creato,
Cum rege accipiunt ipso floremque decusque
Totius Hungariae, qua sacramenta tyrannus
Accipit, inque viceis iurat per sacra, patronum
25 Se fore, non desertorem. Se corpora credunt
Tunc fidei praeclara tuae; mundi immo potestas
Unica, Romani late arbitra gloria sceptri.
Austriadae heic quoties faciunt suffragia fratres?
Tota cient nostri solemniter agmina regni
30 Caesaria de stirpe sati, germana Rodolphi
Corda huc accersunt, veniunt et primula in urbem.
Arx quoque te clarat, quod vertice sidera pulsat,
Teque tuosque infert pariter sublimibus astris.

35 Addo, quod et virtus tua vivida nota per oras
Est omneis, et in ora virum te prima caballis
Gloria candidulis vehit ad confinia mundi.
Flore tuo clara es passim! Respublica felix
Sancta magistratus de more parentis honorat
40 Numina, par animus, par est concordia vulgo.
His laetare bonis, urbs regia, maximus aevi
Conditor ipse tuos defendat ab igne Penateis,
Ac tua sint, faxit, posthac felicia secla.

446 Per Tirnaviam iter faciens, anno 1592

Inclita Sambuci Tirnavia patria, salve,
Quam Romae rebar moenibus esse parem.
Omnibus es terris unum sat propter alumnum
Nota, feras taleis post quoque, quaeso, viros.

447 De eodem in eadem

Hungaricam tuleris, quoniam, Tirnavia, Musam,
Quando triumphator fors tuus ille foret:
Iure etiam vel propterea tibi parceret hostis,
Pindaricos voluit qui sibi stare Lares.
5 Si quid frontis habet, si quid pietatis, et ergo
Deberet rigidus parcere Turca tuis.

448 Aliud

Urbs es parva quidem, si recte cerno nec arceis
Praecipuas inter nomen habere meres.
Ast unum propter Sambucum gloria summa es,
Hoc tu Pannonibus, quod sua Roma Italis.

449 Cassoviae

Martia belligeros, Cassovia, nota per Hunnos,
Regia, quae nostri scepra tuere soli.
Quae nos hasce potens defendis et asseris oras,

Totque geris porro fortia corda virum.
 5 Urbs mihi materies quam tu gravis una poetae,
 Si quid ego possem carmine, sola fores.
 Parva quidem tractu, sed nomine sparsa per omneis,
 Egregio vasti qua iacet orbis iter.
 Abs te pendet humus, quam late fulget in armis
 10 Dedita caesareis, Martis alumna, cohors.
 Non reliquas urbeis amissas esse fatebor,
 Tu donec nobis arbitra sospes eris.
 Prima sciens belli dominaris et Hungara pubes
 Servit ad arbitrium, ponit et arva tuum.
 15 Nil sine te, nil laude tua sine caetera possunt
 Agmina, virtuti consociata tuae.
 Quando iubes, pedites turmaeque moventur equestres,
 Te proceres regni caesaris instar habent.
 Imprimisque tuis clares heroibus, orbem
 20 Passim per totum praepete laude volas.
 Est tibi dux, qui summa gerit moderamina rerum,
 Subiectis parcit, corda superba domat.
 Regis ei Hungarici quum sit concessa potestas,
 Se dominum, immo patrem, pro bonitate probat.
 25 Magne senex, nostrae caput urbis et orbis, Erynnin
 Qui Geticam felix Marte sequace premis.
 Dii, Teuffenbachi, faciant tua praelia late,
 Aeternent nostros, inclite victor, agros.
 Sola gubernandi coepto sis regula bello,
 30 Sis sumus auspiciis prospera turba tuis.
 Vos etiam Camerae queis tradita regia fornix,
 Consilium ore seni suppeditare decet.
 Hoc, Hoffmanne, tui sit muneris atque tuorum;
 Quem pia Sophrosyne virgoque iusta regit.
 35 Moenibus estis honos quoque vos, heroica corda,
 Quos, nisi bella flagrent, heic residere iuvat.
 Tu florequae valeque, precor, Cassovia, posthac
 Praeco tuae laudis carmine semper ero.
 Fida favore patrona tuum me respice vatem,
 40 Quum soleas doctis ante favere viris.
 Se quoque vel cythara Mars ornat Apollinis, armis
 Musica praeclarum saepe fuere decus.

Ex labore gloria

Si labor et sudor praecedit et ardua virtus,
 Prompta solet tandem gloria sponte sequi.

Ad illustrem et magnificum Dominum,
 D[ominum] Christophorum Teuffenbach,
 Consil[iarium] Caes[areum] et Capit[aneum] B[ellicum]
 in Hung[aria] Sup[er]iore] G[eneralem]

Sicut Alexander, cum nummum posceret, urbem
 Magnifica cuidam pro bonitate dedit:
 Sic, generose heros, ubi nuper forte rogarem
 Paucula, mi iussu sunt data multa tuo.
 5 O rex ille fores, non urbs, sed certa fuisset
 Me regio dominum iam venerata suum.
 Magna decent magnos: Augustus, gloria vatum,
 Solus et Aemathiae dux mihi semper eris.

De eiusdem nomine

Per mare Christophorus Christum tulit ipse profundum,
 Nil horrens rigido monstra marina salo.

453 Mecoenati meo, Generoso, Egregio Nobilissimoque Domino,
 Christophoro Darholtz de Fyntha etc.

Cimbria quem iactat, dux solus et unicus ille est
 Teutonicae summus nobilitatis honos.
 Quod prorex Cimbris est Danicus, illud es Hunnis,
 Darholci, ingenio maxima causa meo.
 5 Sicut enim primas Ranzovius inter equestreis
 Iure tenet propter Martis et artis opeis.
 Sic ubi, iudicio veroque examine fretus,
 Personam expendo, flos generose, tuam:
 Tu mihi nobilium iam diceris esse virorum

7 Magna decent — cf. Hor. Epist. I, 7, 44

10 Praecipuus, gentis splendor honosque tuae.
 Nam licet haud teneas huius moderamina regni,
 Sed teneas arceis, praedia, rura, domos.
 Non es laude tamen minus illo dignus, equestri
 Sanguine quod cretus strenuus ipse vir es.
 15 Ut tibi nobilitas patrita sat esset, et armis
 Magna satis generi gloria lausque forem.
 Invigilas Musis, Graias Latiasque Camoenas,
 Et colis Aonios pace sagoque viros.
 Rara avis est ex nobilibus vir belliger, arteis
 20 Cui placeantque meae, cui placeantque suae.
 Tu tamen et proles Mavortia fautor et author
 Doctus es Aonio promptior ipse choro.
 Sane igitur voveo, quantum virtute mereris,
 Splendida nobilium purpura flosque, tibi.
 25 Sidere serus adi, felici sidere natus,
 Vir generose, domi, vir generose, foris.

454

Templum Cassovianum

Aspice, qui transis: nisi me trux flamma vorasset,
 Urbs eadem ferret, dic mihi, si qua parem?

455

In imaginem Serenissimi Austriae Archiducis, Maxaemiliani etc.

Si pietas, virtus, si pingi gloria posset,
 Hac parva tabula nunc ea picta forent.
 Ora etenim archiducis sunt haec gravia Austridos orae,
 Qui nunc Hatvanios obsidet ipse Getas.
 5 Salve, care Deo princeps, diis addite, salve,
 Maxime sic vultus Aemiliane geris.
 Tu sola ex aliis divi patris aemula proles,
 An pater, an genitus sis, dubitare facis.
 Vocem, oculos, moreis, membra omnia caesaris unus
 10 Filius es similis, cui supera astra favent.
 Adde, quod illius pietas virtusque secundum
 Nunc habet ingenium, dux generose, tuum.

10 splendor **Hung.** spendor

Vive modo, tua magna quidem sat gloria, toto
Incrementa tamen sumet in orbe decus.

456 In imaginem Illustriss[imi] Transylvaniae Principis,
D[omini] Sigismundi Bathorei etc.

Subnigra, Aristoteli si credere, forma coloris
Arguit illustreis pectore, mente, viros.
Comprobat hoc princeps, quem Transylvanus adorat,
Cuius et haec vultus pressa tabella refert.
5 Charta heroa quidem cepit, sed fortia tanti
Gesta procul toto principis orbe volant.
Caesar eum bello, quasi numen, uterque requirit,
Promovet ast sceptrum, dive Rodolphe, tuum.
Dent iuveni annorum plureis pia numina craenas,
10 Iazyges huic certe nullum habuere parem.
Vive diu, flos Bathoreae clarissime gentis,
Laude tua pleni vesper et ortus erunt.

457 In eandem

Cuius honos heic est? maiestas cuius? imago
Cuius? honorati principis instar habet.
Est igitur princeps, quo non laudatior alter,
Corde animisque suis fortior astra meret.
5 O decor imperii, quem Dacis et Hungara tellus
Non ducis, ast cari more parentis amant.
Quam tua pictoris mature illustria facta
Ora per et vultus exhibet arte manus.
Emicat ex ipsis tua virtus inclita membris,
10 Magnanimas doteis mystace, fronte geris.
De te Christigenum spes laeta perambulat orbem,
Vaticinor, primas gloria Martis eris.

458 Germania doctorum feracissima

Ausones et Galli, quos Musica castra triumphant,
Parcite censurae, pectora culta, meae.
Credere non possum, vobis commercia solis
Florida cum Clario rectius esse choro.

5 Cedite vos Itali, Galli vos cedite, doctos
Nostra viros etiam Teutonis ora parit.

459 Ad Generosiss[imum] et Nobiliss[imum]
Virum ac Dominum Christophorum Darholtz de Fyntha etc.

Sic me Christus amet, quum lecto hoc mane iacerem,
Augustus Caesar visus adesse mihi est.
Talis erat, qualem iam prisca numismata signant,
Fronde caput viridis, caetera simplus erat.
5 Cor mihi laetitia saliebat, et ora tuendo
Non poteram tanti me satiare viri.
Iam Maro, iam Naso, iam reliqua corda subibant,
Quis ille ingenium materiesque fuit.
Risit et admonuit me Phoebus, an, inquit, humatos
10 Iam semel in lucem posse redire putas?
Est tibi, sitque rogo, Augustus tuus, ille revectus
Hac sex candidulis luce redibit equis.
Omnis ab Augusto ceu surgit fama Maroni,
Sic tibi Bocatio caesar is unus erit.
15 Gratia, Phoebe, tibi respondeo: nonne Darholci
Hoc mihi Christophori fiet imago die?
Tu modo surge, ait is, nunc illius esseda cernes,
Bis tres velocis ire videbis equos.
Phoebus abit, quid ego facerem? mox linquo cubile,
20 Signa dat interea turris et aera sonant.
Dum moror, ecce venis, generose vir, atque volantis
Vix potui currus terga videre tui.
Sed video notas, quod iam divertat in aedeis,
Teque tuosque cito tecta subire domus.
25 Ergo mihi salve, vir praestantissime, salve,
O sis Augustus nomine reque meus.
Te Deus, ille Deus, qui scepra augusta Quirinis
Ipse dedit nostris, servet ametque diu.
Sortem hanc angustam quoque quondam augusta sequetur,
30 Pax fuit Augusti tempore et omne bonum.

*

Illustri, Magnifico et Cordatissimo Heroi ac Domino D[omino] Christophoro
Teuffenbachio — v. 177.

*

Salutatio sub adventum — v. 178.

*

Eidem a coena — v. 179.

*

Nob[ili] et Strenuo V[iro] D[omino] Iosepho Amman Equiti Stiriaco — v. 180.

*

V[iro] Rev[erendo] et Doctiss[imo], D[omino] Nicolao Blumio, P[astori] Bre-
gensis Eccl[esiae] — v. 181.

*

460

Generoso, Egregio et Nobilissimo Viro,
D[omino] Georgio Hoffmanno,
Caes[areo] in Camera Scepusiaca Consiliario principi

Macte vir officio, nostri cor dulce monarchae,
Quem decorant gravitas, moris et oris honos.
Qui potes inter tot curas dare tempora Musis,
Est medias inter scribere Martis opeis.
5 Namque tuis, notum est, humeris quam grande recumbat,
Quod parit in Camerae fornice Pannon onus.
O tibi quas memorem vires, quas pectore dotes?
O decus Hungarici stella Venusque soli!
Quin etiam historicos, fama est, te condere libros,
10 Turcica per nostrum gesta referre solum.
Illud erit praestans, quodcunque volumen in auras
Ediderit Musae vis generosa tuae.
Cum bene prodideris, quid fecerit ille vel iste,
Tam varie mendax desinit ire sonus.
15 Tu prae mille aliis expones consona vero,
Nam vidisti oculis praelia saepe tuis.
Fama levis volitat procul hinc in Teutonis oras,
Tota rudis belli spargere vana solet.

418

Vilibus a lixis quae credula dicier audit,
20 Excipit ac passim fabula vera canit.
Turba redux fingit non visa, et saepe quis intra
Hungaricum haud vidit Turcica pila solum.
Is tamen, ut mixtus fuerit crudelibus ausis,
Disserit et pugnae fert monumenta suae.
25 Sed tu, magne vir, Hunniacae nova gloria terrae,
Ceum passim fuerint omnia gesta canes.
Perge, tuos foetus expectant luminis aurae,
Thesaurum abscondi non patientur humi.

*

Clariss[imo] Viro Paulo Melisso, Comiti Palatino, Equiti Aurato, C[ivi]
R[omano] et P[oetae] L[aureato] — v. 93.

*

Eiuratio Bacchanalium — v. 94.

*

Michaeli Gentio Cracoviensi, abstemio — v. 90.

*

Votum meum — v. 92.

*

461 Propempticon V[iro] Doctiss[imo],
D[omino] M[agistro] Nicolao Gaebelio,
Suid[niciensi] Silesio, Iglavia Marcomann[orum]
ad Cremnicensium Hungariae Scholam gubernandum vocato

Ergo pios Iglae, praeceptor amate, Penateis
Linquens semotos pergis adire Lareis?
Qua Mahometa graves caedes, qua bella minatur,
Omnia qua foedo sanguine tincta madent.
5 Nec fera falcatae metuens insignia lunae
Tela propinquorum caede cruenta paves?

Nunquid amor stimulat Scythica tellure morari?
 An trucibus properas obvius ire viris?
 Setiger ut charitas, nosti, tueatur echinus,
 10 Ut tuto lateat turba novena loco.
 Nec retinere potest Stolshagius ille morantem,
 Cuius ob ora virum nota Camoena volat.
 Goltzius et longa tibi consuetudine iunctus
 Non tenet, ut sine te vivere credit onus.
 15 Vos igitur, quas Igla fovet montosa, Camoenae,
 Edite luctisonos ore gemente modos.
 Quem modo vidistis docuisse fideliter arteis,
 Avocat a vestra cultus Apollo schola.
 Ingenio quantum valeat, quas pectore dotes
 20 Exerat, in seriem condere grande foret.
 Dicite vos Charites blandae, vos dicite Musae,
 Profluat illius quantus ab ore lepor.
 Tu quoque, nam pubes gustasti Phocidos undam,
 Qualia, dic, illo praeside dona feras?
 25 Te docuit Graiae mercem Latiaeque loquelae,
 Et quicquid sophiae mysticus orbis habet.
 Gratia quae tanto possit pro munere reddi?
 Talia quis valeat pendere lance pari?
 Sed fateor, nemo, quotquot sol aspicit axe,
 30 Pro meritis novit reddere digna tuis.
 Scilicet ingenuis iuvenum qui pectora formans
 Artibus, Aonium culmen adire docet.
 Ac nos in lucem qui progenuere parentes,
 Non capiunt meritis praemia digna suis.
 35 Et licet, ingratus mundus non tale rependat,
 Attamen hos caelis dona superna manent.
 Dumque tibi mens est abeundi, docte magister,
 Quo te parentem fata Deusque vocant.
 Accipe versiculos vultu, precor, hosce benigno,
 40 Nempe Maroneo carmine dignus eras.
 Nec, mihi quae stillant tenui modulamina rivo,
 Cepta voluntatis respice, quaeso, bonae.
 I felix, noster dum spiritus hos reget artus,
 Non potero semper non memor esse tui.
 45 Quis licet (heu) terris Mahometus proximus adsit,
 Et saevi mittant noxia tela Getae:

12 ob ora virum — Enn. frag.; Cic. Tusc. I, 15, 34; Verg. Georg. III, 9

43 dum spiritus hos reget artus — Verg. Aen. IV, 336

Hunc tamen, ut nostris cervicibus impius instat,
 Efficiet tandem vertere terga Deus.
 Ceu fovet extensis pullos gallina sub alis,
 50 Vultur ut haud ulla parte nocere queat.
 Sic Deus est solitus certis servare periclis,
 Qui supera pendet de bonitate, gregem.
 Nec fictos cultus rebus veneratur in arctis,
 Nec colit Ausonii dogmata falsa lupi.
 55 Sed te, gnate Dei, cuncto discrimine solum
 Spem vitae statuit praesidiumque suae.
 Has adeas igitur fatis felicibus oras,
 Aspirant coeptis aura Deusque tuis.
 Neu metuas multo stipatum milite Turcam,
 60 Neu Scythica noceant de regione Getae.
 Nam Deus ipse suos servans crudelibus ausis.
 Obstat, et hoc nulla sorte perire sinit.

462

Valetudini, ob Mecoenatem
 V[irum] Gen[erosum] et Nobiliss[imum]
 Christoph[orum] Darholtz etc.
 eluctatum ex gravi morbo

Salve festa dies, meum patronum
 Quae reddis modo publice videndum.
 Quem rursum haud merito imbecilliozem.
 (Ut rumor mihi dictitabat ore,
 5 O mendace) iterum artis aegripellae
 Usurpare domi cibos putaram.
 Et quem rector equi incitatoris
 Invisurus eram, meis loquelis,
 Ut paullum domino diem levarem.
 10 Nam vox saepius est levamen aegris.
 Salve festa dies, meum patronum
 Reddis, aureolum meum patronum.
 O salus, o Hygeia, o medentum
 Quotquot estis, huic meo patrono
 15 Indulgete valentulos recessus,
 Flori huic nobilitatis optimoque,
 Qua se natio congregat bonorum.
 Et tu salve, ave et o vale patronum
 Sole, o optime, in hoc solo meorum.

421

In officium Nobilis[simi] et Praestantiss[imi]
 virtute et eruditione Viri,
 D[omini] Casparis Franci, Rat[ionarii] Lat[ini]
 in Reg[ia] Cass[oviae] Camera Magistri;
 Teutonice Buchhalter

Caesaris ut custos asserves, France, libellos,
 Est iure officii pars operosa tui.
 Ipse vel es totus doctorum cella librorum,
 Qua posuit sedem Pallas et ipsa suum.
 5 Hoc si musaeum mihi coram habitare liceret,
 Vera fores Musis bibliotheca meis.

Origo verae nobilitatis

Quinque stat hic mundus iam mille, sed addito septem
 Quinquaginta annis, hoc fuit ante nihil.
 Stelligeros coeli tunc nemo decemplicis orbeis
 Axe notans veros fudit ab ore sonos.
 5 Non circumfuso magni stans aëre mundi
 Terra globo similis grande pendit onus.
 Solus at omnipotens Deus, aeternusque bonusque,
 Has prudente opifex mente tenebat opes.
 Illi cum placuit rerum causam esse novarum,
 10 Voce poli atque soli tam grave finxit opus.
 Omnia bis trino, sine origine, sole creavit,
 Quae iam ter gemino numine solus habet.
 Materiem lucis, coelos, cum flumine terram,
 Sidera, aves, animae claustra salo inde solo.
 15 Plena meae bonitatis, ait, sunt ista, quiescens
 Nunc ego iucundae tempora pacis agam.
 Dixerat; alta petit, dominari ut in omnia possit,
 Summus et aetherea legit in arce locum.
 Caetera sunt hominum subiecta potentibus armis,
 20 Orbe ferae, volucres aëre, piscis aqua.
 Hi dominis ultro rerum parere laborant,
 Ac dant in teneras aspera colla manus.
 Sanctius unde genus pro libertate gerebat
 Sceptra, nec alterius sceptrum iugumque tulit.
 25 Libera sed veluti mens est et imago creantis,
 Haec sic auctoris mens referebat opus.

Facta modo fierent divinis consona verbis,
 Iussit, at in reliquo muneris esse sui.
 Unus erat status, et serpebat hic ordo per omnes,
 30 Ornati dono qui rationis erant.
 Non honor aut lucrum peperit, non curia curas,
 Non inhonesta gravis venit in arma furor.
 Aurea simplicitas regnabat, et hospita recti
 Tellus, rixosi nescia turba fori.
 35 Non perae horrendos aliquis tunc praetulit enseis,
 Per loca cum faceret plena timoris iter.
 Cur et enim vel opes, vel opum scelerata cupido
 In varios hominum posceret ire dolos?
 Omnia quippe dabat mater sine vomere tellus,
 40 Nectaris hic ibant, flumina lactis ibi.
 Antra domos, molleis praebebant gramina lectos,
 Lana rudis vestes, quaelibet herba cibos.
 Non ita lanificae properabant fila sorores,
 Sera sed annosos abstulit hora senes.
 45 Praelia vicinos poscebat in ardua nullus
 Miles, in hostili nemo cadebat humo.
 Nulla feram tellus genuit, neu flumina cladem,
 Conscia perpetui rura fuere boni.
 Arma viro coniux redeunti nulla resolvit,
 50 Loricae soboles oscula nulla dedit.
 Non ducis imperium per aquas, per saxa, per ignes,
 Turmas aut volucres ire iubebat equos.
 Dulcia non aliquem iusserunt praemia, capta
 Primus ut audaceis ferret in urbe manus.
 55 Nemo tunc titulos, nemo diadema gerebat,
 Namque parens natis rex erat ipse suis.
 Non humili repens aliquis de pulvere, factis
 Et virtute sua, sustulit orbe caput.
 Nautica non sylvis pinus violata securi,
 60 Mercibus aequoreas carpsit onusta vias.
 Fraudibus ut nemo nummis inhiabat avarus:
 Omnes iustitiam sic coluere deam.
 Ut sua, quisque tenax aequi, intentata sinebat
 Commoda, sic aliis commoda plura tulit.
 65 Non aliquis rudibus persuasit iniqua, loquendo
 Arte nec Aonius mons fuit aut Helicon.
 Serta nec Ascreae donabant laurea Musae

33 Aurea simplicitas — cf. Ov. Met. I, 89 sqq; Lotich Ecl. IV, 12 sqq; Paling. VIII, 435 sqq.

Vatibus, aeternos neu genuere viros.
 Donec paulatim nequam venientibus annis
 70 Peior et in vitium promptior esset humus.
 Multa mali facies regnaret, et obvia passim
 Arma armis fierent, triste minata scelus.
 Castra moverentur populis hostilia, missi
 Sanguinis in sacro curreret unda loco.
 75 Hospes et hospitibus non parceret, ipse parentis
 Filius horrendae dederet ora neci.
 Mortalesque suis certarent viribus omnes,
 Cresceret effrenae gentis in orbe furor.
 Ecce feros pietas astrinxit legibus aequis,
 80 Coelica composuit virgo balance modum.
 Ut funesta trucis cognorat semina Martis,
 Sustulit ex ista conditione moras.
 Excitat infandum genitrix Bellona duellum,
 Sylvae, prata, nemus, classica dira sonant.
 85 Mulciber hic gladios, hic spicula tincta veneno
 Format, et horrendis ictibus arma facit.
 Unde catervatim vidisses ire phalanges,
 Ferreus in campis fulget ubique nitor.
 Incipiunt fera bella geri, per viscera gentum,
 90 Huc scelus innocua cum pietate ruit.
 Ventum est ad pugnam, violentia turbine versat
 Corpora, quae prima millia caede replet.
 Hortatur socios Astraea, nec ipsa moratur,
 Instat et imbelles in fera corda monet.
 95 Turba suas citius bene consulit impia vireis,
 Opponitque novas Marte vel arte faces.
 Fortis utrinque manus, sed iam trepidare cohortes
 Hae magis atque magis: pars timet illa minus.
 Aurea sed pietas mediis in millibus ardet;
 100 Iam prece, iam pretio poscit adesse suos:
 Maturate viri, sit qua datur ardor in hostes,
 Te generosa cohors praevaluisse sinas?
 Fortia vos duris opponite pectora rebus,
 Credite, res melior causaque pandit iter.
 105 Ut primum cupidam sors me statione locabit,
 Praemia pro meritis digna feretis, ait.
 Non mora: tela volant, nox ingruit atra globorum,
 Eripitur clarus, nube volante, dies.
 Hastarum exoritur strepitus, bombardam per auras
 110 Plurima, Vulcano saepe micante, tonat.

Fit spatium, tellus, steterat qua densa virum vis,
 Plena cadaveribus, sanguine plena rubet.
 Terribiles animant litui sonitusque tubarum,
 Ingentem velox aethera clamor adit.
 115 Exanimata suas perdit pars altera vires,
 Efferus unde probum dux cadit ante ducem.
 Post in reliquias fortuna vel impetus urget,
 Non, aliquis maneat spiritus ossa, sinit.
 Hoc virtus cupidis optaverat inclita votis:
 120 Hoc novus aeterno tempore laudis amor.
 Clara triumphatas poscit Victoria palmas,
 Vox, tuba, musica, plebs, laeta trophaea canunt.
 Colligit exuvias merces, violataque tollit
 Corpora, quae gelido cespite busta tegant.
 125 Iustitiae laetas generant praecordia fibras,
 Unde dabat populis talia dicta suis:
 Macte nova, generosa cohors, virtute tulisti
 Fortis, inoblito pectore, Martis onus.
 Ut mecum diros cohiberes clade latroneis,
 130 Ne scelere ipsa suo terra repleta foret.
 Sed pietas nostro virtusque superstes in aevo,
 Semper honorandis viveret alma comis.
 Quisque suos coleret cum libertate Penates,
 Grata solo fierent munera, grata polo.
 135 Quae tibi pro tantis nunc reddam praemia factis,
 Quae par est meritis gloria quanta tuis?
 Auxero divitiis, non auxero laude perenni,
 Vester et exiguo tempore vivet honos.
 Non sic aeternum, non omnes vivitur annos,
 140 Non hae sunt longae posteritatis opes.
 Sint meliora viris, multo meliora merentur,
 Sic ait, et cunctos nomine laeta vocat.
 Cumque triumphalem conscenderet aurea currum,
 Ipsa legens oculis agmina tota suis.
 145 Splendida lustrabat gladios hastasque suorum,
 Quaeque magis cuspis facta fuisset hebes.
 Magnificos iusta pensat mercede labores,
 Laudat, ad emeritam provocat omne stipem.
 Accipit argentum, fulvum plebs accipit aurum,
 150 Quisque suo gradiens munere laetus ovat.
 Nemo levis, nemo bene non dotatus abibat,
 Hic plaustro, hic pulcro repit onustus equo.
 Ille redivit rutila vestitus corpore palla,

Ille gerit, magnos quae decuere duces.
 155 Praeterea mediis in millibus optima virgo
 Eximit, et multos ex grege pone legit.
 Mascula vos, inquit, virtus aequavit Olympo,
 Mille manus caedes, vulnera mille dedit.
 Ergo prae reliquis maiora feratis, honores
 160 Ut possint vestrum condecorare genus.
 Fortiter ut claro se pandant aethere gesta,
 Ut videant omnes haec monumenta dies.
 En haec in clypeo tua sint insignia: fortis
 Miles, hic educto verberat ense polum.
 165 Te leo conspicuum faciat, tibi Gryphes, at armis
 Quae gladium vibret, lynx stet acuta tuis.
 Accipe tu nigras magnas quas Iupiter alas
 Diligit: haec tibi stet dulcis honore seges.
 Tu gere magnanimos, gladiis rutilantibus ursos;
 170 Tu cape currentis dulce putamen equi.
 Nobilitatis erunt haec signa notaeque: fruaris
 Sospes, et istius muneris esto memor.
 Praeterea cunctis enitere viribus, iste
 Nobilis ut magno foenore crescat honos.
 175 Quos habet aut pariet coniux tibi foeta nepotes,
 Participes huius conditionis erunt.
 Haec ea; mox alios depromit ab ordine multos,
 Qui bene placarant Pallada mente, viros.
 Hinc oratores claros dulcesque poetas
 180 Munera de largo donat habere sinu.
 Publica qui monitis et blanda voce creassent,
 Commoda multa domi, commoda multa foris.
 Vivida mansuro seu carmine facta notassent,
 Nec sinerent animos dotibus esse rudes.
 185 Horum Phoebea dignatur tempora lauro,
 Perque suos titulos nomina clara facit.
 Denique consilio quicumque vigeat et arte
 Eximia, coelo sideribusque locat.
 Post ea sic toti rata stat sententia menti,
 190 Posteritas queat his ut generosa frui.
 Sed prius astra petat quam, vel cita vergat in auras
 Ad se, qui mundo iam tenet omne, vocat:
 Caesar, ait, nostra posthac tu sede locatus,
 Orbe tuos populos, ceu Deus astra, regas.

189 stat sententia — Terent. Eun. 224; Liv. XXI, 30, 1; Ov. Met. VIII, 67

195 Ordine distinguas homines ab inertibus, illos
 Vivida quos merito fama celebret anus.
 Horrida prata rudis ne sic depascat asellus,
 Nobilis ex merito quae comedisset equus.
 Qui bene vivet, ubi sit natus, negliget, vivat
 200 Rusticus et serva plebe verendus eat.
 Unica nam virtus, per libera facta, deorum
 Aemula, fulgentem sternit ad astra viam.
 Hinc est nobilitas, hinc se generosa propago
 Iactet, et hinc oritur, non aliunde, decus.
 205 Non ab eo, ceras proavi qui monstrat et ortus,
 Nec virtute facit digna, nec astra meret.
 Laudibus hic a me nullus privatur avitis,
 Omnis ab hoc mordax carmine livor abest.
 Filius in patrios iuste succedit honoreis,
 210 Possidet inventas sanguine natus opes.
 Huius et hinc series generosa vocetur ut omnis,
 Maximus aeternum caesar et astra iubent.
 Qui male, non fruitur generosa stirpe patrita
 Natus honorificis splendidus exstat avis.
 215 Saepe quis exposuit maiorum facta suorum,
 Cui neque gutta boni sanguinis una fuit.
 Absolon, Isaidae natus de sanguine regis
 Commisit patriis turpia multa focis.
 Gens Iudaea suum Christo iactabat Abramum,
 220 Sed, patre vos nati daemone, Christus ait.
 Vivit et Aeneas, Troianae gloria gentis,
 Vivit et incestus, post sua fata, Paris.
 Omnibus in triviis et adhuc recitatur uterque,
 Ille gerit maculas, nominis ille decus.
 225 Rex Macedo est, et qui bis millia quinque cibavit:
 Auxit hic, hic patrias dilapidavit opes.
 Nobilitat multos facundae gratia linguae,
 Quando tonant medio sesquipedale foro.
 Stentora qui verbis, qui flumine Nestora vincant:
 230 Omnia qui laqueis in sua iura trahant.
 Attamen hos ego fors non ausim dicere dignos,
 Cum queis tu capias pocula sive cibos.
 Multas aera ligant linguas, multasque resolvunt,
 Optima saepe nocent, pessima saepe iuvant.
 235 Scilicet hic titulos, hic nobilitatis honores,

217—218 Absolon Commisit — cf. 1Reg. 16, 1—13; 2Reg. 13, 1—38

Inclita facundi Nestoris ora merent.
 Qui variis patrias ditat cum mercibus oras,
 Civibus is multis commoda multa parit.
 Sunt, quibus est angusta domi res atque supellex,
 240 Hi coëmunt limen rectius ante suum.
 Res laudanda bonus mercator et utile vitae,
 Tollit ubi regnis maxima damna, genus.
 Si res fraude suas in foedum vertit abusum,
 Quem sceleratus amor vexat avaritiae:
 245 Cuius et artificii ditescit capsula vulpe,
 Egregio non is dignus honore vir est.
 Huic ego pauperiem laetam, huic ego praefero Codros,
 Quicquid greges duro fuste bubulcus agit.
 Scilicet haec verae sit nobilitatis origo,
 250 Hanc ad quae moneat, porrigere Musa chelyn.
 Ista damus pueris, pueris linquantur et ista,
 Ille per aetatem non sapit omne chorus.

465

Paraenesis ad veram nobilitatem.
 Pro nob[ili], gen[eroso] et ingen[uo] adoles[centi]
 Georgio Hoffman f[ilio];
 Francisco et Ioanni Kattai; Ioan[ni] et Stephano Usz;
 Val[entino] Gemes; Steph[ano] Litterati Cass[oviensibus] discipulis

Huc ades, et patulas mihi porrigere gnaviter aureis,
 Cui genitor Musis consilioque potens.
 Non equidem ignoras quod et hic, Hoffmannne Georgi,
 In patrias arteis erudiendus ades.
 5 Huius et Ungarici quod summa negocia regni
 Incumbunt humeris, nocte dieque, tenes.
 Disce tui, puer o, virtutes disce parentis,
 Illustraque tuum Marte vel arte genus.
 Huc et Kattaidum decus, o Francisce, Ioannes,
 10 Quos damus imparileis, volvite saepe, modos.
 Vos etiam duo germani, quibus Usius ortus
 Praebuit, et Clarias qui colit ipse deas.
 Tuque adeo, cuius cognatio fortibus ausis
 Ardua pro magno caesare bella gerit.
 15 Huc ades, egregii bene qui fatale satoris
 Et de literulis nomen, ut omen, habes.
 Quomodo perpetuam virtutibus addere famam,

Et possis cunctos esse, docebo, dies.
 Vita quod imberbis parat, aemula sine senecta,
 20 Tu licet expellas fuste, potenter aget.
 Quae nova mel redolet, redolet vetus ollula tymbram,
 Blandula quale capit testula, tale sapit.
 Iussa Dei veneranda colas ante omnia, non is
 Vilis erit, fidei quem pia cura tenet.
 25 Nil stabile est mundo, virtutem praeter, et alta
 Quae duce Christo homines ducit in astra, fidem.
 Est aliquid ceras maiorum ostendere priscas,
 Est aliquid magna ducere stirpe genus:
 Sed melius vera cum nobilitate salutem
 30 Aeternam et sanctas posse tenere domos.
 Praestat enim roseo Christi esse cruore renatum,
 Quam satis illustri de genitore satum.
 Nulla sed officiis monumenta reponere claris,
 Sordibus et proavos commaculare suos.
 35 Spinea sarta comis, crux, lancea, stigmata, clavi:
 Haec Domini in mundo signa fuere mei.
 Haec aquilis, ursis magnisque leonibus adde,
 Dispeream, si non inde perennis eris.
 Christus erit clypei, gemmae, aurum, praedia, fundus,
 40 Haec tua nobilitas unica, Christus, erit.
 Non rabies illum moesti premet anxia ventris,
 Coelica cui tantum iam bene manna sapit.
 Non illum urgebit saeva sitis arida fauce,
 Qui semel Elysii fluminis hausit aquas.
 45 Non pannosa geret quondam velamina, Christo
 Indutus, sacer haec haec toga fine caret.
 Quod facis, omne Dei refer ad solius honores,
 Hic tibi cum multo foenore reddet ager.
 Raraque cum sit avis, quae multis rebus abundat,
 50 Fundi ac magnificas possidet aeris opes.
 Sit memor humanae sortis fatigue futuri,
 Lydius ista velut sunt reputanda lapis.
 Sint hodie satis aera tibi, nil crastina cures,
 Aut hodie, aut forsán cras moriturus eris.
 55 Semper adornatus nigrae stet lectulus horae,
 Certa, sed incerto tempore Parca furit.
 Nulli mors titulo, nulli mors parcat honori,

49 Raraque cum sit avis — Pers. I, 46; Iuv. VI, 165

52 Lydius lapis — cf. Eccli. 6, 22; Plin. Hist. Nat. XXXIII, 43

Sceptraque post fatum mixta ligone iacent.
 Orbe sed hoc longam si vis traducere vitam,
 60 Parce gulae, si vis vivere, parce mero.
 Enecat exitium plus hoc lacrimabile mundi,
 Quam ferus in curvo qui furit ense Getes.
 Nulla magis laedit superum quoque noxa tonantem,
 Quam porcis homines quae facit esse venens.
 65 Huic dulci caedes comites, huic stupra veneno,
 Huic seges innumeri materiesque mali.
 Unde pedum dolor est, pallor, timor, anxia mentis
 Conditio, febris, colica, spasmus, hydrops?
 Unde rubedo oculis? unde est vertigo cerebri?
 70 Unde truces animi? corporis unde furor?
 Unde lues fando, casto, decori atque pudore?
 Denique dic Stygiis unde cloaca lupis?
 Ebrietas est dulce malum, blandumque venenum,
 Daemone quod suavi talia monstra creat.
 75 Ebrius et comedo proprios quia saevit in artus,
 Corporis ante dies est homicida sui.
 Magnus Alexander sua fata virilibus annis
 Clausit, ut immodicum fudit in ora merum.
 Argolici portis cum nocte patentibus hostes
 80 Intrassent, vino Troia sepulta fuit.
 Pone voluptates: multos hoc lumine vidi,
 Vita quibus dulcis, mors sed amara fuit.
 Non vivas, ut edas, sed edas, ut vivere possis,
 Sume, sed ut curis sint fuga vina tuis.
 85 Ut laudanda geras, animum spes fulciat audax,
 Et tua coepta roges, adiuvet ipse Deus.
 Invigila chartis, vel rebus tempus honestis
 Perde, solet turpis damna parare quies.
 Aegisthus luxu cum tempora trivit inertis,
 90 Turpe voluptatis foedus adivit iter.
 Disce bonas arteis, et honestos indue moreis,
 Donec hic aetatis flosque decusque sinunt.
 Ingenuas discit quicumque fideliter artes,
 Moribus ornatus debet is esse bonis.
 95 Discito: magnificos per clara palatia reges,
 Quorum non puduit, num tibi forte putes?
 Litterulas didicit domitor Carthaginis altae,

83 Non vivas — cf. Quint. IX, 3, 85; Paling. III, 633
 89—90 Aegisthus iter — cf. Ov. Rem. a. 161—162

Scipio, iam libri quos Xenophontis habent.
 Magnus Amyntiades, bello feliciter audax,
 100 Moeonidis capiti subiiciebat opus.
 Carolus imperio famam nomenque paravit,
 Scivit in alternos cogere verba pedes.
 Ista regunt aulas, urbes, regna, oppida, vicos,
 His decus et pietas obtinet alma statum.
 105 O hominum mores! o monstra! o plena Gigantum
 Secula! cur vos nil doctus Apollo movet?
 Cur vos Gorgoneum non ducit Pallas ad amnem?
 Cur studiis rarum fertis in alta caput?
 Pro virtute gulam quis non sectatur et aurum,
 110 Barbarie doctas iam populante scholas?
 Tu melius: quia frena tui tolerando magistri,
 Dulcia Pegasei numina fontis amas.
 Longa, sed arcta via est, Clarias quae ducit in arteis,
 Res est Pieridum plena laboris amor.
 115 Attamen hinc fructus radicis habebis amarae:
 Si male nunc, olim non quoque fiet idem.
 At quocumque deinde Deus te limine sistet,
 Quaeso, tuae nolis immemor esse domus.
 Sive tibi dederit populos fortuna regendos,
 120 Fac videant speculum te per honesta suum.
 Non aliena tibi pariant monumenta dolores,
 Contentusque tua munera sorte geras.
 Ipse regit valido currentia sidera motu
 Phoebus, coelestis duxque caputque chori.
 125 Signa tamen non is duodena volubilis anni
 Exit, et in metis aestuat usque suis.
 Affectaret ubi currus auriga paternos,
 In Stygias Phaëton praecipitatur aquas.
 Ne trahat in praeceps te mundi lubricus error,
 130 Illecebris animos nulla cupido regat.
 Nil fac divitias, neu sit mortale quod optes,
 Secula post cineres te memoranda iuvent.
 Unica cunctarum regina pecunia rerum,
 Est omnis mundo fons et origo mali.
 135 At si divitias tibi mitia fata dederunt,
 Has non in luxum Sardanapalus agas.
 Abram dives erat, Domini quoque dives amicus,

98 libri Xenophontis habent — Xen. ubi?
 99—100 Magnus Amyntiades — Plutarch. Alex. 8

Et pius egregias Lothus habebat opes.
 Queis titulos et res fortuna secunda ministrat,
 140 Plebs hominum tales ore frequenter habet:
 Is meus affinis, frater meus atque susurro,
 Quo mihi non nullus notior esse potest.
 Pauperis ut primum quis nomina protulit Iri,
 Obstructa celerem comprimit aure manum.
 145 Hunc plenis laudat buccis, huic scommata dicit,
 O opibus quantum vulgus inesse putas!
 Quas genus aut natura dedit, submittito cristas,
 Te Christus coelo propter adivit humum.
 Laus est alta dari parvis vexilla ministris,
 150 Fascibus ac decus est omnibus esse parem.
 Unus enim velut est Deus et pater omnibus idem,
 Sic nos ardori copulat una fides.
 Rex regum, mundi cui caesar et omnia parent,
 Discipulos lymphis abluit ipse pedes.
 155 Non omnes iubeo grege cum reptare tabernas,
 Non madidum plaustro ferre ligone fimum.
 Sors dedit huic aras, huic sceptrum, huic rastra, sed ante
 Numina sunt una conditione pares.
 Distinctos sic esse gradus non forte putandum est,
 160 Namque habet autorem quilibet ordo suum.
 Praelia pro pietate gerunt rex atque sacerdos,
 Alternantque suas cum prece sceptrum vices.
 Hi parere iubent, hi frangunt ora lupatis,
 Ut regno probitas crescat et una fides.
 165 Vindex pro tabula stes legis utraque, necessum est,
 Postulat hoc salve religionis amor.
 Hoc propter Deus omnipotens quia caetera servat,
 A quo sunt regnis robora, fulcra bonis.
 Non ut tantum iram fugias altaria places,
 170 In bona te iusti vindicis hora vocet.
 Alma aliis quoniam te sic natura creavit,
 Discat ut exemplo grex pia facta tuo.
 Pareat et pariat, quod fasque probumque iubebunt,
 Quae facienda colat, quae fugienda sinat.
 175 Musarum facili quoque suscipe numina vultu,
 Dente nec Aonium carpe minace chorum.
 Mecoenas lyricum complexus amore poetam,
 Saepe dedit parvae munera magna chely.

154 abluit ipse pedes — cf. Ioan. 13, 4—11

Pollio Vergilium fovit, Messala Catullum,
 180 Dulcis Aristoteli nonne Philippus erat?
 Ossibus ossa dedit vates et marmore marmor,
 Pone habet ac tecum, Scipio magne, iacet.
 Credito, de nullis melius te posse mereri,
 Nestora quam quorum vivere penna facit.
 185 Extollit, laudat, repetit, canit, exerit, ornat,
 Ut benefactores blanda Camoena suos.
 Deprimit, occultat, vitiat, corrumpit, abarcet,
 Sic malefactores Musa nociva suos.
 Ipse pios etiam componito pectine cantus,
 190 Aut agili dulcem pollice tange lyram.
 Non ut ames, aliqua vel sic potiare puella,
 Molliat ast animos fistula blanda tuos.
 Daedala laurigerae quia Musica iuncta poësi,
 Barbarie pulsa mitia corda facit.
 195 Depulit immodicas tristi de pectore curas
 Iessides calamo, carmine, voce, chely.
 Pro lituis Macedo rex carmen habebat Homeri,
 Militis unde gravis venit in arma furor.
 Det ventosa choros montanis bucca colonis,
 200 Murmura ventriculus cum parit, hirce, tuus.
 Rusticitatis id est, tibi Musicus arte canorus,
 Exhilarat moestos dulce sonando dies.
 Pro bene tu factis rursus meritoque mereri
 Si nequeas, gratus vis tamen esse, places.
 205 Quod dare vis, non id post longas differ in horas,
 Qui cito dat, bis dat, sed mora tarda nihil.
 Multa dies quibus est, quibus est prudentia multa,
 Saepius hos numen ceu reverenter adi.
 Annorum series cui sparsit longa pruinas,
 210 Commoda scit vitae dicere multa tuae.
 Crede parum cunctis, laxas qui porrigit aureis
 Omnibus, is quoties quantaque damna tulit.
 Nulla fides, pietas est nulla! fidelis amicus
 Nullus, ave quamvis dixerit ore: cave.
 215 Cum palpum obtrudit Bucco, blanditur in ora,
 Hinc tacito caudam pectore vulpis alit.
 Ex sermone vir, ex cantu cognoscitur ales,
 Pauca loqui sapiens, morio multa solet.
 Quos tibi longa dies, per dura, probavit amicos:

220 Horum tu debes semper amore frui.
 Nec te forte iuuet gazarum praeda vel auri,
 Sorsve abigat longae pestis amicitiae.
 Est Pylades carum longe comitatus Orestem,
 Dira videre pio Taurica dulce fuit.
 225 Cum socio tristem Theseus properavit ad aram,
 Nec fuit Euriali maior in orbe fides.
 Nil loquor Actoriden, nil Nisum nilque perempto
 Cui Musas Elogos concinuisse ferunt.
 Candida mens eademque hodie nive rarior atra est,
 230 Da quis idem tecum nolit, idemque velit.
 Ipse habui, laetis qui me ceu frater amavit,
 Exciderat nomen cui tamen inde meum.
 Obvius ut fieri deberet, devia quaerit,
 Quaque potest, cane me peius et angue, fugit.
 235 Centum fronte geras oculos, et singula prudens
 Rhinoceros iusta facta bilance probes.
 Si quid es, haud tibi sis, quod es, haec quia messis in herba est,
 Es nihil, aut quod es, hoc non tamen esse potes.
 Quae lacrumas cieant, tacita circumspice mente,
 240 Sic praevisa minus tela nocere solent.
 Sensibus haec imis, quia contraho vela, reponas,
 Desque locum monitis, flos generose, meis.
 His decus immortale feres, his nomen habebis
 Nobile, qua Titan statque caditque. Vale.

466

Distichon.

Ex tempore poscenti recitatum ex Germanico:
 Ein Poët ist ein Gottes Gab

Sedibus aethereis est doctis vena poetis,
 Et vates domum coelitus illud habent.

467 Ad Nob[ilem] et Stren[uum] Iuv[enem] Otthonem Kracht

Cum vobis dederit nos Maximus ipse poetas,
 Quid dare tu nobis, vir generose, potes?

225 Cum socio Theseus — cf. Ov. Trist. I, 9, 31—32

237 messis in herba est — Ov. Her. XVII, 263

l Sedibus aethereis — Ov. Ars am. III, 550

Ast ego mortalem te vita dono perenni,
 Praeco tuae laudis carmine semper ero.
 Auget opes, doctis dare munera larga poetis,
 Ergo mihi vives, et bene dives eris.
 5 Ottho tui generis flos inclite, nobile Martis
 Cor, Pylum Kracti, saecula sospes agas.

XV equi generosi virtutes;
 ad Egr[egium] et Nobilem V[irum]
 D[ominum] Steph[anum] Debrecinum

Quae sit equum virtus, quae gloria, scribere conor,
 Egregius sonipes si capit, ista legas.
 Hoc asinus, vulpes, lupo et lepus, ordine bis sex,
 Hinc tria, quae praestans virgo docebit, erunt.
 5 Fortia sunt asino crura, ingens pectore robur,
 Durities lumbos crassa ferendo tenet.
 Haec tria ab Arcadico pecore exstant dona caballo,
 Ut par militiae sit, cataphracte, tuae.
 Syrmaticae triplex numeratur gratia vulpis:
 10 Cauda volans, vertex parvulus, auris inops.
 Bucephalum damnes, in magnam desinat acer
 Sylvam equus, ac tenuis ventilet auriculas.
 Deque truci tria disce lupo, nam lumine praestat
 Atque pilis, celer est dum vorat, ore bonus.
 15 Haec quoque quadrupedem clarent, sit acutus ocellis,
 Impiger haud comedat, sit iubae amoena seges.
 Trina leveis ornant leporeis: velocius Euro
 Currunt, exsultant, se citi in orbe rotant.
 Sic et equina volet pernicious ungula campo,
 20 In gyrum et saltus docta sit illa suos.
 Virgo etiam documenta dabit pulcerrima, docte
 Quae metat, admittit, dulce in amore facit.
 Hoc mihi sit sonipes, quando ibo per avia, ne me
 Praecipitem excutiat, sed bene mollis eat.
 25 Ergo empture hodie taleis, Debrecine, caballos
 Elige, ne per equos decipiaris eques.

470

Clariss[imo] V[iro] Erhardo Placero,
med[icinae] d[octori], vet[eri] am[ico]

Quod miseris placeas aegrotis, nomine solo,
 Nomine reque ipsa, clare Placere, places.
Multa avis est medicus, quem nauseat omnis, inerteis
 Difficileisque nimis nemo probare solet.
5 Clare Placere, vale te docta Placentia faxit
 Porro placere solo, porro placere polo.

471

In iconem Illustris et Magnifici Domini,
 D[omini] Christophori Teuffenbachi,
L[iberi] B[aronis] et Cap[itanei] Gen[eralis] bellici
 in Hung[aria] Sup[er]iore]

Sic equidem gerit ora heros oculosque, gubernant
 Cuius in Hungarico Martia sceptra solo.
Exprimere hoc vultus sculptori est licita potestas,
 Exprimet ast nullus corda animosque virum.
5 O felix, praestare quis hoc si posset Apelles,
 Scilicet humana maius id arte foret.
Quanta sit huic virtus, caesar testatur uterque,
 Hosticus et qui nos vindice Marte beat.
Masculæ dux salve! Prorex celeberrime salve,
10 Qui tot Praxiteles totque Myronas habes.
Aemula quaeque tuos vult pingere, sculperè vultus
 Dextra, sed artificibus vincis honore manus.
Excedit scriptas tua mens heroica chartas:
 Terram imple meritis, laude per astra volas.

472

Etiam in hoste laudanda virtus

Quid mirare? meos celeberrime quod saepius hosteis?
 Digna canis virtus, qua modo cunque venit.
Non ego personam, personae laudo probatum,
 Si quid habet, labii corripere fraena tui.
5 Vis me propterea prave simul esse latronem,
 Laude ego quod sollers mactò latronis opus?

Sic dispensator Domino laudatur iniquus,
Sic ipse smaragdos in meretrice probes.

473 In poetas, de gente Hungarica sinistre scribenteis

Barbara saepe feroxque nimis gens Hungara versu
Dicitur in chartis, clare Sabine, tuis.
Tu quoque Petre canis toties (ignosce) Lotichi,
Esse feras, rigidos Pannonas esse truceis.
5 Vosque alii Momis fors credula pectora, vates
Quos in Teutonia doctior orbis habet.
Non semel in miseros tam prave scribitis Hunnos,
Ac si de reliquis pessima turba forent.
Olim ego credebam! iam nec volo, neu tibi possum
10 Credere, Pannonici nescia turba soli.
Heic si esses, aliter sentires, Teutonis ora:
Germana posses rem recitare fide.
Ista domi placida est proles, foris aspera bello,
Tu sed pace leo; tempore Martis ovis.

474 In Senderoviam

En, qualem ad coelos heic surgere cernimus arcem?
Pileolo structum sidera pulsat opus.
Musa refert: divi fecere hoc aera Rodolphi,
Illius auspicio celsior ista strues.
5 Quo Turcas contra gens Hungara tutior esset,
Providus hoc heros monte paravit opus.
Rudera ac inferius deiectaque saxa quid ad rem?
Musa refert: sedes Bebbeciana fuit.
Digna strui non est arx quondam Marte rebellis,
10 Et defensori non satis apta suo est.
Quos tamen ulterius post undas cerno Penateis?
Oppida sunt oculis obvia bina meis.
Musa refert: habitat proles ibi Martia, forteis
Prima tenent Hunnos moenia pacta luto.

7 Sic dispensator — Luc. 12, 41—48

11 Heic si esses — Terent. Andr. 310

14 Tu sed pace leo — cf. Petr. Sat. 44; Gesta Rom. 39; Tertull. De cor. 1

2 sidera pulsat — Verg. Aen. III, 619—620

15 Altera Germanas defendunt aggere turmas,
Dux Rottallerus qua bene scepra gerit.
Sendreadum, voveo, Turcis notissima virtus
Floreat et sacri caesaris ornet agros.

475 **Symbolum Serenissimi Austriae Archiducis Maxaemiliani:
Christo duce, comite Fortuna**

Nil ausim absque Deo, divum sim sanguine cretus
Ipse licet, seu pace fruar, seu praelia cernam.
Iamque ubi me patriae et succensum laudis amore
Bella iuvant contra rigidos haec aspera Turcas:
5 Si quicquam mihi pollicear sine numinis alti
Consilio auxiliove, animos et robora perdam,
Nil mea sedulitas, mea nil sollertia prosit.
Ni prius et praesens ducis instruat arma magister,
Cui mea se semper credit provincia Christus.
10 His certe praestans comes est victoria castris,
Queis Christus dux est, sequitur Fortuna, propinquant
Bellis celsa piis, ductoribus addit honores,
Marti ubi se Christus medium infert aethere quondam,
Qui didicit gravis hostes debellare superbos.
15 Is dudum est bello satis exploratus et armis.
Verus is Alcides, plus Hectore, plus et Achille
Praestitit, et victor per tot discrimina rerum.
Nigra triumpharent quum Tartara et ultor Averni,
Egregiis tandem spoliis succederet alto.
20 Mars, Pallas, Bellona meis exite triumphis,
Quae penes est Christus, sola haec ego praelia laudo.
Christo igitur duce, fortuna comite ire secunda
Non dubito grandes in bello ductor habenas
Hoc regere, et lapsis me inferre per ardua rebus.
25 Christe fave dux, adspira comes aurea sortis.

476 **Aliud. In idem laudatissimum symbolum**

Maximus Hungariam cum princeps rursus iniret,
Quem summum in bello vult Deus esse ducem:

14 debellare superbos — Verg. Aen. VI, 853

17 per tot discrimina rerum — Verg. Aen. I, 204

Inter tres gravis est contentio nata dearum:
 Pallada, Iunonem et quam flagrat ipse deus.
 5 Auxiliando prior quae debeat esse? Minerva:
 Quod ratio imprimis prospera bella gerat.
 Aera quid exhibeat Saturnia? Martia coniux:
 Quod comes in Turcas terror et horror eat.
 Mars litem dirimit: duce Christo et sorte sequaci,
 10 Nil, ait, est vestris nunc opus auspiciis.

477

In Postillam Gen[erosi] et Egr[egii] Domini
 Christophori Soos de Sowar

Heus vos Hungarici proceres, audite, quid oras
 Plus decoret vestras, Martis an artis honos.
 Bella viros faciunt: esto. Liberrima virtus
 Plus agit, heic paucis fortibus esse licet.
 5 Ex vobis rari florerent, vos nisi in arma
 Ob defendendam Turca cieret humum.
 Nam si feliceis quos gloria porrigit alto,
 Magnifico clarent sorte favente choro,
 Scilicet ille suis laus est natalibus, ille
 10 Nobilis est, patriam clarat et ille suam.
 Marte aliquid proprio qui primitus audet, et usu
 Omnibus esse cupit militiae atque domi.
 Exemplum, invidia vel teste, Soosius hic est
 Christophorus, fecit quem pia penna virum.
 15 Ah quam formose generasceret Hunnidos ora,
 Si passim taleis ferret amica Soos.

478

Generosiss[imo] et Egr[egio] Amplissimoque V[iro],
 D[omino] Georgio Hoffmanno,
 Caes[areo] in Cam[era] Scep[usiaca] prim[ario] Consil[iario]

Nuper ubi sonipes mihi quidam traderet Hunnus,
 Hoffmanno, ex Musis verba profecta tuis:
 Mentiar et peream, mihi si data gratior unquam
 Littera, dum supero, dum lego scripta, fuit.
 5 Mel, Charites, Venerem, ambrosiam nectarque leporesque

8 Magnifico clarent Ed. pr. Clarent magnifico

Accepi, et si quid dulcius esse potest.
 Me tenet umbra silens, tenebris obscurior ipsis:
 Tu magno passim clarus honore vir es.
 Mi decus est nullum, mihi gloria nulla pusillo:
 10 Tu notus terris et super astra vir es.
 Vilis ego circum puerilia pulpita sudo:
 Res tibi cum magnis principibusque viris.
 Quae tamen est virtus tua, me sic omnium egenum
 Dignaris, praeses maxime, luce tua.
 15 Scribo: rescribis; taceo: ipse silentia rumpis;
 Postulo: das; mitto vilia: magna refers.
 O me felicem! mihi gratulor ipse, nec unquam
 Dixero me miserum, tu mihi donec eris.
 Ut nil sim, et placeat mihi simbolon istud inepto:
 20 Nil didici praeter dicere: nil didici.
 Nonnihil at fieri me quondam posse putabo,
 Ut quid iudicio me rear esse tuo.
 Et ne dura nimis tibi nostra modestia dici
 Possit, ad arbitrium iam loquar ista tuum:
 25 Non aliquo ingenio, non Pallade glorior ulla,
 Successi doctis sed tamen ipse viris.
 Huius enim ludi quoque quondam rexit habenas
 Vernerus, saeculi laus satis ampla sui.
 Post illum virtus ad magnos traxit honoreis,
 30 Caesareo nomen coepit habere foro.
 Eius adhuc restant istas monumenta per oras,
 Multum illi acceptum Pannonis ista refert.
 Illius in magnis prudentia cognita rebus,
 Praecipue in Camera praeside, saepe fuit.
 35 Ardua composuit cito mente negotia: gentis
 Hungaricae sapiens et Solon alter erat.
 Heic etiam, celebris Musarum fama, Gelous
 Virgea praeceptor sceptra docendo tulit.
 Sed quia erat multis ingentior arte loquendi,
 40 Et varias Suadae doctus alebat opeis:
 Hunc Deus ex tenui produxit pulvere ludi,
 Carus ut huic regno principibusque foret.
 Officio ex humili fasceis surrexit ad altos,
 Flos genii sollers, clare Fabine, tui.
 45 Hanc tu consiliis moderatus es acribus urbem,
 Debet et auspiciis curia nostra tuis.
 Non tamen interea potuisti linquere Musas,
 Ob votum privo sub Lare doctor eras.

50 Quid reliquos memorem, quos gloria sustulit olim
 In magnum ex nostra conditione locum.
 Hoc Deus ipse facit, qui, quos vult, tollit in altum,
 Quos vult, ex alto praecipitare potest.
 Nescit adhuc mundus, mundo quid sublevet aether:
 Provehit Omnipotens parvula, magna premit.
 55 Vidistine satos genitoribus addere fasceis
 Fascibus, et simileis laudibus esse patrum?
 Natus ubi Tulli? quid Achillis filius? iste
 Martis iners, artis ille, at uterque fuit.
 Te, Marce, eloquium, te bello illustria facta,
 60 Tessale dux, faciunt maximum in orbe decus.
 Tam favet angustis, augustos nauseat ipsum
 Numen, et hoc homineis iam creat orbe novos.
 Et mihi fors aliquis deus arridebit, Apollo
 Aut alia invenient numina dextra viam.
 65 Sed quid ego mihi posco deos, Hoffmanne, benignos?
 Nonne mihi solus tu deus esse potes?
 Tu deus esto mihi Romani in caesaris aula,
 Tu praesta Musis dulcem Heliconae meis.
 Hoc virtutis amor, rerum hoc prudentia maior
 70 Postulat, haec studio sors foret apta meo.
 Tu modo, vir praestans, o rerum dulce mearum
 Praesidium, pro me pauca disertus agas.
 Sic tibi, Mecoenas o optime, maxime, coelum
 Rideat, et sic te sospitet usque Deus.
 75 Sic tibi dent superi, quicquid non ante dederunt,
 Stet tua fama solo, vita salusque polo.

*

Φιλοσωφοσύνη ad Nobiliss[imum] V[irum], Dominum Georgium
 Hoffmannum, Caes[areum] Consiliarium — v. 84.

*

V[iro] Prud[entissimo] et Doctiss[imo], D[omino] Michaeli Wirt, Not[ario] et
 Senat[ori] Epperiessino — v. 86.

*

51 Deus ipse facit — cf. Ps. 99, 3
 71—72 dulce Praesidium — Hor. Carm. I, 1, 2

479 *Symbolum Doctiss[imi] V[iri], Domini Matthiae Thoraconymi:
Pie, modeste! Deus providebit.*

*Vive pie! fastu sine fac peragenda modeste;
De reliquis clemens prospicit ipse Deus.*

480 *Symbolum Adami Kunischii, V[iri] litteratiss[imi]
et opt[imi] Conrect[oris] Cassoviani,
cariss[imi] mei amici:
Οἰστέον καὶ ἐλπιστέον
Ferendum et sperandum*

*Saepe quis ex humili desiderat ire popello,
Et tamen, ut sese maceret, usque iacet.
His ego vidi oculis, qui frustra providus imis
Sensibus, ut census dives haberet, erat.
5 Pendulus is misere laqueo trabe nexus in alta
Propterea factus littera longa fuit.
Non me suspendam tamen, ut sim pauper, et auctos
Fortunae reliquos dotibus esse sciam.
Fingo: fui Croesus, me sors deiecit, ut Irus
10 Mox fierem, rursum spero seroque Deam.
Non me suspendam, vel si mihi vincula Turcae
Dent, ac terga truci fuste dolanda forent.
Nilque breveis Gyaros, nil palleo carceris antrum,
Si fas, pistrino tradita pensa molam.
15 Cur animer, quaeris? cor habet fiducia, certum
Spes faciet: nunquam, qui bene sperat, obit.
Nonne dii superant? nec adhuc versatile coelum,
Dum spiro, spero; caetera Christus aget.
Cannabe non opus est torta, non sanguine misso,
20 Dum qua viris spes est in bonitate Dei.
Ipse pater gentium contra spem credidit in spem,
Hinc populus tecum vivit, Abrame, tuus.
Sperat hiems floreis, flos messeis, horrea messis,
Horrea contemptae rusticitatis opes.*

6 littera longa — Plaut. Aul. 38
12 fuste dolanda — Hor. Sat. I, 5, 23
18 Dum spiro — cf. Sen. Epist. 70, 5
21—22 Ipse pater gentium — Rom. 4, 18

25 Ut patiar, potior iam primitus: altius olim
 Ibimus: et quercus primula virga fuit.
 Saepe tuli maiora, ferunt maiora potentes:
 Non mulier, vir sum, quod fero, ferre decet.
 Si mihi dulce haud οἰστέον ac ἔλπιστέον esset,
 30 Non Adamus fortis, mollis at Eva forem.
 Quid non confundit? Spes. Quid scit perdere: non spes.
 Spes salve, o animae nobilis esca meae.
 Mens confisa Deo confusa recederet unquam:
 Non ita; spes media vivere morte facit.
 35 Sperandum ergo mihi melius, peiusque ferendum,
 Pro terra coelum, spes, mihi reque dabis.

481 In gratiam D[omini] Michaelis Wirti, Notarii Epper[iessini]
 Ex verbis illis quatuor: Vocabis nomen eius Iesum.
 Matth. I.cap.

	V	era Dei soboles, patris indelebile Verbu	M
	O	mine cui miro iam totus plaudit Olymp	I
	C	oetus, nec cessabit, erunt haec saecula done	C
	A	eternum peperit quem virgo puerpera Silo	H
5	B	ethlemiae turres qua stant et moenia parv	A
	I	sacidumque domus. Salve, puer optime, salv	E
	S	alve, sancte puer! decus aevi, iustitiae so	L
	N	imirum haec te nostra salus sub paupere cult	V
	O	ptatam impulit heic massam hanc assumere part	V
10	M	irando. Tua nam genetrix ignara marit	I
	E	nixa. Ista tuum nunquam sat, Christe redempto	R
	N	omen honoremque aeternum mea plectra sonabun	T
	E	ia venis, homodive, gerens venerabile nome	N
	I	n terram, eia venis, coelo delapsus ab alt	O
15	V	erus homo verusque Deus, quum nulla fuerun	T
	S	aecula, promissusque solo cum offenderit Ev	A
	I	nduis hanc nostro massam de corpore frate	R
	E	t geris hos infans artus, quos ipse creast	I
	S	is bonus Immanuel, mecum dulcissim Ies	U
20	U	t quae iam patria est, cantet tibi publica laudei	S
	M	eque notario et heic res crescat ut Epperiensi	S

30 Adamus **Hung.** adamas

33 Mens confisa Deo — cf. Eccli. 2, 11
 tit. Vocabis nomen — Matth. 1, 21; Luc. 1, 31; 2, 21

Humani generis spes longa renascitur, atque
Orbe renascatur Pannonis, opto, salus.

MICHAEL WIRT

M ystica	M usarum	M ecum	M odulare	M ichael
I ucundo	I nfanti	I ucunda	I teremus	I esu
C armina	C udentes	C aro	C unabula	C hristo
H aud	H orrescenteis	H erodis	H avebit	H abenas
5 A ulaeis	A ut	A ugusti	A dspirabit	A varis
E rrabundus	E gens	E rit,	A egypto	E xulabundus
L udibrium	L igno	L egis	L ethale	L itabit
V ictima:	V erberibus	V exabitur	V ndique,	V ita
V t	V iolabilibus	V ivatur	V era	V icissim.
10 I rremeabilis	I n-	I ustis	I nfernus	I niquus
R escissus	R osido	R esignat	R ore	R uinam
T ristem:	T alia	T ollentur	T ormenta	T riumpho.

Naenia Mariae

Blande puer, mellite puer, mi Iesule, dormi,
Claude tenelle oculos, Iesule, claude tuos.
Bellule, somniculum cape, Iesule sanctule, dulcem
Blandulus eia venit somnulus, eia venit.
5 Blandule somne, veni, cito lumina claudito nati,
Eia meus dormit melleus eia puer.
Dulcia filiolo saliunt cunabula nostro,
Tale meo gnato psallitur ore melos.
Anna, iube maneat, maneat vir pessimus extra,
10 Ploranteis pueros qui sibi ferre solet.
Dic, noster puer est procul hinc cum matre profectus,
Dormit et ille alibi, dormit et ille domi.
Quaere alios, male vir: probulus nam Iesulus anni
Tempore ploranteis non amat ipse puer.
15 Anna, veni, pulcer iam pusio clausit ocellos,
Iucundusque tenet lumina victa sopor.

Molliter accipe sic, cunas in devia pone,
Corculum ut hoc nostrum dulce quiescat, abi.

*

Rev[erendissimo] et Doctiss[imo] V[iro], D[omino] Ioanni Balogo, Theol[ogo]
et Poetae. A[mico] Car[issimo] — v. 282.

*

485

Smelnice vel aqua oppidi Hungar[ici]:
Smelniciae, ferrum in cuprum commutans

Huc mirator ades rerum, qui maxima parvis
Miracla arbitrio subiicis ipse tuo.
Huc oculos, animos, huc omneis dirige sensus,
Quae natura rei conditioque, refer.
5 Quae ratio, quae causa? vides, mirabilis undae
Unde metalla tamen fons variare potest.
Scilicet abs hominis res haec ratione remota est,
Heic nec Aristoteles, quae sit origo, probet.
10 Hoc nimirum operatur adhuc divina potentis
Dextera, cui nostri paret et unda soli.
Quum genus Isacidum fugeret Pharaonis ab oris,
Esset amaricies quod Mara, sensit aquis.
Legifer has Moses correxerit, et arboris aurea
Coelitus ostensa, mitificavit ope.
15 Mortiferos fonteis sale vivificavit Eliae
Discipulus vates vatis et ipse comes.
Smelnicias sed nullus aquas ita temperat, alti
Haec igitur virtus solius illa Dei est.
Gratia, summe pater, tibi summa, quod usque per oras
20 Utiliter populis has operare Deus.

11—14 Quum genus . . . mitificavit ope — Ex. 15, 22—26

15—16 Mortiferos ipse comes — 4Reg. 2, 19—22

Laus medicinae ex dicto Ecclesiast[ici] 38:

Honora medicum propter necessitatem, quia Dominus eum fecit.

Ad Magn[ificum] et Excell[entem] V[irum],
D[ominum] Nicolaum de Bucellis, Ital[um],
olim Steph[ani] R[egis] Pol[onici] Archiatrum,
Med[icinae] Doctorem, Cracoviae

Credere si Graecis fas est, Epidaurius ipso
 Aesculapius Phoebus dicitur esse satus.
 Ex hoc rursum orti Podalirius atque Machaon,
 Par medicum toto nobile in orbe satis.
 5 Queis medicen voluit pia commendare vetustas,
 Heic sua quo claris laus foret arte viris.
 Inventumque Dei quod crederet esse medenteis,
 Aetas prisca fuit grata memorque magis.
 Hinc medicos opibus magnis et honoribus auxit,
 10 Insertos claro iussit et esse loco.
 Non paucis grandeis passim statuere columnas,
 Pharmaca vel sancti numinis instar erant.
 Et merito: aegrotis qui scit bene reddere vires,
 Is certe magno dignus honore vir est.
 15 Biblia pro nobis faciunt, non Graecia mendax,
 Si quid Siracidae pectoris esse putas.
 Ut doctor praestet medicaminis, efficit ipse,
 A quo nostra venit vita salusque, Deus.
 His igitur coelum quod honoreis destinat altos,
 20 Clarat Apollineos gloria iure viros.
 Verum hodie paucos laus iussa celebrat, et aegra
 Vel fera barbaries Poenas ore petit.
 Iam, licet egregii, vano ludibria vulgo
 Sunt medici, et laudeis nescit Apollo suas.
 25 Livor edax illos manet, obtrectatio carpit,
 Doctus et arte potens stellio nomen habet.
 Clamor it: an medicus faceret mihi grandius aevum,
 Horas ipse sibi proroget ante suas.
 Terminus est? frustra medicamina quaeris, in urnam
 30 Proiicit Archibius forsitan aegra suam.
 Turba tace, non est ea noxa Machaonis, annos
 Ille dat integros, caetera numen agit.
 Et si saepe nihil Crateri curatio prodest.
 Haec aegrotis sibi membra parare solent.
 35 Tradita non servant alii praecepta, recedunt

Mox a praescripta nil tolerando via.
 Aut alii, poscunt quod sacri dogmata verbi,
 Non praestant, morbos impietate merent.
 Quin etiam passim vult quilibet esse Machaon
 40 Sartor, fartor, anus, mysta, scholarcha rudis.
 Sic ars vera iacet contempta, et nescia recti
 Natio, iudicio privat honore bonos.
 Quis neget, ah miseris nobis genus esse caducum,
 Hoc infirma mari nil nisi bulla sumus.
 45 Ah medicis melius nil maximus orbis haberet,
 Aeternos possent si dare sponte dies.
 Sed quod pestiferos possint depellere morbos,
 Ni perversus homo, nemo negare potest.
 Hoc etenim floreis natura creavit ad usus,
 50 Hinc quoque vel miseris gramina nata feris.
 Cervus ubi iaculo se laesum sentit, ad herbam
 Dictamni cursu praepete quaerit iter.
 Arte Machaonia se Cecropis erigit ales,
 Est et amans sani Daulias ipsa chori.
 55 Comprimat os igitur sibi dira calumnia: Phoebi
 Esse sacerdoteis vult in honore Deus.
 Per mare, per terras quibus est doctrina parata,
 Fecerunt sumptus semper in arte graveis.
 Hos, inquam, hos, quamvis ringatur plurimus, aequum est,
 60 Inter honorandos nomen habere viros.
 Et pia Siracidae medicos quia scita celebres
 Suscipere, et magna tollere laude iubent.
 Forgaciana domus monitis his applicat aureis,
 Vult medicos certus porro sequatur honos.
 65 Clare Machaoniis pater artibus, inclite doctor,
 Qui de Bucella nomina stirpe trahis:
 Huc te Sarmaticis nuper devexit ab oris,
 Corpora quo fidei crederet aegra tuae.
 Quae, precor, ut releves feliciter, arte reservas,
 70 Ut posthac semper membra valere queant.
 O Bucella, tuam, celeberrime, grandibus artem
 Ad coelum vates laudibus usque feram.
 Hippocrates alter, Podalirius alter, Apollo
 Alter eris noster tempus in omne solo.
 75 Sed, venerande senex, quoniam tibi tempore nostro
 Non habeat medicum Sarmatis ora parem:

Quod Stephanus rex Bathorea de stirpe professus,
Quando tibi corpus crederet ipse suum,
Quum quoque mortalis tu sis: pia numina poscam,
80 Dent, superes Pylum Nestora in orbe senex.

487

Clariss[imo] et Excell[entissimo] V[iro],
D[omino] Andreae Curtio, Med[icinae] Doctori

Tu quoque praestantis salve collega Bucellae,
Hungaris absentem quem dolet esse virum.
Bodrocodes nymphae testantur et unda Tibisci,
Moenia Pannonibus qua Tocaina iacent.
5 Iam tamen accito tibi magnas paret in aula
Forgacia, dominus gentis amorque domus.
Clare Machaonii flos et nova gloria coetus,
Fac, sint patrono prospera membra meo.
Cura, quaeso, patrem natumque potentibus herbis,
10 Paeoniis fiat sospes uterque cibus.
Ars tua Parcarum domitrix protollere mortem
Saepe potest, vireis suppeditante Deo.
Ut rata sint, Curti, medicamina et aegra triumphant
Corpora, deprecam supplice voce Deum.

488

Mecoenati, Gen[eroso] et Egr[egio] Domino
Christophoro Darholtz de Fyntha etc. In ipsius aula Demetana

Hac Musae tota duxerunt nocte choreas,
Tu quod heri cythara luseris ipse tua.
Sed quia, Mecoenas, fidicen, velut alter Apollo,
Pollice tam docto luxuriare potes:
5 Orphea miretur, qui vult: delphines Ariona
Auscultent, Clarius tu mihi cantor eris.

*

In arma inclyta Forgacianorum gentis — v. 294.

*

Has quoque contigeris si tu, Taubmane, tabellas,
 Sis mihi, Reusnerum quod cupis esse tibi.
 Barbara me tellus, te Leucoris ipsa poetam
 Fert; me simiolum, te decet esse virum.
 5 Est Erato tua sublimis, mea Musa pedestris
 Serpit humi: coelum tu pete, terra mea est.

Ellogium Hungaricorum equorum.
 Ad Mecoenatem Gen[erosum] et Nobiliss[imum] D[ominum],
 D[ominum] Christoph[orum] Darholtz de Fyntha etc.

Si Culicem cantare Maro, si magnus Homerus
 Sustinet et Ranae memorare et praelia Muris,
 Sique alios vateis, illustria versibus ora,
 Nil taedetque pudetque animas describere parvas,
 5 Exigua aeterna donare animalcula vita:
 Quare ego, Mecoenas, nolim celebrare caballos
 Egregios animis, belloque domique tot usus
 Queis insunt, robur praeclarum atque ardua virtus?
 Quos rerum domini, proceres magnique dynastae,
 10 Tot reges generosa et viva sedilia pressant.
 Hos celebrabo igitur: quae scitu et digna relatu
 Suffice, Musa, chelynque tuam, generose Darholci,
 Haud renue, ast nostris faveas compendia rebus,
 Est animosorum tibi copia blanda caballum.
 15 Te duce quadrupedeis igitur laudabo sonanteis,
 Hungara praestanteis quos parturit inclita tellus.
 Si qua tenet rerum gentem per Pannonis oras
 Cura, quibus foris atque domi queat acrius uti:
 Praecipua est ea sollitudo laborque nepoteis
 20 Belligerum armigeris nutriri semper equorum
 Semper apricanteis per campos millia pasci
 Multa iuvenorum, queis libera colla, domando
 Dum sint apta viros portare aut iungier axeis
 Ante leveis, currus agitare per arva volanteis
 25 Utraque piscosi testatur ripa Tibisci.
 Qua innumerabilibus passim errant multa lupatis

Agmina: cornipedum tot membra ferocia pascunt.
 Illorum haud paucos mea saepe receptat Epeirus,
 Hanc de more intrat cum plurimus institor urbem.
 30 Quadrupedum iuvenis, furit extra moenia proles,
 Vendere turmatim, quam dux solet, acris agaso.
 Saepe ego naturam miratus, amore videndi
 Egressus, pecoris primordia dura laboreis
 Emptori eximios pariunt, dum ferre recusant,
 35 Sessorem, ante rotas patienter et ire iugaleis
 Tunc eques illustrat, sit quanta potentia bruto,
 Quod tamen in sua frena ferox licet ore capessit
 Rite lupos tandem, spumanteis mandit habenas.
 Scilicet hoc virtutis opus, non cedere palmam
 40 Tam facile, adversis pro libertate tuenda
 Sufficere et rursus sudoreis ferre molestos.
 Qualiter in pullis ea gloria claret equorum
 Hungarici generis, quae sane imitatur herileis
 Laus animos: tot iam se gens labantibus annis
 45 Nititur horrendos contra defendere Turcas:
 Ut iuga servitio non praebeat, arma vicissim
 Usque gerit bello contraria; sicut equinae
 Impatiens cervix admittere respuit, intra
 Ire iugum: renuit spiratque e naribus igneis
 50 Excutit impositos, donec vi victa laboreis
 Paulatim adsuescat, poppismata crebra magistri
 Exsuperent blandi; clementia terga superbum
 Accipiunt rectoris onus, nec ephippia spernunt.
 Tum demum sonipes latos calcaribus armos
 55 Praebet, et arbitrio sua format crura regentis.
 Quos iam composito pede gressus ungula format
 Ferrea? luxuries quae tunc et quantus aperto
 Sudor! ubi positam fas est attingere metam
 Aspice, quae facies, nitidam mirabere formam,
 60 Quam caput argutum, quam curtas asperet aureis!
 Quam pede sit longo pulcer, quam crura decorus
 Ut micet, et late nigra lumina saepe fenestris
 Ut tremat, inque viceis oculis, ut porro laboret.
 Sic variat serpens hirkus Epidaurius igneis,
 65 Flamma procul fumans ex naribus exit apertis.

53 ephippia **Hung.** epiphia

49 spiratque e naribus igneis — cf. Verg. Georg. II, 140; Aen. VII, 281

64 serpens Epidaurius — Hor. Sat. I, 3, 27

Protrahitur collum sat honeste ad pectora crassum.
 In medio guttur lunatum et curva iubarum
 Stamina crispantur, dextros reiecta per armos
 Denso animant, tergo brevitatis pinguedine lato
 70 Pectore luxuries solidat spatiosa decoro.
 Spadiceusque toris color altos cordis honoreis
 Exserit, et bello virtuteis indicat acres.
 Area pro lumbis solida est, parva atque rotunda
 Genua, nigrum dura cornu compage recurvum.
 75 Syrmate non parvo promissaque cauda fluenti
 Crine, gerit qualem vulpes, currendo volentem.
 Si placet, ingreditur sublimis, et alta reponit
 Crura, cati de more leveis. Velocia poscis?
 In ritum leporis cursabit in aëre pervix.
 80 Non ita Germanae quos gignit obesa propages:
 Sessorem insultu quatiant, procedere tardi.
 Quid referam? quum bella vocant horrenda, caballis
 Hungara quam cito se fert natio lata per omneis
 Mox casus: fluvios ignotos intrat in undas.
 85 Prima secat. Silvas, varia avia transit, et una
 Turcigenis longe ante pigris quam Teuto molossis
 Post festum veniat, trux ardet ubique sequaci
 Marte, suos aufert dominos quoque saepe periculis.
 Sors temere nolit quando perstare furentes
 90 Frustra, et sit melius dare terga et abire, volucris
 Hunnus eques cum fas, abeundo decipit hostem,
 Frisia dum nequeat villosis tendere monstros.
 Quem capiunt molles, is carmine laudet Iberos.
 Sarmaticos celebret mureis et corpora parva,
 95 Qui volet; Hungarides sonipes me raptat ob alta
 Tergora, velocem cursum formamque decentem.
 Porro, Mecoenas, tu qualibus utere victor.
 Qualis erat quoque nuper ego, te dante Balogi,
 Quo latus nostri sum forte profectus in aedeis,
 100 Aliger is certe mihi semper Pegasus esset.
 Et scio, Bellerophon, si pennis ille careret,
 Esse suum, sancte iurando diceret istum.
 Qui te portet herum plureis robustus in annos
 Tempus erit, natura mihi quo notior huius
 105 Se clarabit, equos ista tellure creatos,
 Gloria maioreis faciet, quae carmine surgit.

491 In prophetica enarrationem Gen[erosi] et Egr[egii] Domini
Christophori Soos de Sowar

Ut nil esca sapit, sale ni conspersa sit, omne
Huic licet iniicias Indici aroma soli.
Sic genus et magnum nil prodest stemma, patritis
Ni titulis addas nobile et ipse decus.
5 Stemma, decus, tituli, bona sunt aliena, priusquam
Stemma, decus, titulos nobilis ipse pares.
Ceum violas campo, ceum lilia deiicit Eurus,
Non aliter claras sors vaga frangit opes.
Qui decore et titulis, qui stemmate claret avito,
10 Plusque subinde illis adiicit, ille vir est.
Virtute ille sapit, tantumque his stemmate vincit,
Quantum et aromata sal quaelibet ipse cibus.
Tu vivum exemplum es decus et sal nonne Soosi,
Hoc sale nos duplici qui salis usque solo.
15 Terra tibi salsa est, tibi penna est salsa: patritum
Illud, at hoc genii vis tua docta facit.
Te patina agnoscit, te pagina et Hungara, cinctis
Quod plus nobilitates tu sale sole solum.

492 Tauro suo

Quid tibi cum lauro, thesauro, Taure, quid auro?
Non Taurum laurum, ast cornua ferre decet.
Laure veni, thesaure, probis aurumque poetis
Te fave, et haud bruto prostituas pecori.

493 Symbolum Rev[erendi], Doct[issimi] et Opt[imi] V[iri]
Ioannis Balogi: Sanctior, splendidior

Heu quam splendidus haec mortalia decipit error!
Omnia iudicio stantque iacentque malo.
I, refer ingenio Marcos, pietate Metellos,
Sis et mente Solon, integritate Cato.
5 Ni gemmis oculos ferias, ni veste corusces
Purpurea, qui te, nemo salutet, erit.

I Lapithas, Tityum, Centauros exprime factis,
 Autolytus vita, moribus esto Cyclops.
 Te modo conspicuum faciant tua pallia vulgo,
 10 Magnificis niteas sumptibus, aere mices.
 Nocte tibi caeca rutillet carbunculus auro,
 Fulgidus in digitis dulce coruscet onyx.
 Illustra tunicas flammisque imitare pyropos,
 Iuro ego, tu mundo numinis instar eris.
 15 O miseros, quibus hic perstringit lumina splendor,
 Qui ducunt terris lucida, sancta polo.
 Illa dies quondam aethereo splendescet ab axe,
 Qua totum hoc mundi flamma vorabit opus.
 Tunc sua cum pietas et habebit praemia virtus,
 20 Quum splendor sanctis perpetualis erit.
 Cum sol iustitiae vero de lumine lumen,
 Lux mundi, Iacob stella corusca domus:
 Lucifer aureolus, oriens patre lampas ab alto,
 Christus erit nunquam fax peritura suis.
 25 Quem tunc de facie ad faciem pia lumina cernent,
 Nec poterunt visu se satiare suo.
 Quippe vorax rerum hoc ignis canit esseque cunctos
 Nos sanctos, porro sanctus ut ipse, iubet.
 Sidera siderius discriminat orbis, et illo
 30 Discernet pacto pectora sancta Deus.
 Vita aeterna quidem donum est, tamen aula monarchae
 Illius in famulos sic stat aperta suos:
 Plus fulgoris erit, queis plus sudoris ad aras,
 Queis fuit in curas mens operosa pias.
 35 Quale vides, quum noctis eunt nigra tempora, stellis
 In celsis flagrans orbibus esse decus.
 Tale ferent mystae veneranda statuta Iehovae,
 Iusticiamque alios qui docuere, iubar.
 Qui geris hoc scitum, vitaeque hoc simbolon addis,
 40 Iurate in moreis, Iane — Baloge, pios.
 Sic quia erit melius nobis, quum fulserit Eos
 Ultima, age aequo animo fer mala et ista sona:
 Falsa vale mundi, salve verissima coeli,
 Salve lux votis summa caputque meis.
 45 Tu quoque, Christe, meas de pectore tolle tenebras,
 Sanctior ut fieri splendidiorque queam.

Ad Gen[erosum] et Egregium Nobilissimumque Virum,
 D[ominum] Georgium Merse de Sinye,
 in Caes[area] Cam[era] Pragae Conservatorem

Vix credis, flos caesariae generose coronae,
 O et Sinneicae splendor honosque domus!
 Vix, inquam, credis, qua me perfuderit ista
 Laetitia vultus nuper in urbe tuus.
 5 Non haec est cupidis fors oblectatio sponsis,
 Quum ruit in licitum foemina virque torum.
 Quam tua me cepit praesentia semper anhelum
 Hactenus, a facie te quia nosse datum est.
 Ante sat a scriptis, clarae virtutis et artis,
 10 A gravitate mihi iam bene notus eris.
 Te quoniam didici generosa fratris in aula,
 Cui prolem nostra Pallas in aede docet.
 Qui vir sis, a septeno mihi constat id anno,
 A quo me patriae detinet ora tuae.
 15 Saepe fui procereis inter conviva, per omnes
 Quum sat honorifice mentio facta tui est.
 Quomodo Romanus te complectatur amore
 Caesar, et officio splendidiore locet
 Proximus a dominis magnatibus atque patronis
 20 Imperii coram rite sedere queas.
 Et quia iam tantum rutilis, contingere possit,
 Te celebret magni maior honoris apex.
 Sis columnen patriae carisque futuris amicis,
 Victura aeternos gloria summa dies.
 25 Quando tot egregie iam lumina clara virorum
 Suspiciant genii splendida dona tui.
 Fungarisque dato tam dexter munere, laudes
 Ut merito possit nemo tacere tuas.
 Carus ob ingenium sanctosque in pectore mores
 30 Agmina fautorum plurima iure feras.
 Apta tuis varie sint viribus omnia regni
 Ardua, queis magnos praeficit aula viros.
 Ore potens facias cum verba Latina disertus,
 Rhetoris Ausonii nomen habere queas.
 35 Ista, vir excellens, laus Hungara, clare Georgi,
 Sunt de persona saepius orta tua.
 Hinc ego te tacite suspexi, nomine virtus
 Cum rapiat solo me generosa suo.

Et iam Pannonicas tua laus extensa per oras
 40 Afficit ingenium, vir celebrande, meum.
 Saepius in votis habui te cernere, possem
 Ut tam praestanti notior esse viro.
 Ecce sed hoc cessit nobis occasio tempus
 Marte suo, voti spes mea compos ovat.
 45 O iucunda dies! o hora beata nimisque
 O felix, qui nos iunxit in urbe, locus.
 Festa mihi fiet porro lux ista, quotannis
 Annaleis inter conspicienda suos.
 Quando viri tales oblectamenta Camoenis
 50 Sufficiunt, doctos perpetuantque choros.
 Si non Mecoenas Augusti vixet in aula,
 Vergilius nobis nullus in orbe foret.
 Illius et Flacci sunt munere carmina, totque
 Docta poetarum sunt modo corda super.
 55 Inde laboris habent Clarii solatia vates,
 Regia quos ideo spes animare solet.
 Felices Musas, qua principis atria servant,
 Tempora qui studiis blanda dedere suis.
 Arbitrio quorum doctis largitur honoreis,
 60 Inclita terrarum qui sua scepra gerit.
 Qualis es Ausonio quoque tu pars una monarchae,
 Grata senatori caesaris usque throno.
 Commendare soles praestanteis Marte vel arte,
 Ut suus ex merito quenque sequatur honos.
 65 Ante viris virtus per te insinuata potenteis,
 A magno titulos caesare laeta ferat.
 Nam quacunque potes ratione, decora propagas
 Corda, nec in tenebris, quae meruere, sinis.
 Me quoque, vix aliquid meritum sed tale, patronus
 70 Quod bene prosequeris certus amore tuo.
 Quodque tuis capias mea commendare togatis
 Nomina, quo titulis stent perhonora suis:
 Est satis indicio te, clare vir, esse Camoenis
 Addictum, nec adhuc deseruisse deas.
 75 Si tibi nobilitas generis proavita deesset,
 Hoc tibi pro vera nobilitate foret.
 Quisquis enim Musis aula se praestat amicum,
 Hunc decus et rursum splendida forma decet.
 Quare Synneicae flos stirpis amorque Georgi,
 80 Fac, quod sponte tua, meque tacente, facis.
 Tu potes eloquio mihi conciliare favorem

Illorum, active quos penes altus honos.
 Crescat ut alternis mihi gratia vocibus, ornent
 Me nostri proceres numinis ante thronum.
 85 Fundamenta meae quoniam sunt iacta salutis,
 Provehere hoc citius, quod rego, forte potes.
 Forgaciana prius rem strinxit epistola supplex,
 Hoffmannusque suam suppeditavit opem.
 Fautor idem pro me scribendo Caproncius orat,
 90 Tu desiderio sis bona meta suo.
 Consorteis operum rege voce, necesse fatebor
 Nostra sub auspiciis irrita vota tuis.
 Denique si fuero tantum feliciter ausus,
 Contigerit nostras gratia larga preceis:
 95 Quis, rogo, te melius, vir praestantissime, scripto
 Mittere caesarias huc mihi possit opes?
 O ibi, per tractus tibi vel vicinior essem!
 Quanta fores nobis gloria, quanta salus!
 Pulcrius extarent vivis emblemata chartis,
 100 Nobile splendoris plus mihi ferret opus.
 Coetera luce sua longe sol astra tirumphat,
 Omnia scribentum tu monumenta regis.
 Scripta tibi aureolis docte ridentia pennis
 Vidimus, ac dextrae plurima scita tuae.
 105 Qua decus illustras ad vivum illustre virorum,
 Scribis et artifice non imitanda manu.
 Pictor Apellaeo cum luxuriaris honore,
 Discipulus Zeuxis cum tuus esse velit.
 Scilicet hoc laudeis cumulat, decus auget, honoreis
 110 Amplificat, claris pingier arte viris.
 Magnus Alexander per Apelles unius artem
 Describi voluit corporis ora sui.
 Non alios etiam sculptoreis aere, Lysippum
 Praeter, in artifice rex Macedo ille tulit.
 115 Sed moneo memorem, vir percipis inclite sensus
 Ipse meos, verbis non opus esse reor.
 Desino! pollicitis diffidere forsitan ultro
 Ne videar, per te caetera sospes ero.
 Iamque paras abitus, neu te iuvat heicce morati,
 120 I domini felix arva Bohema tui.
 Te Deus in multos nobis indulgeat annos,
 Nobile post obitum tu quoque sidus eris.

495 Ad hortulum domesticum V[iri] Gen[erosi] et Egregii, D[omini]
Georgii Capronci, Percept[oris] Caes[arei] Cassoviae

Hortule mi, salve; quam te tam laetus ocellis
Aspicio, nostri luminis alme cibus.
Ignis, onyx, smaragdus, nix, flumen, purpura, coelum,
Ista colore geris, gramine, flore tuo.
5 Nil sunt Alcinoi prae te nec Adonidis horti:
Tu nemus Elysium, tu Paradison habes.
Hortule, fer domino, quod curas molliat et quod
Blandius in cerebrum dulce penetret heri.
Hortule, fer domino, quod morbos pellat, alat quod
10 Corpus, quodque animo nobile delitium.

496 In concionem De fame s[acra] — ex Amos VIII —
Rever[endi] et Docti V[iri], D[omini] Friderici Usrai,
Conc[ionatoris] Epper[iensis]

Scire licet, passim Cereris Bacchique quot annis
Quam fuerit quondam Pannonis ora ferax.
Dura negat victus eadem nunc terra, nec usus
Aut esus quantum forte requirit, habet.
5 Nescius est caussae miser incola, saepe quis arma
Increpat, et vano Teutonis ore ciet.
Hic, nova relligio sterileis, ait, asperat agros,
Terraе Euangelii concio perdit opeis.
Veri exosa Dei gens, istas corrige voces:
10 Ipsa tibi caussa es crimine vera mali.
Heu nimis ingratae quoniam tibi gratia sacra
Coelica divinas exhibet aede dapeis.
Iure tuas ingressa fames est aspera terras,
Ah nisi fis melior, te mala plura manent.
15 Numina mox epulas, quae sunt tibi nausea, tollent,
Quod pius heic Usrai coelite voce docet.
Posce Deum veniam, Cereris gens prodiga sacrae,
Post verbi sacram ne patiare famem.

Prosopopoeia ex eadem

Foemina Pannonicis nuper currebat in agris,
 Lurida cui macies, pallor et oris erat.
 Ipsa professa Famem sese dicebat, et istos
 Moesta nimis quaerulo protulit ore sonos:
 5 O ter feliceis, sua iam quibus arva coluntur,
 Ruraque iam quorum prosperat ipsa Ceres.
 Heu deserta diis peregrinas quaerere terras
 Cogor ego, nullos contero dente cibos.
 Ah incredibilis rabies me vexat edendi,
 10 Semper inops cruciat viscera sicca dolor.
 Dives agri quondam reditu nunc exsulo egena,
 Scilicet arva truces iam mea Thraces arant.
 Huc feror, ut si me tellus patiare magistram
 Hungara, ab exemplo sis bene cauta meo.
 15 Quae nunc ambrosiam, lautas quae despicias escas,
 Ne toleres duram, prospice, quaeso, famem.
 Dextra tibi superi quae sufficit alma parentis,
 O soror, haec felix post reverenter habe.
 Aut extrema petes Scythicae confinia terrae,
 20 Ut fastiditis ante fruare cibis.
 Si prior a duplici non forte vorabere monstro,
 Hoc animam quorum, corpus at illud edit.
 Iam pridem te Roma famet, te Turcia grandi
 Fauce Saracenis expetit usa lupis.
 25 Ergo age (quum superi, tellus Mavortia, mensa
 Te dignentur adhuc pro bonitate sua)
 Ore pii cordis ventura in saecula posthac
 Iam duraturas accipe grata dapes.

Ad F[ilium] D[ei]

Christe, fave nostramque animam cum corpore serva,
 Integra sit verbi gloria porro tui.

499 De Doct[i] et Circumsp[ecti] V[iri], D[omini] Sebaldi Artneri,
Trib[uni] P[lebis] et Notarii Cassovien[is]
primogenita filia Rosina

Tempore quo passim rosa plurima nascitur horto,
Hoc etiam Artnero nata Rosina fuit.
Flos, Cytherea, tibi sacer est rosa, quaeso roseto
Artneri plureis da, Venus alma, rosas.

500 De tragico casu et obitu miserabili
Excellentissimi Viri Nicodemi Frischlini,
P[oetae] L[aureati], Com[itis] Pal[atini], Civis Rom[ani] etc.
ad Mecoenatem Gene[rosum], Egre[gium], Nobiliss[imum]
Doctissimumque Dominum,
D[ominum] Christoph[orum] Darholtz de Fyntha etc.

Mos tuus est emere autores, generose Darholci,
Quos bene certatim doctior orbis avet.
Non igitur dubito, tibi notas esse Camoenas,
Quas iam Frischlini protulit ore Deus.
5 Ille meret Cicero dici atque Terentius alter,
Quando ligata sonat, libera quando tonat.
Scripserat is contra, qui nobilitatis honores
Plus vitii soleant commaculare suis.
Lestrygonas solos, Epicuri de grege porcos,
10 Et contra horrendas triste Cyclopas opus.
His graviter motus Germanae gentis equester
Ad poenas hominem protinus ordo rapit.
Wirtembergiacae dux stirpis ad instar? ad urnam
Frischlinus rapitur principis atque gregis.
15 Ore gravis causa se crimine purgat, honestos
Stringere quod nolit nobilitate viros.
Nil cum personis, sed cum scelere esse poetae
Hic sibi, quod faciat, postulet ipse Deus.
Qui sua barbarico dehonestent more parentum
20 Arma, patrent flexu liberiore scelus.
His coleat chartis indicere praelia virtus,
Pectora cum vitii Musica bella gerant.

9 Epicuri de grege — Hor. Epist. I, 4, 16

Nil sua Frischlinum iuvat excusatio, lictor
 Abripe damnatum, carcere claude reum.
 25 Arx monte Auraci summis vicina stat astris,
 Qua sibi dura loquax iugera Swevus arat.
 Hanc Frischliniades conscendere cogitur arcem,
 Tale nihil scribat, tempora fallat iners.
 Displicet hospitium capto, mox cogitat artes,
 30 Officio quarum liber abire queat.
 Suscitatur ingenium dolor, ex lodiace paratur
 Restis et ex variis tortile rebus opus.
 Turris ab aetherae mens est transire fenestram
 Per laqueum salvam tangere sperat humum.
 35 Non favet, haud prohibet custodia, corripit ergo,
 Ipse suum infelix restio funis iter.
 Vix ulnae spatium cum pendet ab ore fenestrae,
 Heu! laqueo doctum rumpitur istud onus.
 Heu! caput alisum praedura in rupe cerebrum
 40 Linquit, et in terra fractus ubique iacet.
 Terribiles boat ore sonos, auditur in arce
 Vox, et Frischlinum quaerere turba ruit.
 Aulica concurrunt manus, ah illudere capto,
 Sed fracto et tacto satrapa quisque cupit.
 45 Nec mora, tam misere toto plorante senatu
 Coelicolum et musis, spiritus astra subit.
 Haec pro divinis, Frischline, laboribus! haec et
 Pro virtute tua praemia digna capis?
 Ite viri docti, vos angite, frangite Musis,
 50 Pro penna sera poena severa datur.

501 In pelicanum. Insignia Gen[erosi] et Egr[egii] Domini
 Michaelis de Kelemes

Aspice, quid volucris notet ista, terebrat acuto
 Ipsa quid et rostro pectus aperta suum?
 Sunt Kelemessiadae Michaelis signa: dolores
 Heros pro patria sustulit ille graveis.
 5 Publica qui passim dum commoda sedulus auxit,
 Saepius in proprias vulnera fecit opes.
 Saepe procul vitae sat certa pericula sensit,
 Ut modo natalem vivificaret humum.
 Caesar id et princeps scit Macovicenus, honoreis
 10 Cui tribuit rursus gratus uterque novos.

Vive decus generis, Kelemessia gloria: pulcrum est
Pro patria aut vitam perdere, dura pati.

*

Antithesis ebrietatis et sobrietatis iuxta casus — v. 98.

*

Sobrietas — v. 99.

*

Ebrietas — v. 100.

*

In temulentos poetas et cantores — v. 102.

*

In paucos libros et multa pocula habentem — v. 107.

*

In theologum helluonem — v. 108.

*

Cantori bibulo — v. 109.

*

Pastori lurconi — v. 111.

*

Cuidam querulo — v. 112.

*

In potatores ex calceo mihi cerevisiam propinantes — v. 113.

*

Prud[entissimo] et Doctiss[imo] V[iro],
Do[mino] Sebaldo Artnero, Not[ario] Cass[oviensi],
Trib[uno] pl[ebis] facto

Si respublica tam beata demum est,
Quando philosophi gregis gubernant
Clavum, dixerat ut Plato: quid obstat?
Si rear quoque ter beatiorem
5 Iam posthaec fore Cassowianam,
Quum tribunus ei, Sebalde, factus
Tu sis philosophus. Sebalde, salve.
Salve tam cito gloriae quadrigis
Inter vecte cygnos caput senileis.
10 Canibarba cohors vale: Sebalde
Curatum dabit, ut beatiore,
Teste aut invidia calumniaque,
Dicas iam fore Cassovianos.

*

Ad amicum pocula exhausta postulantem — v. 115.

*

In templum vini vasis repletum — v. 116.

*

In foeminam ebriam — v. 117.

*

In potatorem mature barbescentem — v. 118.

*

Idem eidem — v. 119.

*

In cataphractum equo suo plus debito bibere non permittentem — v. 120.

*

Cur ebrii omnia effutiant. Ex Seneca — v. 121.

*

In quendam, a tribus famulis ex convivio ductum — v. 122.

*

In militem, effringentem cellam vinariam — v. 125.

*

In militem ebrium et meretriculam in sinu foventem — v. 126.

*

Templum et oenopolium — v. 127.

*

Asoto in via titubanti — v. 128.

*

Ἐν οἴνῳ ἀσωτία — v. 129.

*

Vinum et fornicatio auferunt cor regis — v. 130.

*

Epicedion mortuo, ob immodicum vitae aquae usum — v. 131.

*

Ad pocula de sacris rebus disputanti — v. 132.

*

Theologo, pauperum nuptias fugienti — v. 133.

*

Turcae abstemii — v. 135.

*

In homicidam et adulterum per temulantiam factum — v. 136.

*

Gen[eroso] et Egr[egio] V[iro] Ladislao Donai, praeter Hungarica pruna nihil comedenti et praeter lac et aquam nihil bibenti, ab annis 46 — v. 137.

*

Ad cancellarium principis Transylvaniae — v. 138.

*

In milites Germanicos, ducentes in militiam secum foeminas — v. 171.

*

Theologo lascivo — v. 172.

*

Cuidam Satyro — v. 168.

*

Bacchanalia — v. 169.

*

In quendam die Veneris impudicum — v. 170.

*

De cibo potuque prisca et nostri saeculi — v. 160.

*

Seni lascivo et decrepito — v. 144.

*

Vetulo, coniuge vix sepulta, aliam ducturienti — v. 145.

*

Puellae nubenti decrepito et rudi — v. 146.

*

Iudici potatori — v. 165.

*

Idem eidem — v. 166.

*

Oranti post longam et madidam coenam — v. 150.

*

Concionatori ebrio, perperam legenti epistolam Pauli 2Cor 11 — v. 148.

*

Theologunculo, pro concione computationem hesternam ruminanti — v. 149.

*

Nobili et Doctiss[imo] V[iro], D[omino] Michaeli Grebio, Transylvano — v. 176.

*

De quodam Papa, bibente vinum ex Talya, oppido Hungariae — v. 187.

*

De alio quodam Papa, accipiente dono vinum ex Szántó, Ungarico oppido —
v. 188.

*

D[omino] Ioanni Fabricio, theologo doctissimo — v. 189.

*

De Swevo loquace, salace — v. 190.

*

In picturam temperantiae — v. 191.

*

Intemperies quorundam, ob diversam religionem doctos et bonos viros
perperam odio prosequentium — v. 192.

*

503 De reditu ex Germ[ania] in Hung[ariam] Sup[er]iorem]
 Nobil[issimi] et Praestantiss[imi] V[iri],
 D[omini] Casparis Franci,
Caes[arei] R[ationarii] in C[amera] Scep[usiac]a M[agistri]

Sic est, nil dubito: rediit iam Francus ad Hunnos,
 Falx ubi curva solum Cassoviense metit.
Dicitur hanc nostram felix transisse per urbem,
 Hungara cui nomen fraga dedere suum.
5 Hoc mihi Crispinus narravit, et ille pependit
 Qui reducis Franci laetus ab ore sui.
Hoc mihi caesarea camera perscripsit amicus,
 Cuius non didicit fallere plana fides.
Hoc mihi laurigerae potuerunt dicere Musae,
10 Quas vidi laetos ducere forte choros.
Illae quando suum collegam hoc orbe viderent
 Exire, et nostro iam dare terga solo:

1 nil Hung. nihil

Pectora tundebant palmis, crineisque solutae
 Cantabant nullo dulcia sacra die.
 15 Hinc aberant Charites, gravium decus omne leporum,
 Nec moestus moestam strinxit Apollo chelyn.
 Tres siluere etiam solita sine voce Camoenae,
 Nec sacer, ante velut, fons in honore fuit.
 Sic ego, ut Aonides, pia numina, secter amice,
 20 Pars et Apollinei sim quotacunque chori.
 Non aliter cecini, quam piscis et arboris expers
 Frondentis turtur busta marita gemens.
 Iam, video, dulcis redit ad sua gaudia Phoebus,
 Et cytharam plectro luxuriante movet.
 25 Laetitiaie plaususque novem dant signa sorores,
 Omnia blanda vides, omnia salva vides.
 Et mihi divitiore fluunt in carmina lusus,
 Et mihi se facilem praestat in arte Deus.
 Non aliunde reor, reditus quam propter amicos,
 30 Iam nasci ob tanti gaudia larga viri.
 I, puer, in cellam, quod treis superaverit annos,
 Affer et in pateram nobile funde merum.
 Et quoniam igne suo iam Sirius asperat agros,
 Regnat et Icarii fervida stella canis:
 35 In puteos glaciem simul iniice nocte repostam,
 Ut iuвет in medio dulce calore gelu.
 Haec mihi tota dies Genialis habebitur, adsint
 Laetitiaie socii, conscia corda, meae.
 Flore domus sparso mea rideat undique, nardus,
 40 Rosmaris et violae dent mihi dulce comis.
 Impediant socios florentia sarta capillos,
 Myrtea sit capitis laeta corona decus.
 Dicemus bona verba, viro gratabimur illi,
 Cuius ob adventum turba canora sumus.
 45 Salve, clare vir, et vates celeberrime, salve!
 Exspectate tuis salve amor, omnis honos!
 Salve, macte novis titulis, quos caesaris aula
 Pro meritis tribuit, candide France, tuis.
 Cui dedit ingenii doteis regnator Olympi,
 50 Hunc merito virtus et bonus omnis amat.
 Zoilus invidet, rumpatur et aemulus, ipse
 Quum nequeat cunctis axe placere Deus.
 O miseros, nemo quibus invidet, obvia res est

Laetum odiis, nunquam tristia Livor edit.
 55 Cum scrophiiis porci, bruti valeantque suilli,
 Paucis atque bonis qui placet, ille placet.
 Vis Mecoenates? te Teuffenbachius ardet,
 Et camerae domini te sitienter amant.
 Nuper honorifice de te fuit ille locutus,
 60 Cum fierent celso sacra marita loco.
 Quando noster adest Francus? iam forsan abivit
 Amplius ad nostros non rediturus agros.
 Quum sua mutarit trina vice cornua Phoebe,
 Vobiscum, dixit, tunc ego rursus ero.
 65 Luna quater latuit, sed adhuc nondum ille revertit,
 Mansio sed causas, credo, habet illa suas.
 Iam bibo votivus, quo sospes et alite fausta
 Conficiat Francus, si modo carpit, iter.
 Haec refero, ipse meis quae coram his auribus hausit,
 70 Iudicio gravium multa fuere virum.
 Vox alius, proprium qui te dicebat ocellum,
 Pro reditu fecit candida vota tuo.
 O curet reduceis currus, det terga Casurgi,
 Francus amicitiae summa caputque meae.
 75 Ille suis nova mille domi narrabit amicis,
 Exponetque suae quae mora longa viae.
 Disseret, ut noster procereis in praelia caesar
 Poscat, et in caussas ingeniosus eat.
 Bellica Romanam quid Thracia scribat in aulam,
 80 Num Mars, Irene sitne futura brevi?
 Scilicet haec de te interea, doctissime vates,
 Atque alia haec tellus multa locuta fuit.
 Gratulor hisce tibi reditum, voveoque diurnes
 Nobiscum, ut possis, optime France, vale.

504 Generosiss[imis], Egregiis et Nobilissimis Dominis,
 D[omino] Francisco, Andreae et Sigismundo Mariassi etc.

Salve nobilium trias virorum,
 Gentis flos Mariassiae decusque.
 Vos doctis etiam favere Musis,
 Iam pridem audieram, fides et ipsi
 5 Est iam facta mihi, nihil merenti
 Certe tale data modo papyro
 Nam pro simplice versibusque paucis,

Qui vix paupere venula quid audent.
 Accepi aurea dona sexque regeis.
 10 Aurum reddere dantibus poeta
 Quando sed nequeam, quid ergo vobis
 Reddam? quin grave dedecus putarem.
 Accepisse, nihil dedisse contra.
 Ut sat magna mihi quidem voluntas:
 15 Sic est parva iterum mihi facultas.
 Sed quum velle meum probetis ipsi,
 Quae possum, dabo liberalis ergo.
 Quidnam? vota preceis Deo, patronis
 Pro vobis, mea quod Camoena vestris
 20 Non sordet titulis, viri potentes.
 Missos insuper huc docebo promptus
 Vestros erudiens probe clienteis;
 Discentum decus unicum meorum,
 Et par nobile, par profecto ad amplam
 25 Adspirans satis eruditionem.
 Quois Phoebique deique cura amorque.
 Alter, Czitneciae domus columna,
 Musis immoritur probe novenis,
 Mane et sera crepuscula optimatum,
 30 Dans autoribus, ipse saepe cantat
 Versu splendidiore res honestas.
 Alter, magnifici gradus, Rakoci
 Proles optima spesque summa stirpis,
 Dicendi magis arte sudat, et se
 35 Exercet Ciceronis in palaestra.
 Ambo ornarier et merentur ambo,
 Quos patrocinio graves iuветis
 Vestro, sicut et hactenus, patronos
 Vos quum suspiciant, ament colantque.
 40 Hos, inquam, hos magis erudire conor,
 Vestrae ut reddere liberalitati
 Quid possim: immo satos domi puellos
 Si vestrae mihi mitteritis olim:
 Illos totus ego vel involarem.
 45 Ut docti ingenii quid et Minervae
 Si quid me occupat, illud omne natis
 Vestris serviat omnibus lubenter.
 Sed vos interea Deus beatos
 Feliceisque diu, rogo, futuro
 50 Servet tempore, quo favere Musis

Iam passim exsulibus queatis usque.
Haec est summa precum caputque voti.
Salvete atque valete, tres virorum
Flores nobilium Hungaras per oras.

505

Insignia Mecoenatis mei colendissimi,
Generosi, Egr[egii] Nobilissimi et literatissimi D[omini]
Christoph[ori] Darholtz de Fyntha,
in Demeta et Hillo Domini etc.

Quare Christophorus gerit hancce Darholcius armis,
Cum quoque sit praestans miles et acer, avem?
Causa patet, veluti rostro sibi pectus acuto
Illa suum volucris perterebrare solet:
5 Sanguine ut implumeis emisso provida natos
Pascere et hoc pacto vivificare quaeat:
Non aliter quoque Mecoenas meus optimus ardet,
Pro sibi commisso vulnera ferre grege.
Praelia nam poscunt ubi Martia, fortibus ausis
10 Asserit hoc patrium sive cruore solum.
A patre nil etiam fido differre videtur,
Cum regit in propria subdita membra domo.
Scis iam, Christophorus cur hancce Darholcius ergo
Gestet avem clypeo nobilis atque animo.
15 Assere, magne Deus, nobis hunc usque patronum,
Nestor ut evadat, serus ad astra volet.

506

De eiusdem Demetano castro

Quando Darholciade subit aula et nobile castrum,
Quod sibi Mecoenas struxit et ipse meus,
Dignam rege domum claro Musisque novenis,
Si quicquam vere censeo, iure rear.
5 Credere qui non vult, is apertis cernat ocellis
Fixius, et lustret fabrica quanta domus.
Quod robur muro? quae pariete gloria scripto
Regia pro Marte est Pallade proque schola.
Quot tormenta locis in cunctis bellica, et arma
10 Pendula pro multo milite quanta suo?
Cuncta docent conclavia? cuncta hypocausta, nec extus

Vult spectatorem littera picta rudem.
 Lumina qua tua cunque feras, sententia passim
 Occurrit genio mascula tota suo.
 15 Hocne mihi castrum vir nobilis incolat, armis
 Et parmis qui sat nobilis esse potest?
 Heic Heliconae suum deberet habere deorum
 Concio, et Aonii Musica turba chori.
 Libera si detur Phoebi optio, mentiar, aulam,
 20 Hanc si Parnassum non velit esse suum.
 O quam coniurat par istud nobile amice:
 Mars gravis, ars celebris, cum probitate decus.
 Scilicet haec vera est virtutis gloria, sese
 Non minus ac bellis, nobilitare domi.
 25 Quam felix igitur cum Meceenate sit istud
 Hisce meo castrum, quique videre potest.
 Si sese aeternant dominusque domusque Demetes,
 Huic erit Hungaricis nulla secunda plagis.
 Mercuri, Apollo, Venus, Pallas, Gradive, lepores,
 30 Este Darholciade numina fausta domo.

507

Ad Egregium et Cordatissimum Iuvenem
 D[ominum] Ioannem Thoraconymum, Vicesecr[etarium]
 in Camera Scep[usiaca] Stipend[iorum] Caesar[iorum]

Salve, quo iuvenum vix est cordatior alter,
 O Thoraconymi flos oriunde toro.
 Saepe tuas volui perstringere carmine laudeis,
 Debita virtuti scribere pauca tuae.
 5 Ut sit amicitiae quoque publica tessera nostrae,
 Alloquiis maneat porro novatus amor.
 Sed requies quia nulla tibi datur Hunnidus oris,
 Te gerat in variis tradita sparta locis.
 Nemo fuit, tuto cui possem credere chartas,
 10 Qui ferret digitis verba notata meis.
 Nunc es magnanimus bello, nunc ducis equestreis,
 Intrans Pannonicos quando decenter agros.
 Praevius ire soles, monstrare cohortibus oras,
 In quibus accipiant pabula quanta, doces.
 15 Iam legatus abis, et principis ante tribunal
 Stare viri cogunt publica fando soli.
 Pegasus aut volucer tecum praetervolat urbem,

Quum cito sunt ducibus scripta ferenda viris.
 Ergo quod hesterno me vespere viseris ipse,
 20 Gratulor, et reducem te bene propter oro.
 Nec tantum laetor, quod rursus amicus amicum
 Accipiam, ast clarus quod tibi crescat honos.
 Delitium Martis, cor nobile caesaris, heros,
 Te Teuffenbachius quomodo amarit herus.
 25 Ad latus illius te quomodo gesseris armis,
 Bellum ad Fillecum nobile quando foret.
 Vel quando Hatvanii dominus tuus acer ob arcem,
 Trux esses Geticis tu simul ense Getis.
 Non certe obscurum est, tua gloria claret alumnos
 30 Caesarios inter, lausque per arma volat.
 Iam domini post fata tui, sat equestribus armis
 Es decus excellens, praelia quando facis.
 Quodque per ingenium varios sis aptus ad usus,
 Saepe alia ex aliis munera clara geris.
 35 Certant heroes tibi magni tradere fasceis,
 Proque Deo et patria quos bonus usque capis.
 Te carum atque suum scripto compellat amicum
 Dux Niareus, atrox victor et ille Getis.
 Vidi, litterulas Maxaemilianus et ipse
 40 Quas dedit Austriacus terve quaterve tibi.
 Cum quo sermoneis habuisti nuper apertos,
 Diceris et placidos inde tulisse sonos.
 Caesaris in Camera tibi iam contingat honestum
 Munus, secretas regis habere vices.
 45 Si laudare velim te, non haec sufficit Eos,
 Tantus es et tantam spem mihi, Iane, facis.
 Ast si vera meum subeunt praesagia mentem,
 Te virtus magnis inseret alta viris.
 Vive valeque diu nostrae nova purpura gentis,
 50 Tu Thoraconymus, Ianus et alter eris.

508 In sacrum laborem V[iri] Reverendi et Cl[arissimi] D[omini]
 Leonharti Mokoschini,
 P[astoris] Eccl[esiae] Teutolyphschianae

O sacer, o divine labor! per te itur ad astra:
 Per te auctor coeli nobile sidus erit.

tit. Ed. pr. Aliud

Quem si contigerit magni arbiter orbis et urbis,
 Sive Palatini purpura larga chori:
 5 Fronte geres frondem Phoebea ex arbore sertum,
 Ut tuus ex merito teque sequatur honos.
 Si tibi nec caesar laurum, nec Apollo dat, alto
 Ipse coronabit te super axe Deus.
 Salve amor! o coeleste decus! mirabile divis,
 10 Clara Mocoschini gloria vatis, opus.

509

In arma nobilitaria a Caes[are] Rom[ano] tradita
 Nobiliss[imo], Doctiss[imo] et Praestantissimo
 omni genere virtutum Viro ac Domino Caspari Franco etc.

Mascula florigeri cur forma leonis in armis
 Casparis Franci conspicienda datur?
 Forte quod in castris inter Mavortis alumnos
 Floruerit quondam, ceu leo, miles atrox.
 5 Non cadit ista viros in doctos cura, feroceis
 Horrida sanguineo praelia Marte decent.
 Causa est, quod Francus leonino more decenter
 Arduum in officio perferat omne suo.
 Caetera magnanimum pallent armenta leonem,
 10 Sceptra sui quando regis honesta vident.
 Sic is caesarios ratione gubernat alumnos,
 Regia qui Camerae scribere pensa solent.
 Huius ab imperio dependet turba, libellos
 Monstrat, et ad nutus ipsius omne facit.
 15 Hinc etiam, flores quoniam rosa textilis omneis
 Vincit odore, rosas cernis adesse duas.
 Ille suam ambrosiam flos late spargit in hortis,
 Orbe sed Hungarico Francica Musa suam.
 Maxime Turcarum domitor, ter dive Rodolphe,
 20 Iure potes tanto tradere plura viro.
 Accedat binis rosa tertia, tertius aula
 Pro te magnanimo caesare quantus erit?

In eiusdem symbolum cephalonomicum:
Christo Foenerantes Lucrantur Salutem Melos

Usuram habendi turpiter appetens
Augerier nunc omnibus in locis
Passim videtur machinantem
Viscera rodere plebis ardor.

5 Heu devorantur publica commoda,
Privae hauriuntur non minus ac opes,
Aes impius dat foenerator,
Ut sua lucra receiptet idem.

10 Regina mundi, ah, ipsa pecunia,
Quot parturit vulgo scelera obvia?
Damnata tamen foenus magistros
Turpis avaritiae danistas.

15 Non infrequenter pondera quis dedit
Nummorum acervos ex oculis suis,
Ut postularet rursus aera
Foenore cum graviore quondam.

20 Sed spes hianti saepius abstulit
Et mutuo nummos misere datos,
Quum pestilens grassatur aura,
Cunctaque Marte vel exsecrando

Vastantur arvis, oppida concidunt:
Urbs diceret iam quod Varadinia,
Qua Tartarus, qua trux Magogus
Exitio omnia dant tyranni.

25 Ut laminas quisquam elocet aureas
Non absque fructu, argentea pectora
Reddant idem cum postulato
Foenore, sive et inusitato.

30 Quae gratiarum est actio saeculi,
Quod creditum fert non sine murmure,
Expostulat, torvum tuetur,
Denigrat undique creditorem.

35 Infamis ergo redditur, Euclio
Intra urbis audit moenia; singulis
Tonsoribus lippisque constat,
Fertur in ora virum vir ille.

O France flos! o summa sagacium,
Prudentium dux et decus omnium,
40 Qui foeneraris cautius, qui
Certior aera capis vicissim.

Tu foenerator divitias Dei
Des optimo iam filiolo tuas,
Qui centuplum post creditori
Reddet in axe poli, quod isto

45 Huic foenebrem vis orbe pecuniam
Sat passim egeno credere, Christici
Sed nominis Codro misello,
Cuius onus relevare gestis.

50 Eia aestimator foenoris enthei
Sic perge, Christo mutua publice
Da, gratis cum maximis vir
Excipit ille viros merenteis.

55 Illi statutum est tempus, in aethere
Quo convocabit censor et arbiter
Nos ante divinum tribunal,
Praemia cuique sua ut det illic.

Iam cerno in summa tendere gloria
Hunc coelico de culmine plurimas
Iuxta angelorum conciones,
60 Sella capit veneranda regem.

Nunc audio vocem tibi dicere:
Heus, France, ad hanc te sistito dexteram,
Huc te venire est fas, parentis
O benedicte mei! lucellum

35 Tonsoribus lippisque — Hor. Sat. I, 7, 3

36 Fertur in ora virum — cf. Verg. Georg. III, 9

65 Hoc possideto, ante omnia saecula
Noster tibi quod composuit pater!
 Namque esurivi, sed dedisti
 Tu mihi largior ipse paneis.

 Nam quum sitivi, tu mihi pocula
70 Plene dedisti; tu mihi et exsuli
 Tectum dedisti dulce; nudum
 Vestibus optimus induisti.

 Morbo iacentem me misere diu
 Non destitisti invisere sedulus;
75 Quum carceris me distinerent
 Vincula, tunc mihi eras levamen.

 Haec, France, Christus lucra tibi dabit,
 O quanta te tunc gloria! quanta laus!
 Inter beatos Christianos
80 Excipiet super axe coeli.

 Rex omnium regum et dominantium,
 Palmaris antistes, tibi sertulum,
 Immarcidam semper corollam,
 Usque gerendam ibi, gloriose

85 Imponet altae laudis adorem.
 Quae dignitas! quae gloria! quod decus!
 Honos quis! aeternum inclitum te
 Perpete luce beatum habebit.

*

Munus iudiciale Pru[dentissimo], Doct[issimo] et Opt[imo] V[iro], D[omino]
Michaeli Wirt, Notario Epper[iessino] traditum — v. 281.

*

511 Zoilo, disticha mea praebitoria calumnianti

 Quid blateras? quid ovas? fur mendacissime honoris!
 Bestia scurrileis nata movere iocos!
 Anne pio de more bonis quod praebibo vinum,

Ebibo, si fuerint pocula larga, minus.
5 Castra autor violo virtuti scripta? trinequam
Mentiris, longe pessime et ater homo.
Quod toties (canis os et cor) praemitto salutem:
Id factum haud uno tempore scire potes.
Si fallax animum et tempus distinguere non vis,
10 Mentiris, longe pessime et ater homo.

512

In insignia Generosi et Egr[egii] V[iri],
D[omini] Tobiae Ilmanovski,
nuper ipsi a Caes[are] Rom[ano] data

Non iacet obscuris virtus generosa latebris,
Luce sed in media tollit ad astra caput.
Sic et in hoc cervum qui schemate cernis, in auras
Qui se ramoso vertice tollit humo.
5 Marte tuo fors scire potes, cur talia caesar
Maximus huic dederit praemia signa viro.
Urget iter pernice gradu, festinat anhelus,
Ut sibi virtutis querat in arce locum.
Hinc, licet invidiae doleat, fert praepete cursu,
10 Quae non est segneis par retulisse asinos.
Dum properat, cervina sitis linguam exserit: iste
Se fervore animi gnaviter usque gerit.
Gratulor, hoc insigne tibi, Ilmanovski, superstes
Ut possis isto laetus honore frui.
15 Est cervus vivax animal, laus aemula cervi
Post tua sic superet, mi generose, precor.
Da Deus, ut cursu gravis Ilmanovskia virtus
Vivat, et huic tandem sint supera astra quies.

513

Ornatiss[imo] Iuveni Sigismundo Schulcio Epperis[sino]

Flos nove Calliopes primusque future per arteis
Musaeas patriae quondam amor, altus honos.
Ergone Stiriacas genitor te rursus Athenas
Misit ad illustreis more et honore viros?
5 I, parere decet; felix i, Scholcia proles,
I, comes et consors Christus euntis erit.
I, duro Aonios urge sudore laboreis,

Ut fias patriae gloria prima tuae.
 Tempus erit, referes magno cum foenore merceis,
 10 Quas emptum Graeci rursus abire paras.
 Ingenium haud simplex Latius tibi cessit Apollo,
 Qualiter hesterno prodidit ipse die.
 Illo florenteis nisi nunc utare per annos,
 Crede mihi, posthac Musa sequetur iners.
 15 Ergo Palladias vel adhuc ne desere chartas,
 Heic te doctrina cum solidare queas.
 Ipse tui generis te gloria promovet Amman,
 Teque pol egregii more parentis amat.
 Cuius ab arbitrio si pendes, rite per altos
 20 Te sperem officii scandere posse gradus.
 Ardor eris caro, vir factus honore, parenti,
 Grata geres homini munera, grata Deo.
 Qui viridis tolerare potest gesta ardua saeculi,
 Mitia clarabunt hunc sua fata senem.

514 Ad Virum Nob[ilem], Doctiss[imum] et Opt[imum] Poetam,
 D[ominum] Casparem Francum,
 Caes[area] in C[amera] Scep[usiaca]
 R[atationum] L[atinarum] Mag[istrum]

Caesarei pars flosque chori, France, inclite vates,
 Si vacat, hic aureis facilis da, quaeso, Camoenis.
 Accipe, quae iactant animum, non carmina: quanto
 Doctior es, tanto cum sis humanior; ausim
 5 Te modicis cantare metris et simplice versu.
 Arbore sub viridi nuper cum forte iacerem,
 Qua mihi fronde graveis defenderet umbra calores:
 Monstra puellarum bis quattuor obvia gressus
 Ad me grata ferunt. Germanas veste, sed ore
 10 Agnosco Latias, Musasque vocare puellas
 Gestio, sed numerus prohibet, namque esse novenas
 Non octo Musas scibam. Dumque haereo, primum,
 Heus, ait una, virum fors non postreme bonorum,
 Vidistine ista nostram regione sororem,
 15 Hunnos ad rigidos Germano Helicone profectam?
 Qua Cassoviadae (dicam explanatius) undas

8 patriae gloria prima tuae — cf. Ian. Pann. De eodem Paulo aliter 4

Ad Conradis agunt, heic dicitur illa morari.
 Huc celeramus iter, potes an nos reddere certas,
 Ut vivat, valeat? quis ei hospita tecta ministret?
 20 Contra ego: sis quaecunque, nihil celabo rogantem.
 Est ita (testor enim) formosior una sororum,
 Vestrarum similis vocem moreisque secundos:
 Musea virtute replet Cassovidos urbem.
 Hospitium illa sibi legit, qua caesaris aula
 25 Purpurat; est Franco nomen, qui in tecta recepit.
 Hoc ea praecipue nunc hospite gaudet, et ipsum
 Heic putat esse suum Parnassum, Heliconam, recessus
 Aonios, ea Phocidos unda, is Phoebus Apollo.
 Musa mihi grateis agit; ast, quae ducat in urbem,
 30 Ipe viam mihi monstro, sed me mea captat Epeirus.
 France, poetarum sol, Pannonis orbe coruscans,
 Qui versu illustras proles Hyperionis, aureo
 Nos splendore tuo, qui discimus esse tenebras
 His, quae barbaricis nox Hunnidos occupat oris:
 35 Ecquid acu tetigi rem, te quod adire puellas
 Iusserim eas? non me sententia fallit, es inquam,
 Es domus Aoniae, si quicquam iudico, Musae.
 Tu vates longe melior, quam natio credat
 Hungara, stramineis pro vatibus usa poetis.
 40 Inter Sauromatas quondam optima carmina scripsit
 Naso: ita tu tractu, quo nil nisi Martia, nostro.
 Ornatissime vir, studium hoc humanius arma
 Per dura exerces, populis ut mitia sperem
 Corda fore, hospitium dederint qui versibus ultro
 45 Ante tuis: tellus det Musis barbara sedes,
 Mars placida rigidus cum Pallade foedera nectat.
 Qua te laude feram, vates cultissime! quo te
 Ellogio celebrem! tua gaza poetica dives
 Poscit ut ingenium: versu sic divite vellem
 50 Te cantare pius gratusque, sed acer Apollo
 Non tantas indulset opeis, mihi et esse beato
 Heic adeo haud licitum est, mea stridula Musa cygnorum,
 Expers, aura mihi donec sit mitior olim.
 Salve, Heliconis amor, Musarum dena, poetis
 55 Gloria victuris, sua quos doctrina celebrat.
 O solida virtute vir! o heroas et inter
 Luciferos doctum numerande! ex plebe laboreis

Miramur nos usque tuos et carminis artem.
 More vetusta novo, prisce nova dicere, non est
 60 Cuiusvis, quod, France, potes sollerter ad ungueis,
 Quae sit maiestas versus, quod dedecus, ipse
 Calles et graphice simul expedis, omnia posta
 Censuram atque graveis habuere vocabula limas.
 Qui legit aequoreas propter sua littora conchas,
 65 Vix ita, quae praestant, prudens discernere possit.
 Quod ruit in buccam, multis iam scribitur, ast te
 Nil capit, ipsius sapiat nisi et ante palato
 Pallados et iuxta pariat sua gaudia Musis.
 Si qua iacere volunt, gravitate resistis, et alte
 70 Scandis, ut heroas decet altos carminis, autor.
 Magna sat inventis sit quamvis ubere rebus
 Gratia proventu, doctas tamen allicit aureis
 Plus Musa egregie verbis cordata sonoris.
 Non aliter fulva stellatus iaspide lucet
 75 Annulus, et rutilum fit gemma illustrius aurum.
 Multi equidem tornant de furfure carmina sicco,
 Queis quando succus deest, nil exsanguis cadaver
 Sunt praeter, sed tu Clario tua fonte ministras.
 Hinc tot habes genii, quot Musa Maronis, et inter
 80 Hos dudum ferres numerum, quos caesar et ordo
 Fronde Palatinus cinxit curvamine lauri
 (Quorum etiam haud paucos tua praegravat arte Camoena)
 Ni solitas fugeres laudeis ambire iuventae.
 Tu sine fronde hederaque places, tu nos tibi raptas,
 85 Lectoreisque tenes, qui iam deponere chartas
 Vellet, is usque (velit nolit, dum littore sistas)
 Navigat ore, nec in portu puppim alligat, altum
 Rursum intrans semel atque iterum, vasta aequora versat.
 Sic facis Euripos, qui non in fine diurnent,
 90 Sed velut ad Loton ratis obvertantur Ulysssei.
 Ducere scis, Orpheus rursum alter et arte magistra
 Servus es auriculis oculisque, quod allicit aureis,
 Et quod lumen habes; calcographus ipse decenter
 Quando typos sic auctori quoque rite ministrat:
 95 Carminis est pulcre descripti gratia maior.
 Sic es Suada mere, lingua calamoque leporeis
 Sufficis aeternos, ut qui non symbola credat
 Esse tua: ingenium excellens decora aurea mentis,
 Doctrinam egregiam, virtutem, haud arbiter aequus
 100 Ille fit, hoc recte si crescens iudico vates.

Et quare omnis eo docti celebrisque poetae
 Nomen, France, tibi dare debeat, optime, praesto est.
 Te, felix horno quae gessit Marte Rodolphus,
 Versibus egregiis et carmine bella sonoro
 105 Excipere haud piguit, doctisque includere chartis,
 Quas ubi contigerit caesar, donabere lauro
 Principe; quid lauro? maiora mereris ob artem,
 Te facient comitem Romana palatia vatam,
 Splendida magnorum recites quod gesta virorum.
 110 Iaurini domitor, Schwartzenburgerus et armis
 Palfius acer, humo per te tolluntur Olympo.
 Per te vota redux, merita et praeconia laudis
 Maxmilianus habet, quem Mars felicitet, optas.
 Unter et holcerus Lassotaque notior heros,
 115 Par tibi dulce magisterio, par utile bellis,
 Non te transierint testes, quam iugiter ornes
 Felix noctis opus felicis, et insuper ista
 Iuxta abacum et Latios numeros qua laude gubernes,
 Caesariosque fide redivus qua nocte ministres
 120 Atque die. Quae sit sollertia, quanta gerendis
 Sedulitas! testis Camera est, Hoffmannus et ipse
 Non tacet, et collegarum manus aemula vestri
 Suspicit ingenii fervorem, et promptius ulli
 Esse datum negat, arbitrio componere parvo
 125 Magna, quod est animae divinae atque indolis altae.
 Iure superbiret vel te quoque patria propter,
 Quod tibi praebuerit, genio vir nobilis, ortum.
 Hinc, dubio procul, esse domi te Slesias optat.
 Et faceres, magni nisi caesaris aula teneret.
 130 Nostra peregrinis te tellus invidet oris.
 Ipse ego saepe deas supplex orabo novenas,
 Spes tibi suffocent omneis, si forsitan axem
 Ire velis quondam proprior, quin gloria fasceis
 Ad te devolvat meritos, teque inserat illis,
 135 Plus qui praecipiant, et queis commisit habenas
 Belliger ipse suas terra arbiter hacce regendas.
 Interea, quod multa rogant docta ora, paratos
 Iam pridem reliquos in lucem exponere foetus
 Incipe, quos nimium tua Musica continet alvus.
 140 Non adeo Osoreis palles, ne finge timorem.
 Ceu seps ad sagae voces, ita Livor ad omneis
 Ipse tuos versus tacet, et male vapulat ipse
 Zoilus; invideat licet et ringatur, in ora

Te quod Musa virum tua porrigat arte secunda.
 145 Clare poeta, vale; victurum Slesidos orae
 Versibus esse decus tam doctis perge! parabis
 Hisce tibi laudeis terra, et quum sidera scandes
 (Dii dent, id sero fiat) sis celsus Olympo.
 Omnia (postgenitis tantum olim si qua relinques)
 150 Secla recantabunt omneis tua carmina in annos.
 Nam prius heic te posteritas quam oblita laborum,
 Non laudet, legat, aestimet, admiretur, honestet:
 Sal tineae arrodent, Stygiis sol luceat umbris,
 Ignis aquas subeat, nascantur in aëre pisces,
 155 Nidificent undis volucres, dent aequora messeis.

515 V[iro] Generosiss[imo], D[omino] Sigismundo Mariassi etc.

Laus Mariassiacae palmaris et inclita gentis
 Gloria, qua Martis, qua cluit artis honos.
 Gratulor, hesterno quod sumere vespere coenam
 Contigerit vultus mique videre tuos.
 5 Leucoreis quondam fueris quod alumnus Athenis,
 Inque Argentina vixeris ante schola:
 Credere me cogis, tua verba diserta Minervam
 Et spirant Musas, Iunia scripta, meras.
 Te quoties posthac convenero, dicere cogar:
 10 Nunc Argentinae Leucoridique fui.
 Pannonici nova vive soli spes, macte vir, olim
 In patria virtus fors tua grandis erit.

516

Ioanni Fabricio
de D[ominis] Francisco et Sigismundo Mariassi

Non ego magnorum numero vel mille virorum,
 Qui virtute carent, aucupor esse cliens.
 Quos pietas probitasque iuvant, his nostra patronis
 Fas ubi praecipue Musa placere cupit.
 5 Quale tuis, Iane, auspiciis par, optime, coenam
 Praebuit hesternam, nobilium omne decus.
 Qui de Christipara cognomina virgine gestant,

150 recantabunt **Hung.** recentabunt

Quod castae moreis virginitatis alant.
 His per te notum me fratribus esse duobus,
 10 Gratulor et grateis post tibi semper agam.
 Me quod in illorum sinuaveris ipse favorem,
 Ut Mecoenatum nos simul instar ament.
 Dignus uterque suis est laudibus, dignus uterque
 Vivere Nestoreos sospes in orbe dies.
 15 Ambo florentes virtutibus, arte sat ambo
 Ingenua cultum, non rude pectus, habent.
 Alterius Basilia pias solertia pubem
 Fabricii docuit maxima litterulas.
 Alterius tellure bonas Germanide Musas
 20 Attulit in patrium docta iuventa solum,
 Leuchorides divas magnique Melanchthonis arteis,
 Wittembergiaca suxit in urbe scholam.
 Est utriusque adeo virtus extensa per oras
 Hungaridos, neutri maior ut esse queat.
 25 Iste aetate minor parilem se praestat, ut heros
 Alter et a pueris est pietatis honos.
 Ille gerit, simul iste animas in Martia gesta,
 Se probat, in rasos quum decet ire Getas.
 Sophrosynes cultor, fidei Themidosque patronus
 30 Nutrit et extendit relligionis agros.
 Moribus est cultis rari studiosus honesti,
 Ore gravis, constans, rex quoque cautus opum.
 Ob luxum tetramque gulam nil perdere suetus,
 Quaque est munificas turpe habuisse manus.
 35 Quando sacerdotes Christi Phoebive laborant,
 His certam largus fert reverenter opem.
 Immo meis etiam redeunt hinc lucra Camoenis,
 Aere quod in versus nos animare solent.
 Ipse recordaris, quam nuper grande poetam
 40 Inde auri pondus fecerit esse reum.
 In doctos friget iam munificentia vates,
 Nunc mendicato vivit Apollo cibo.
 Sed Mariassidae, quorum doctrina meretur,
 His dare liberius praemia magna solent.
 45 Nec modo muneribus decorant, verum inter amicos
 Certatim referunt pectora docta suos.
 Talibus ergo viris quidnam laudatius, et quid
 Terra optabilius Pannona ferre potest.
 Hos mihi fautores, autor, mi care Fabrici,
 50 Tentabo studiis post retinere meis.

Ut simul aeterna praestantes laude supersint,
Omnibus hoc nervis carmina nostra parant.
Iam superest, tantis, dilecte o Iane, patronis,
Hoc pro communi fata rogare bono.
55 Arma viri capiant felices, maximus aevi
Conditor ut faxit vera potensque trias.

517

Ad Maximilian[um] Fabini

Mel mihi cur donas? mel amicos, fel decet hosteis:
Hinc mellite mihi dulce, Fabine, mel est.
Mellea sit tua tota domus, sit mellea tota
Vinea, sors, coniux, gloria, vita, salus.

518

Ex Ioëlis 2 v. 22:

Lignum attulit fructum suum, et vinea dedit virtutem suam.
Vindemiae hypotiposis ad Gen[erosum], Egr[egium]
et Praest[antem] V[irum],
D[ominum] Georgium Hoffmannum, Caes[areum] Cons[iliarium]

Mensis adest, Hoffmanne, suas qua vinea messeis
Poscit, et Octobri vitis amoena litat.
Stat matura nigris vindemia tota racemis,
Palmes et ipse suum ferre recusat onus.
5 Rima fere tereiteis per vellera rumpitur orbis,
Iam penetrare cupit turgida grana latex.
Anxia non aliter Lucinae foemina partu
Horas aegra graveis anticipare flagrat.
Lamina, quae virides foliorum nuper honoreis
10 Pertulit, illa croci rubra colore iacet.
Fracta pruinosas sua vestis deserit uvas,
Diffilatur, Boreas trux ubi spirat agros.
Fructus cum pendere senex vix arbore porro
Sustinet, in cellas gaudet abire merum.
15 Quae mora? si quis habes incidere falce racemos,
Hoc autumnali sidere vina pares.
Eia age, turba ruas, altaria ponere Baccho,
Liber amat gratis fundere musta viris.

tit. Lignum attulit — Ioel 2, 22

20 Quae virtus horni sit nectaris, ore Falernum
 Discere nobilius musta trahendo iuvat.
 Mira patris bonitas coelestis, spreta quod arbor
 Intuitu aridula stirpe ministret opeis.
 Et dubitare velim, parilis quod gratia ligno,
 Aut suus arboribus surgere possit honos?
 25 Arboribus quia surgat honos et gratia ligno,
 Quid non virtuti, vir generose, tuae?

519

Epigramma de dicto Malach[iae] 3:

Non erit sterilis vinea in agro, dicit Dominus exercituum.
 Ad V[irum] Rev[erendum] et Doctiss[imum], D[ominum]
 Thomam Fabritium, P[astorem] Patacinum

Si bene florescat generosis vinea botris,
 Dives eris, dicit vinitor omnis hero.
 Palmes onus tolerare nequit prae pondere succi,
 Dives eris Bacchi, dives et aeris eris.
 5 Quaere cados, cellas distende ac dolia laxa,
 Promittit largum pampinus alma merum.
 Sed tu, cui Patacina ferunt vineta, Fabrici,
 Credere mox noli, quod ligo forsitan ait.
 Saepe suo dixi domino, sed dixit, et uvas
 10 Vinitor autumnno non dedit ille suas.
 Interdum Boreas, interdum plurimus undis
 Noxius ostensas perdidit imber opes.
 Impius haud raro Mars fructus conterit omneis,
 Teuto racemifera praelia vite gerit.
 15 Nulla fides igitur dictis, promissor herilis
 Quae dat, si Dominus non quoque dicat idem.
 Dixit at hoc anno, cui clari exercitus astri
 Militat, et sterileis fructificavit agros.
 Fertilis est uvae, laticis quoque fertilis annus
 20 Hic erit; hoc Dominus dicit et ipse facit.
 Is det, ut accepto quoque munere quisque fruatur
 Sospes, et hoc etiam vir tibi clare precor.

Ad Virum Doctissimum D[ominum] Ioannem Siderium
 de dicto Esaiae 65 cap. ver. 8:
 Si inveniatur granum in botro, ne dissipes illud,
 quoniam benedictio est.

Conquerar, an sileam? reverende vir, optime mysta,
 Qui de sideribus nobile nomen habes.
 Ut patria de gente pudor sit turpe fateri,
 Non tamen id pietas vera tacere sinit.
 5 Has (loquar expertus) miles Germanicus oras
 Destruit, et vestros depopulatur agros.
 Proh dolor! hoc passim patitur iam Pannonis hortus,
 Qua sua Teuto piger turpia castra locat.
 Diripiuntur opes miseris, ceu iure, colonis,
 10 Omnia qui nisi dent, vulnera mille ferunt.
 In grege Mars pugnat, cum solis bella gerenda
 Ac si gallinis anseribusque forent.
 Vineae praecipue generosis clara racemis
 Sentit vicinas asperitate manus.
 15 Quas gula non potis est consumere latior uvas,
 Has levis invidies luxuriesque premit.
 Palmes humi fractus moritur, calx omnia, frangit
 Impia, vineto gratia nulla manet.
 Culta iacet multo sudore, labore per illos
 20 Vineae strata, quibus debuit esse ferax.
 O vos ingratos cuculos, quae perditis, ipsa
 Sufficit haec Domini munera larga manus.
 Coelitus an fas est benedictas laedere vites,
 Ipsius et fabricam tundere calce Dei?
 25 Impia turba suas debebas dicere grates,
 Talia qui nobis dona ministrat, hero.
 Hircus an hoc olidus facerent, an amica luto sus?
 Scilicet et porci plus pietatis alunt.
 Ominor, improbitas dabis o Germanica poenas,
 30 Cur tibi post botros Hungara gleba ferat?
 Quae bonitas immensa Dei, quae gratia coeli
 Sufficit, haec grato sumere corde decet.

tit. Si inveniatur granum — Is. 65, 8

Vindemia scholastica.

Ad Nob[iles], Gen[erosos] et Ingenuos adulescenteis:
 Georgium et Stephanum Hoffmannos,
 meos c[aros] discip[ulos] iam in vindemia versanteis

Nobile par fratrum, suboles heroa, parentis
 Spes, amor, egregiae flosque future domus.
 Quando tempus adest, maturas vinitor uvas
 Ut premat, et fructus vinea reddat hero.
 5 Vos pater, ingenio quo vix praestantior alter,
 Pro prisco vester more vocare solet.
 Non ut forte domi sint otia turpia Musis,
 Vos deses capiat torpor et aegra quies.
 Quo male consuleret vestrae sub flore iuventae,
 10 Nulla cui frustra debet abire dies.
 Causa subest gravis, inter opus Bacchique labores
 Vinea vos etiam multa docere potest.
 Ut generosa bona propago vite secatur,
 Quae mera ferre olim rursus et ipsa queat.
 15 Sic de stirpe satos clara virtutis amantes
 Non decet a patria degenerare domo.
 Utque peregrinas vitis transfertur in oras,
 Insit quod virtus huicce patrita simul.
 Non aliter propter genitorem filius orbem
 20 Per totum nomen saepe celebre gerit.
 Sed veluti rursus multo sudore paratur,
 Fiat ut egregie vinea culta ferax.
 Haud secus et proles quamvis natura sat apta
 Fecerit, arte tamen debet honesta regi.
 25 Fertilis ante suas quotiens vindemia messeis
 Caeditur et suffert grande laboris onus.
 Heu quotiens patitur perfossa bidentibus arva,
 Heu quotiens dura fracta ligone dolet.
 Diceret hoc fossor, cui tergo nascitur imber,
 30 Quando racemiferam ferreus urget humum.
 Iam scrobibus format, iam rursus adaequat arenas,
 Densa ferit, noceat glarea ne qua mero.
 Iam solis rapidos fert aestus, dura pruinis

1 Nobile par fratrum — Hor. Sat. II, 3, 243

Frigora iam tolerat, iam sitit atque famet.
 35 Iam validos forteis reddit, iam vimine qualos
 Liberat, usque novum sic variatur onus.
 Dum sole excoctas tandem praescindere guttas,
 De tenero fructus palmite ferre queat.
 Tandem herus in laetas infert mera dulcia cellas,
 40 Gutturre cum pleno vina Falerna trahit.
 Aut, ita si placeat, merx venditur aere Lyaeus,
 Magnificas domino vinea portat opes.
 Ecce, quod ingenium patris est, Hoffmannia proles,
 Est propago meri clara propago viri.
 45 Haec ut in exemplo possitis discere nati,
 Vult spectatores heic pater esse suos.
 Ut patriae fieri possit virtutis alumnus,
 Vite vel ex tenera discat uterque cupit.
 Scire decet, qua scire licet, qua stirpe creati
 50 Sitis, et Hoffmanni vos gemini unde domo.
 Quis nescit, genitoris honos quam celsus in oris
 His fit, et externo quam procul orbe cluat.
 In cuius laudeis patet area tanta, Minerva
 Ut nequeam curta sat memorare virum.
 55 Namque pias annis didicit florentibus arteis,
 Rite dedit Musis tempora longa suis.
 Nunc etiam, gravium quamvis commercia rerum
 Sustineat, porro curat amatque deas.
 Quamque habet a magno sibi munus caesare spartam
 60 Ornat, et in Camera regia scepra gerit.
 Dulcis amor patriae quasi numen habetur, et instar
 Est oculi nostris pace sagove viris.
 Nec mirum, tanta res dexteritate gubernat,
 Personam ut merito regis habere queat.
 65 Is gerit officium, caesar diadema Rodolphus,
 Hocce per Hoffmannum qui regit omne solo.
 Ex illo celebres quoniam vos ducitis ortus,
 Non tantum ore, etiam more referte patrem.
 Vestra ille est vitis, vos ipsi palmes amoena,
 70 Cuius et in ritum vos decet ire duos.
 Insita sed virtus quia se non sponte videndam
 Prodat, eam proprio Marte ciete palam.
 Nulla solet cultis nisi vinea ferre racemis,
 Sic virtus duro parta labore venit.
 75 Ergo domus Hoffmanniacae generosa propages,
 Vos etiam caro grana referte patri.

Iamque (nec hoc aetas prohibet) tolerate laboreis,
Vinea sint libri vestraque penna ligo.
Tempus erit, si non pigeat pudeatque laborum,
80 Quo tumeant vestris laeta Falerna cadis.
Gloria sudorem virtusque decusque sequuntur,
Nulla manent pigros praemia, nullus honor.

522

Viro litteratiss[imo] et hum[anissimo],
D[omino] Gregorio Vacio, S[cholae] Ujhelinae R[ectori]

Forsan poetae munere perperam
Me fors, Vaci, mendacia per duo,
Fungi autumas, quod nuper oras
Non fuerim hinc Uyhelinianas

5 Ad te profectus, visere Musicos,
Quos exhibet vobis Helicon viros,
Sed quum satis non fecerim, iam
Verminat id mihi pectus ergo.

10 Bis te domi visurus eram, sed heus
Non noxiam nobis citus imputa,
Verus fuissem, sed febris me
Arida torruit et marasmus.

15 O plus ocellis care Vaci, Vaci!
Non credis, ut me nunc Hygaeia trux
Vexarit ah me plurimas per
Hebdomades misere iacentem.

20 Testor salutem, testor eam diem,
Qua nunc me amici carmine planxerant,
Cunischium, Fabrum, Balogum,
Atque alios tibi sisto testeis.

Laurum cupressus pallida vicerat,
Atrata taxus tempora vinxerat,
Postrema cordis vixerat vis,
Sed Dominus tibi reddidit me.

25 Praestabo posthac, quum potero, fidem,
Si vescor aura sideris aurei,
Vis hostium cessaverit quum
Horrida nunc iter impetranti.

Nam Tartaro cum Tartareo Getes,
30 Vicinus oris dicitur Hungaris,
Qua se Varadinum tuetur,
Barbara praelia cogitare.

Nos temporis voto interea Deo
Grandi, calentes saepe litabimus,
35 Ne prorsus in perdat misellos,
Puniat at patris instar almi.

Desideratam forsitan afferet
Tandem diem Titan, ubi mitior
Affulserit nostris tenebris,
40 Coram ego, tuque Vaci, loquemur.

523 Nob[ilissimo] V[iro] Cl[arissimo] et Doctiss[imo],
D[omino] Caspari Franco, Magist[ro] Ration[um] L[atinarum]
Caes[area] in C[amera] Scep[usiac]

Accepique tuos ego libellos
Doctos, aureolos venustulosque.
Queis cum vincula solverem, corollam
Exemi bene plectilem, puellae
5 Quam mi Franciadae reciprocantis
Doni nomine forte destinarant.
Sertum nobile cerno, cerno sertum
Passim versicolore pictum honore:
Coelum heic, ignis ibi, smaragdus illic.
10 Verso saepe, reverso, oberro ocellis,
Expleri tamen haud tuendo possum.
Mox et naribus addo flatuosis,
Ut se dulcis odor ferat cerebro.
Sed dum fixius applico, corollae
15 Pungit spinula acuta, dura nasum.

Huic, si pace tua fit, ipse sentem
 Frangam, France, poëseos magister.
 Iusto plus colorarier inaudis?
 Quod praeconia te celebriorem
 20 Versus per faciant licentiores,
 Velles simplicior fuissem in illis,
 Mercenaria laus abesset a me.
 Nec ficum cuperem tuam, quod aiunt.
 Vir doctissime, more et ore praestans:
 25 Non certe tibi blandior, sed audis
 Sic tu publice, ines meis ut illis
 Corde versiculis bono profectis.
 A fuco quoniam remotus omni
 Quod scribo, quoque sentio, nec erro.
 30 Noli, docte poeta, cogitare,
 Tam bardumque rude atque iudicando,
 Simplex sat licet, esse mi cerebrum
 Nil possum, fateor, parumve versu.
 Sed fungor vice cotis, illa acutum
 35 Ferrum reddit, hebes sit ipsa quamvis.
 Aio, clamito pertinace lingua:
 Francus, Francus amor decusque Phoebi,
 Versus grandiloquos Marone dignos
 Scit cantare, bonus poeta, clarus.
 40 Carus principibus viris monarchae.
 Etsi praeco suae haud sit ipse Musae,
 Nam quo quis generosior poeta est,
 Hoc se scire minus fatetur ille:
 Stultum est et sine laude nil potesse,
 45 Se iactare tamen nimis superbe.
 Qualeis invenias in orbe multos,
 Quos dum nulla scientiae, nec ullus
 Ornet vir bene litteratus, ipsi
 Se cantare solent sui flagrantes.
 50 Vera ast ellogiis tamen professos
 Nolle audire, nec hoc meret decorum.
 Et cum tu quoque, France, dignus omni
 Iam sis laude tua? quid aestimatrix
 Te non diva Themistos aequa honestet?
 55 Invitos quoque saepe praedicamus.

16 pace tua — Terent. Eun. 466; Cic. Tusc. V, 5, 12; Tibull. II, 5, 105; Catull. LXVI, 71; Prop. III, 20, 4

34 Sed fungor vice cotis — Hor. Ars p. 304—305

Scis, vates dedit ustulanda flammis,
 Multis carmina taediis arata.
 Vivit Vergilius tamen, nec unquam
 Sunt illo peritura carmina aevo.
 60 Novi, qui licet imperare nollet,
 Huic dat poscere gloriae potestas.
 Debes ergo pati deas canoras,
 Quando te meritis vehant quadrigis.
 Si defendere sustines? Phaleucos
 65 Hos perdeiero, convocabo Musas,
 Omneis, inquo, convocabo Musas,
 Hinc Phoebi ante tibi dicam, tribunal
 Scribam, ista querimonia paratus:
 Praeses laurigeri sacer laboris,
 70 Rector Castalidum paterque turbae,
 Docti carminis autor et patronus:
 De Franco tibi conquerar poeta,
 Vestro munere ut optimo poeta,
 Confessore ita duriore versus.
 75 Submissus nimis est, nimis modestus,
 Plus iusto, Euclio opeis suas ut olim,
 Thesauros sapientiae recondit.
 Accepisse nihil parumve vestro
 Dicit munere, distributa quando
 80 Sunt (infert) aliis talenta multa,
 Sed mi drachmula vix ibi fata una est.
 Fers hoc, arbiter optimas? an istum
 (Te testor quia) pluribus poetam
 Non ornasti opibus? minus negarim.
 85 Illius quia scrinium fenestram
 Inspexi per apertam, et hactenus vir
 Plus hoc scilicet erogavit anno.
 Quod cautus tamen ille diffitetur,
 Se Codro, Iro et egentiozem amicis
 90 Dicit. Fers, pater, hoc, palatii rex
 Cyrraei, Clariae arbiter catervae.
 Cernis, pauperies sit heicce quanta
 Vatum, divitior quibus vetustae
 Selectaeque decus sat est monetae.
 95 Si vis, nos violenter orbe vatum
 Hoc latrunculi in Hungaro poetae
 Tam Croeso eripemus eruditas
 Illi divitias, ut, institorum

Instar, foenora mercibus feramus.
 100 Paupertate quod ipse Martialis
 Factus Iuppiter in graveis crumenas
 Crassorum ire solet tenaciorum.
 Sic nos tempore et hocce versifures,
 Si permittis, o arbiter supreme,
 105 Hunc vatem spoliabimus, negantem
 Clausas divitias avara in arca.
 Heus, heus, France, quid eligis? fateri,
 Porro an dissimulare vis repostum?
 Accusatio nostra iam parata est,
 110 Si tu denique pertinace sensu
 Iam non discupis esse liberalis.
 Sat dictum sapere, arbitror, volenti.

524 Ad Egregium Virum, D[ominum] Georgium Szabonem,
 Neg[otiatorem] et C[ivem] prim[arium] Casso[viae]

Moris es antiqui, Szabo mire, novator et unus
 Nescius es spartae forsitan ipse tuae.
 Iam ter votivas iurasti sponsus ad aras,
 Hoc tamen haud calles muneris esse tui:
 5 Ut data ab hospitibus capias tibi munera, non des
 Hospitibus, vir tu qualis es ergo mihi.
 Prodam te: thalamis ego quum munuscula ferrem
 Pauca tuis, vates quae dare forte solent.
 Per treis usque dies gratis potasse, vorasse
 10 Me cupis, argento tandem abiisse gravem.
 Quattuor obtrudis calcaria, vinaque donas
 Hungara, dic, ubinam mos fuit iste prius.
 Sed scio, cur facias, qui largior aera poetis
 Das sponsus, thalamo foenerat ille suo.

525 In poetam furem

Carminis es plenus, quum carmina nostra volutas,
 Fur es, et hoc Graecum Π tibi propter erit.

In munus aureum a Magnifico et Generoso Domino,
D[omino] Ladislao Petö mihi Cassoviae oblatum

Mars quod Mercurium non oderit omnis, id inde
Mi, Ladslae, decus nobile, scire licet.
Tu quia me nuper vatem donaveris auro
Sponte tua, meritum tale sed ante nihil.
5 Res generosa, viris cum sunt commercia pulcre
Mutua, quos Martis clarat et artis honos.
Vive, tuas iterum res augeat aeris et aevi
Conditor, ut porro Musica castra flagres.
Quisquis amat doctis dare munera larga poetis,
10 Nequaquam ille suas forte profundit opes.

V[iro] et Dom[ino] Gen[eroso] Egregioque,
D[omino] Geor[gio] Caproncio,
Caes[areo] in Cam[era] Scep[usiac] Cons[iliario]

Ergone quod felix faustumque sit, oro, Capronci,
Vir generose, simul tu quoque sceptris geris?
Hoc ego praedixi, fore, nostri caesaris aula
Hoc tibi prae reliquis tradat in orbe decus.
5 Tertius ut fias Camerae moderator, acumen
Ingenii propter consilii tui.
Est quoniam Ausonii prudentia summa monarchae,
Iudicio claros eligit ipse viros.
Iam quorum perspecta fides fandique potestas,
10 Tradita qui magna dexteritate gerant.
Illorum arbitriis ut constent omnia mundi
Totius, imperio crescat et alma salus.
Qualis es ipse tua virtute ac mente polita,
Doctrina, meritis stella corusca tuis.
15 Quam laudabiliter te gesseris hactenus oris,
Hisce frequens regio Pannona testis erit.
Quam varie experto tibi rerum plurimus usus,
Quamque sit ingenio nobilis aura tuo.
Cum magno didicit iam pridem caesare regnum,
20 Aulica praesertim turba scit ante satis.
Nescius es fuci, tua mens est candida, pectus
Fraude caret, pietas te reverenter amat.
Haud in te generat ventosa superbia cristas,

Responsum cunctis hinc dare come soles.
25 Quod virtus igitur tua puraque vita merentur,
Accipe Pannonici credita scepra soli.
Gratulor hoc etiam tibi, fautor amabile, fasceis,
Omnipotensque, precor, te regat ipsa trias.
30 Tertius es Camerae moderator, sedula binis
Addita collegis cura decusque tuis.
Caesariane senator ave, salveque valeque,
O desiderio sis quoque meta meo.

528

Peregrinatio

Nulla manet patriis affixos gloria cunis,
Usque domi morus fert sine more moras.
Ad laudum summos et honorum provolat Alpeis,
Evolat ex patria qui bene cautus humo.

529

Viatori, propter aquam in Scepusio lapidescentem

Si spectare cupis gravium miracula rerum,
Hac quicumque facis, care viator, iter:
Siste parum, soli mihi ne gravis ora colore
Privet, et exanimet cor novitate stupor.
5 Quid Garamantas abis, quid et Indos curris ad ipsos
Horrida prodigiis cernere monstra suis?
Quae mirere, satis quando exhibet Hungara tellus,
Arva Scepusiaci qua peramoena soli.
Ecce, elementa duo mutantur, et induit istud
10 Naturam istius, dura fit unda lapis.
Mollius ecquid aqua? saxo ecquid durius? ecce
Attamen heic molles durificantur aquae.
Accipe, tange, tene, lustra per singula, rupem,
Nonne silex facta est scrupeus unda fluens?
15 Ah virtus immensa Dei, quam pontus et aether
Haec etiam Dominum mortua bruta tremunt.
Ne grave sit, quicumque stupes mirabile tantum,
Dicere: et his opifex glorificetur aquis.

Iuditae Caproncianaë, nuper natae

Nascere, Cassoviae flos et generosa propages,
 O Capronciadae Iudita, patris amor.
 Matris honos, quondam iuvenum dolor, oscula cuius
 Sint bene purpureis anteferenda rosis.
 5 Cuius inauratos cupiat sibi Cynthia crineis,
 Cuius et ex oculis emicet ipsa Venus.
 Cuius honoratos sibi quilibet optet amoreis,
 Cuius et in tota splendeat urbe pudor.
 Vive, parens olim te tradat uterque marito,
 10 Te quoque nascatur saepe parente nepos.

Paraphrasis elegiaca epistolae Iusti Lipsi
 ad Magnif[icium] et Generosum Doctissimumque Dominum,
 D[ominum] Michaellem Forgacz, L[iberum] Baronem de Gyms

Nobilissime Baro!

Ut pariter scribare meis et amere Camoenis,
 Provocat ingenii Musa diserta tui.
 Tu quis es? Hungaricae decus admirabile gentis:
 Materies igitur fors mihi nota minus.
 5 Immo vel ex una, quam misit epistola, charta
 Te didici, posthac notus ut esse queas.
 Cernitur heic facies diae pulcerrima mentis,
 Quae velut in speculo rite videnda datur.
 Ergone Pieriis longe qui distat ab oris,
 10 Castraque nil praeter Martia tractus habet,
 Ergone Palladias, pia ceu nutricula, proles
 Educat ac taleis fert simul orbe viros?
 Gratulor hunc genium tibi, flos Baro caelice tellus
 Indole sit, voveo, laeta patrita tua.
 15 Cui tu praesidium tutelaque grandis in arctis
 Rebus, in obscuris lumen alumnus eris.
 O procereis inter magnorum et quisque Baronum,
 Maxima, vel certe pars quota, praestet idem.
 Qua virtutis iter claras acquirere laudeis
 20 Discat ab exemplo per sacra tesqua tuo.
 Sic nostra Europa quid, quaeso, beatius esset?
 Quae iam civili Marte preempta iacet.

Cernis, ut ipsa suis misere confixa sagittis,
 Civica turbarum pondera tanta gerat.
 25 Sed me spes animat, fore tempus ut illa resurgat,
 Extollatque suum laetior usque caput.
 Unde mihi, quaeris, fiducia tanta? ruinas
 In melius referent talia fulcra suas.
 In regno Musae sunt fundamenta salutis,
 30 Tuque eris Hungarici firma columna soli.
 Perge modo sophiae doctos spatiare per hortos,
 Musica nec posthac desine castra sequi.
 Sic tibi cum fuerint magnarum tradita rerum
 Sceptra, regent fasceis lumina clara tuos.
 35 Tunc generosa suis quid distent aera lupinis,
 Quid soleat vere nobilitare viros.
 Quid puta nobilium sit puraque lampas, et illa
 Quid, quae luce notha Cynthia iactat avos.
 Debile lumen habet maiorum luce coruscans,
 40 Ars sua quem clarat, purius ille nitet.
 Tunc, inquam, poteris, sat recta tuentibus hirquis,
 Discrimen medio sole videre palam.
 Dein, quod amicitiae petis intra vincula nostrae
 Iungier, et socium nomen habere cupis.
 45 Desine sollicita prece rem contendere, posthac
 Noster et in toto pectore noster eris.
 Quem redames, non obscure testabor amantem,
 Ut quondam Chariteis experiare meas.
 Ut scribis, monumenta placent tibi nostra laboris,
 50 O utinam felix hinc documenta feras.
 Sed tua, quod spero, formabit pectora foetus,
 Quem dandum luci iam meditamur opus.
 Unde petat regno praecepta salubria princeps,
 Et quicumque gregi sceptra verenda gerit.
 55 Scripsimus id nervo maiore, quod ipse fatebor,
 Sed vobis vobis si proba Musa, sat est.
 Non ea res vulgo capietur et irrita fiet,
 Intellecta licet quum sit arata duci.
 Quem regere imperio populos decet, ardua versat,
 60 Sat laudis vulgus, si modo paret, habet.
 Magnos magna decent, sunt parva aptissima parvis,
 Flosque decusque Baro, nobilitare, vale.

35 quid distent aera lupinis — Hor. Epist. I, 7, 23

41 tuentibus hirquis — Verg. Ecl. III, 8

61 Magnos magna decent — cf. Hor. Epist. I, 7, 44

Insignia Illustr[issimi] et Fortiss[imi] Principis ac Domini,
 D[omini] Sigismundi Bathorei etc. Transylvaniae Principis

Sylva iacet vastis nimium procul horrida dumis,
 Thracide qua terra monstra profecta latent.
 Terribileis ea tota feras alit ore minaci,
 Quasque nihil quam trux ira furorque decent.
 5 Has inter frendet vaga bestia, semper in armis
 Suetaque belligero dente ferire potens.
 Qualis ad elatum regem Oenea durus in agris
 Dicitur Aetolis luxuriatus aper.
 Talis et Hungaricas illinc immanius oras
 10 Irruerat, miseros ut popularet agros.
 Bellua per pecudeis armentaque tota cucurrit,
 Terruit in pagis, terruit urbe viros.
 Imploravit opem, Romani caesaris arma,
 Regio, ne monstro praeda misella foret.
 15 Caesar at ipse suis non fesus viribus, omnes
 Adiunxit socios, qua sua regna duces.
 Nobilis Austriacis est iuncta Silesia turmis,
 Saxonas et Suevos vidimus ire pares.
 Ventum erat ad pugnam, qua Strigonis arce triumphat,
 20 Heic cum barbarie praelia fecit humus.
 Nil tamen effecit, dubio sed Marte reversa est,
 Adveniente gelu, Teutona turba domum.
 Latus interea rigide grassata per Hunnos
 Bellua atrox variis saeviit usque locis.
 25 Nemo ferox potuit monstrum frenare, nec hilum
 Hungara Teutonica proficiebat ope.
 Terra videbatur iam succubitura, tyranno
 Devia iam voluit cedere et ire procul.
 Per sylvas, per agros, urbeis male strata iacebant
 30 Corpora, terribilis nex et ubique furens.
 Infanteis teneros rapiebat ab ubere, matres
 Atque patres rostro dilaniabat aper.
 Processurus erat sacros mactare per hortos
 Pascit ubi electas rex homodivus oves.
 35 Non tulit hoc princeps, cui Transylvania paret,
 Tam rigidam contra proruit ipse feram.
 Sustulit ingenteis animos, et Pannonis orbem
 Asseruit forti pectore et auxilio.

Horridus in porcum clava se protinus infert,
40 Taleque nil veritum forteprehendit aprum.
Ille obluctatur, denteisque reciprocus Indos
Vapulat, extremas spumat et ore minas.
Arma, Sigismundus princeps, cordatior heros
Frangit apro et denteis tres cito spargit humi.
45 Aufert portentum se ignobile, duriter arvis
Exceptum, septem qua modo castra iacent.
Proxima spectabat virtus, mirata quod iste
Tam iuvenis posset dux superare feram.
Heus mea laus, inquit, princeps fortissime, rursus
50 Praemia pro tanta dexteritate feres.
Quos gravis Herculeo stravisti robore dentes,
Hos debes clypeo ferre deinde tuo.
Utere Marte ferox, tantis sors annuet ausis,
Nostra redemptorem te gerat ora suum.
55 Caesar et imperium, proceres serique nepotes
Laudibus heroem te super astra ferent.
Rex regum ipse suo te numine firmet, ut istum
Hinc possis victor sternere prorsus aprum.

LIBER HUNGARIDOS TERTIUS NUPTIALIA VOCATUS

Lector Benevole!

- 1 Quae nuptias praeceunt, comitantur-sequuntur, ut vides, iam tibi propino, sume craterem, non Ganymede, sed illo ministro, qui limpham nymphae Cananitidos mero donavit. Nihil heic spumae Aphrodisiae, purus putus iste latex, quo si cor prurit et urit, corrige; si non amas, flammam concipe, meliorem tamen, nam has commendo. Canes impudicos, hircos lascivos, passerem salacem ex honorabili hoc meo nexu proscribo, et Graeculos τῆς μισογονείας patronos exesse iubeo.
- 2 Mulier nobis καλὸν κἀγαθόν, non κακὸν ἀναγκαῖον, ceu tibi, Philemon. Plato, Lycurge, o animae illustres! vos accerso. Tu coelibem ad 35 annum quovis honore viduas, tu lege cogis; a ludis arces et nudo pede terram, brumae canis
- 3 hirsutam, ire per forum ignis melioris osoreis postulas. Te quoque, Sparta, laudo, quae nolentem, vel sero, vel ex alia stirpe ducentem, castigas. Sed mihi meisque lex: Crescite et multiplicamini; iuxta: Melius nubere, quam uri face illa scelestiore. Illos igitur, quibus

Utile propositum saevas extinguere flammam,

- 4 aqua ista lustrali perluo. O beate vir probae mulieris! Benedicat tibi Dominus ex Sion, et videas bonum Ierusalem et filiorum tuorum filios. Caeteros non animo. Baucis nupturum, sed Pamphilo: damno. Chremes ducturum, sed Antiphilam: damno. Mopsus ambiturum, sed Nisam: damno. Hei! opes, opes, non opus, amor.
- 5 Iesabel, Tanaquil, Xantippe me corrugant; Sara, Rebecca, Susanna planant. Ast quid mihi Rubella? quaeris. Quid Catullo Lesbia? Tibullo Sulpitia? Propertio Cynthia? Nasoni Corinna? quid nostris Barbarilla, Rosina, Süssemunda, Chatharella, Amandula, Nigella? Cudimus et ludimus. Ego tamen quondam vix non serio, tum, ubi foemineum

2 postulas **Hung.** pustulas

5 Lesbia **Hung.** Lespia

1 nymphae Cananitidos — v. Ioan. 2, 1—11

2 ceu tibi, Philemon — Philem.: frag. 196 / Plato — Leges 774 a—b / Lycurgus — Plutarch.: Vitae par. Lycurgus 16

3 Crescite et multiplicamini — Gen. 1, 22; 8, 17; 9, 7 / Melius nubere — 1Cor. 7, 8 / Utile propositum — Ov. Rem. a. 53

4 O beate vir — Eccli. 26, 1 / Benedicat tibi — Ps. 127, 5—7

Varium et mutabile semper.

6 Iam inventa portus, et requies vagae huic cymbae: Elisabe, cuius, tu vera
Lucina, vera Iuno, Fili semper-virginis, post lustrum hoc sterile primitias felicitate;
etiam tuae comparis. Ideo perge, perge, non te poenitebit,

Lector Benevole.

76 Sed tu, livor edax, odio licet ilia rumpas,
Carpere vel noli nostra, vel ede tua.

533 Epithalamion Clarissimo atque Doctiss[imo] Viro,
D[omino] M[agistro] Nicolao Gaebelio,
Suidn[icensi] Elys[iorum], Cremnic[ii] Ludirect[ori]
et Annae Leineriae

Aut Venus in castas Phoebi ius nacta sorores,
Aut Helicone novo regnat Apollo novus.
Vera putem? innumpte laqueis Cyrherea Dianae
Dicitur armatas implicuisse manus.
5 Cede solo, generata salo, tibi praeda negatur,
Quae colit Aonii dulcia sacra chori.
Illa vigil custos, nemorosa per arva, bicorne
Incultum Phoebi non sinit esse iugum.
Delia victa iacet Veneri, lux Delia Phoebi,
10 Quis nolit visis rebus habere fidem?
Nuper, ut in dulcem vertissem lumina somnum,
Somni amor ac nullus tum mihi somnus erat.
Ecce! quid hic video? puer alite vectus ab alto,
Arcum laeva volans, dextera tela gerit.
15 Pone sequebatur pedes altera maior imago,
Syndon erat facies, corpora syndon erat.
Obstupeo tueorque novas, miro omine, formas:
Ridet et implumis sic dat ab ore sonos:
Nate, meae vires, mihi praeda est Anna cathenis,
20 I iam Nicoleo retia tende tuo.
Iam favet aura: humeris viden imposuisse lacertos?
I, feriat, potis est, una sagitta duos.
Blandiciis istos molire iocisque labores
Fallere, materies ingeniosa iocus.

25 Est, cuius tacito si cernas lumine vultus,
 Vel Veneris natam, vel Venerem esse putes.
 Illa vagam terris praebenti lampada Phoebo,
 Illa mari clauso te gemit una virum.
 Te gemit una virum, tibi servans foedera lecti,
 30 Reppulit in sanos saepe petita procos.
 Vulnus alit, quod Poenia non arte Machaon
 Tolle, te medico praeside sospes erit.
 Sospes erit: tua erit requies, tuus ignis et aura,
 Me duce nunc illam, si sapis, hospes adi.
 35 At, te Pierias frondosa per arva Palaestras
 Phoebi raptat amor, sedula castra, sequi.
 Ille reluctantis, frondosa per arva vagatus,
 Oppetiit Daphnes iura negata tori.
 Formosam Danaën delusit Iuppiter auro:
 40 Ex auro Danaë vidit abire virum.
 Ito, puer, si plura putes, refer aemule nostri,
 Gradivo fueram cum laqueata parens.
 Dixerat. Hic paret volitans pernicibus alis,
 Haec manet in solido, me stupor intus habet.
 45 Vix abit, aut abiisse mihi media hora videtur,
 Cum puer illius constat, ut ante, pedes.
 Cinge triumphali mea tempora, cinge corymbo,
 Mater io, iussum mi bene cessit opus.
 Maior es, Aoniis, cessit victoria parvo,
 50 Sim puer, haud vinci gloria posse viris.
 Sic puer; haec puero quater aut plus oscula libat,
 Nil nisi Nicoleos murmur et Anna sonat.
 Heu bone, Goebeli, ne mi indignare, duobus
 Nominibus nobis ecquid habenda fides?
 55 Audieram, nec fama mihi sat credita, fallor?
 Iam cultor Veneris diceris esse novus.
 Mollis et humanus cum sis, dea mollis, oportet
 Militiam Veneris Pallade natus ames.
 Ingeniosus es, hyberno quis sydere nolit
 60 Si calido sociam possit habere toro?
 Non celare vales, amor est ardentior Aetna:
 Ille vel ex oculis noscitur, illa rogo.
 Sit ver, sit nix tristis, euntibus ordine fatis,
 Aegroto medicam quaerere praestat opem.
 65 Teque, nec invidio, vir clare, refellere corde,
 Quae parvus fixit tela Cupido, iuvat.
 Utile propositum, Dominus cui fautor et autor:

67 Utile propositum — Ov. Rem. a. 53

Ad Rubellam abs se redamatam

Ah formosa Rubella, tulit formosius orbis
 Te nihil, et posthac secula nulla ferent.
 Sola creas aeterna mihi suspiria: sola
 Somnia das, mea te nulla medulla caret.
 5 Quicquid ago, tu sola videris, et unica curas
 Nocte dieque paris, nocte dieque paris.
 Sola places, meliusque nihil, nil mollius orbis
 Mi totus faceret, si mea sola fores.
 10 Incessu Venus es, Helena formosior ipsa,
 Moribus et vita nil nisi Penelope.
 Nil equidem trunco aut lapidi rationis, amarem
 Sed quoque si truncus vel lapis ipse forem.
 Languo amore, Rubella, tuo, Venus ultima, sola
 Me crucias, quae me sola levare potes.
 15 Tu nisi sola levare voles, florentibus annis
 Eripies animam tu quoque sola meam.
 Aspice pallidulum, me lenibus aspice ocellis,
 Per te abiit, per te vita redire potest.
 Ah centum me tela petunt, ah mille sagittae,
 20 Extrahe, nil miser, ah nil, nisi vulnera, alo.
 Ah miserere mei, magni flos unice mundi,
 Sola mihi Paeon, sola levamen eris.

Eteostichon nuptiis Domini Martini Brechtelii
et Elisabethae ipsius

ELsbetha BreChteLlo post MVsta reCentIa nVpsIt:
 ILLe, rogo, feLIX VIVat et ILLa suo.

De sese

Me quisquis pulcras miratur amare puellas,
 Is magnum quondam nescit amasse Iovem.

Concionator in adelterum infeliciter invectus

Doctus adulterii magna cum voce colorem
 Arguit, et populo talia pastor ait:

Est quidam inter vos, qui rusticus ardet amore
Alterius, sociam debet amare suam.
5 Rusticus extemplo respondet: mi bone pastor,
Hoc facit exemplo Rusca Capusca tuo.

539 Epithalamia V[iro] Nobili et Egregio, Do[mino] Ioanni Crausio,
arcis Lublo et 13 in Scep[usio] oppid[orum]
Provisori et Nob[ili]
et Lectiss[imae] Virgini Euphemiae Fabinianae Sponso

Accipe, quicquid adest, vir nobilis, accipe voti,
Qui modo Carpatias rex moderaris opes.
Da veniam pedibus, nimium properavit uterque,
Tu quia sponsus, ego quae cano, lenta cano.
5 Plus animus quam carmen habet, cum fautor amori
Soepe pio votis det potiora Deus.
Iuppiter aethereos non semper suscitatur imbreis,
Non semper gelidas fundit ab axe nives.
10 Ille potest atro nebulas inducere coelo,
Mox reparare diem, cum volet, ille potest.
Non raro tumidos videas insurgere campos,
Neptuni, saevo quando tridente furit.
Cum pia Cymothoë ridet, coelumque reducit,
15 Turgida vesani plana fit unda maris.
Nube solere diem pulsa quoque surgere claram,
Edocet exemplo Crausius ipse suo.
Cui ferus Aeoliis aquilo dimissus ab agris,
Quamvis immerito noxia damna tulit.
20 Coniugioque nigras Lachesis trux attulit horas,
Lumina cum digitis clauderet, Anna, tibi.
Nunc iterum cessant boreaeque notique furentes,
Altera ei fato dum Nepheleis obit.
Hem tibi, Crausi, iterum sol aureus axe resurgit,
Illustratque tuam luna Venusque domum.
25 Non tu fulgentis modo solus lucis es autor,
Ipse tibi Christus fautor ut autor erat.
Iustitiae Christus sol unicus ille, monenti
Cui parere homines fas pietasque monet.
Ille tuus carae quondam Nepheleidos ardor,
30 Successore suo nunc habet inde modum.
Da Veneris flores, cupressi exaruit herba,

Pallia fusca procul pone, doloris onus.
 Ecquid adhuc nigro potes indulgere dolori,
 Amplius ereptae nubis et esse memor?
 35 Durum hoc est, fateor, saxo vel durius ipso,
 Nube tamen pulsa clara fit ista dies.
 Ecce tibi merito surrexit mitior Eos,
 Et iuvat iratum nunc habuisse Deum.
 Solus eras, essent cum tempora nubila: gaude
 40 Nunc it in amplexus bella puella tuos.
 Ut fuget a thalamo geminatum frigore frigus,
 His ut hyems flammis illa vel illa cadat.
 Hoc sapientis opus, res prospexisse futuras,
 Quamvis grex etiam doctus id ante facit.
 45 Cernis ubi (veluti iam cernis adesse quod addo)
 Brumales equitant ad sua iura dies.
 Alter emit frondes, hypocausta redintegrat alter,
 Vestibus hic vulpem subiicit ille lupum.
 Tu melius: ducis formosam nempe puellam,
 50 Quae tuus in taedis ardor et ignis erit.
 Ardor et ignis erit, tua vita, tuum cor, honeste
 Quam tibi fragorum iungit in urbe Deus.
 Hanc non invideo sortem, magis opto benignam,
 Ac diuturna tuo gaudia posco toro.
 55 Haec velut a fama gerit omine nomen honesta
 Sic veniat famae lausque decusque tuae.
 Sponsa tibi Luca datur haec oriunda Fabino,
 Qui quondam toto clarus in orbe fuit.
 Cui si non adeo nimium properata fuissent,
 60 Fata viro, gelidae qui requiescit humi:
 Ex viridi doctae ferrent Helicone sorores
 Huc sua dona tibi: carmina, sarta, preces.
 Ipse pater docto percurreret ordine chordas,
 Huc celerem propius ferret Apollo gradum.
 65 Huc ipsi vates, huc Musica turba tulisset,
 Quidquid amat Latium, Graecia quidquid amat.
 Haec tamen interea tenui manantia vena,
 Autor cum sponso quae properavit, habes.
 Laudis egena sit hic, alibi non laudis egena
 70 Quam cano, sed brevibus dicere multa queam.
 Ore Venus, pietate Rebecca, pudore Susanna,
 Divitiis Iuno Penelopeque fide.
 Haec tibi non aliter ceu vitis adhaereat ulmo,
 Mille tibi botros granaque mille ferat.

75 Parentem Domino videas et utrique parentem:
Parturiatque solo, parturiatque polo.

540

Sponsae Euphemiae

Una fuit quondam formosa puella duobus
In thalami sociam saepe petita procis.
Non ergo dubitat rem significare parenti,
Incipit et coram talibus usa loqui.
5 Care pater, duo me toties abducere sponsam
In diversa tori vincula rite petunt.
Alter opes multas, doctrinam possidet alter,
Dic, utri tu me nubere iure velis.
Cui genitor: breviter quod aves, mea filia, nosces,
10 Nunc alio quaedam sunt peragenda Lare.
Non mora, emit binos forma praestante libellos,
Hic vacuus scriptis, ille politus erat.
Hinc redit, et natae libros dat ubique videndos:
Filia, dic, utro plus capiaris, ait.
15 Accipit haec, et utrumque libens per singula lustrat,
Virgineoque nitens pollice solvit opus.
Alter habet chartas tantum et sine nomine corpus,
Alter Apellaeis fulget ubique notis.
Hunc amat, atque sibi donari postulat: illum
20 Reddit, et ornati culpat habere nihil.
Mox pater ad natam: parili discrimine distat
Doctus ab indocto vir, mihi crede, viro.
O utinam similes ferrent haec secula patres,
Non sic doctorum iusta querela foret.
25 Iam docti sine honore iacent, quis putrida putris
Non hodie doctis praetulit aera viris?
Propter opes vel Mercurio patiente repulsam,
Saepe rudi Mopso bellula Nisa datur.
Non quam sit pius, at quam dives quaestio prima est,
30 Si nihil aeris habes, ibis Apollo foras.
Euclio cum nata Phoebum fastidit amantem,
Et modo sint dites, plus Corydonas amat.
O miseros! quibus aera placent pro coniuge, nunquam
Haec habet eventum pars male iuncta bonum.

28 Mopso Nisa datur — Verg. Ecl. VIII, 26

32 Corydonas — Verg. Ecl. II, 1

35 Vincula namque solent fieri bubone sinistro,
 Et Furia nigras anteferente faces.
 Cum dos aut loculi non commoda ducitur uxor,
 Sat dotatus ego, si modo doctus ego.
 Divitiis Erato tamen hic mea parcit honestis:
 40 Felix cui dives cum pietate venit.
 Sicut in exemplo est praestantis nata Fabini,
 Cuius in aeternum non morietur honos.
 Nubere vult scriptae, non nudae virgo papyro,
 Intrat et in vivi vincula docta viri.
 45 Amplas cuius opes non doctae praetulit arti,
 Quippe est ingenua Crausius arte potens.
 Omnibus ut sponsa, sic Musis dignus amari,
 Inscribi cedro dignus et axe poli.
 Mortua turba vale, sapit haec Euphemia, sponso
 50 Nubere vult vivo, mortua turba vale.
 Inclyte flos urbis, doctis flos nate Camoenis!
 Hoc exempla iubent, quod generosa facis.
 Ipsa inter Clarias es nata puella puellas,
 Adstitit et cunis Musicus ordo tuis.
 55 Vivus erat, soror Anna modo quem luget ademptum,
 Nomine defunctum tu sine corpus ames?
 Altera, Dorotheae quoque vivo nupta merito est,
 Nomine defunctum tu sine corpus ames?
 En tuus est, ex mille cui feliciter uni
 60 Contigit ingenium, contigit amplus honos.
 Vivit et Hungariae proceres non ultimus inter,
 Oppida consilio trina decemque regit.
 Eius ego cultae quae sit facundia linguae
 Hac infante queam sat decorare chely?
 65 Et recte, quis enim satis illum carmine tollat,
 Qui Phoebi meritis implet utramque domum?
 Qui sit Amaltheae quamvis praedivite cornu
 Clarus, at hoc miseris respicit orbe deas.
 Qui sibi commissas peragit res more parentis,
 70 Iudicioque gravi quod gerit, omne gerit.
 Ecquid adhuc dubitas virgo te sidere natam
 Felici, nec io terque quaterque canis?
 Ecquid et haec dubitas fieri connubia fato?
 A domino coniux, a patre dantur opes.
 75 Suspice sponsa tua nexum cervice iugalem,
 Ito lubens magni iussa capesse Dei.
 Vive, corona tui generosi vive mariti,

Coniugii innumera prole per astra mices.
Neutra, precare Deum, vestros sors verset amores,
80 Et duce Christo omnis sarcina dulcis erit.
Christe vocatus ades taedis, ades, optime Christe:
Te sine nil felix, te sine dulce nihil.
Eia age, dexter ades, ter et amplius ambo beatus
Vivat Nestoreos, et sine lite, dies.

541 Clarissimo et Doctissimo Viro, D[omino] Ioanni Schirmero,
Med[icinae] D[octori] et practico
in inclita Cass[oviensi] Rep[ublica], viduo

Tu quoque des Musis aureis, celeberrime passim
Arte vir Aonia Paeoniaque, meis.
Miror ego, quur non iteres hymenacia rursum,
Sed miser ac toto corpore pullus eas.
5 Nuper, ubi mihi Cassoviae fors obvius ires,
Vix potui faciem nosse tuendo tuam.
Sum ratus esse virum, Getico de carcere missum,
Indicio nobis barba habitusque fuit.
10 Veste niger longa, passim silva horridus ora,
Circum humeros errans triste capillus erat.
Tunc ille es medicus, quem me praesente Saboa
Ante annum exhibuit, iam quoque moesta domus?
Quando Darholciadum flos Martis et artis ibidem
Aeger se manibus crederet ille tuis.
15 Cur adeo iam Schirmero mutatus ab illo
Caesariem et lanae pallia nigra geris?
Me iubet hoc, inquis, reverentia debita morti
Coniugis, et carae comparis urget amor.
Est aliquid sane, rationis egentia plorant
20 Bruta suos, hoc vel turturis urna docet.
Funera nostrorum pietas nos plangere iussit,
Sed planctus finem debet habere suum.
Flere decet, sed flere nocet, si fletibus instes,
Saepe dat immodicus fata suprema dolor.
25 Nil prodest, vel si lacrimas tot flendo profundas,
Conradis vestrae quot vehit urbis aquas.
Illius in busto quoniam tranquilla quiescunt
Ossa, quid hoc planctu busta iuvare potes?
Scilicet hoc maneis credis curare sepultos,

30 Scilicet hoc sociae iam quoque dulce putas?
 In cinereis versa est, tecum quae blanda iacebat,
 Cui trux letatum terra cubile dedit.
 Funeris extremum satis huic largitus honorem,
 Nunc alii dicas: tu meus ardor eris.
 35 Vir cordatus eras quondam, non ergo querellis
 Tam crasse fractum te decet esse virum.
 Fata potes paullum forsitan protollere, mortem
 Arte Machaonia tollere fata nequis.
 Et nos illa manent, falcem Atropos omnibus una
 40 Iniiciet nobis non minus illa suam.
 Sat sociae lacrumisque datum est, lux annua moestum
 Corrigit, ac censor temporis esse velis.
 Excitus ex squalore tuo surge, aspice coetum,
 Aspice ridentis cuncta novata soli.
 45 Cessit hiems, rediit sol mitior, aura Favoni
 Allicit in risus quaeque creata suos.
 Ecce pecus facit hoc, sua bos praeseptia linquit,
 Et sua gramineae pabula carpit humi.
 Turture cum turtur sociat, cum passere passer,
 50 Silva maritat aveis, laeta dat unda toros.
 Esto memor, tempus nunc illud amabile veris
 Esse, suas vibret quo Venus alma faces.
 Tu quoque post vidui tristissima frigora lecti,
 Ure tuum licito laetior igne torum.
 55 Te Deus et ratio, tepidi te veris amores
 Exstimulent, rursus te nova Phyllis amet.
 Desine iam pulli velaminis, exsue tandem
 Pallia, quae moestus nil nisi nigror habet.
 Et cur non? perages mandata parentis Olympi,
 60 Is viduos viduum ponere iussit onus.
 Des operam licito, natura quod urget, amori,
 Schirmerosque pater gigne subinde novos.
 Dum vires annique sinunt, nec inutilis aetas,
 Exigit a castris neu Cytharea suis.
 65 Iam nunc, dum fas est, melioribus utere lectis,
 Utere, subrepat ne tibi candor iners.
 Scis, quod canities res sit contempta, puellas
 Et capit informeis flos quoque noster anus.
 Labitur haec aetas pernicipibus ocyus annis,
 70 Nil fuit, incipimus vivere, finis adest.
 Sed formosa, decens fuit atque piissima coniux,
 Quis scit an huic similem pronuba Iuno daret.

Consule te, Schirmere, prius, pius esne? quod es, quid
 Ergo times, dignam te pia fata dabunt.
 75 Fallor? an exspectas dum tempora Martia cessent,
 Hostis atrox nobis desinet esse Getes?
 Nil hoc te servet, quorum consederis arvis
 Aspice, qua semper bella fuere prius.
 Quare tu luctus satur elige sponsus amoreis
 80 Comparis in thalamo mox renovare tuo.

542 Torus Andreae Mednenski et Catharinae Caroliae

Coniugium emplastri simile est, nisi vulnera sanes,
 Militiae fors an tibi facta domi;
 Et loca consolides cataplasmate hiantia certo,
 Occidis ante diem morte sequace tuum.
 5 Sic, quos armigeri tetigere Cupidinis arcus,
 Si non vulneribus dent cataplasma, iacent.
 Sed tu, Mednenski, catus es, reverende, salutis
 Saucius emplastri te bonitate iuvas.
 Qui pluteis vincit, nec aperto Marte triumphat,
 10 Ille tuo cordi vulnera fecit amor.
 Ne moriari, malagma tibi est, quod mollius omne
 Purificet morbi pus, Catharina, tui.
 Haec rosea exsanguis faciet rursum Idalis artus
 Certare, aut minio, pulcer Ibere, tuo.
 15 Vivite, par sponsum, cum foenore et omine, praestas
 Tu Catharin, verum tu sed amore virum.

*

Nob[ili] et Ampliss[imo] V[iro], D[omino] Ioanni Crausio etc. — v. 134.

*

tit. **Ed. pr.** Epigramma nuptiis Reverendi Domini Andreae Mednenski P[astoris] Varan[oviensis]
 4 ante diem **Ed. pr.** ante tuum / sequace tuum **Ed. pr.** sequace diem
 5 tetigere **Ed. pr.** feriere
 7 Mednenski **Ed. pr.** Mednenci / salutis **Ed. pr.** salubris
 9 pluteis vincit **Ed. pr.** vincit pluteis
 15 praestas **Ed. pr.** praestes

Ad Rubellam suam

Quando erit illa dies, qua nos iungemur amantes,
 Dulce, Rubella, meum, quando erit illa dies?
 Omnia spero feroque nihil, mea vita, meum cor:
 Des, capias, venias, quod peto, do, video.
 5 Perdere tu mihi sola potes, tu reddere vitam:
 Enecet (ah) vultus vivificetve tuus.
 Flos, cibus, aura, decus, requies, mel, gaudia, coelum,
 Cedite, Bocatia sola Rubella placet.

In uxorem Casci

Non tua debebat Blandina, sed Ursula dici,
 Torva oculos, moreis horrida, sparsa comas.
 Aut nisi blandiri possit, ceu parcere Parca,
 Ceu lucere nigris lucus et in tenebris.
 5 Coniuge sed tali talis, me iudice, dignus
 Tu vir es, aut Cascum non sua Casca decet.

Polygamia Turcica

Non mirum est toties caesos recrescere Turcas,
 Unus Turca alios mox reparare potest.
 Nam quot gallus habet gallinas, Turca maritus
 Unus tot socias ducere lege potest.
 5 Hoc si Teutonicis quoque lex concederet oris,
 Turca super nullus forsitan in orbe foret.

Gratias refert Rubellae, pro pomo sibi misso

Dulce, Rubella, meum, malum mihi dulce, rubellum,
 Aemula das malae signa colore tuae.
 Accipe, ut ingrato nil des, hoc scilicet ergo
 Corculum ego contra mitto tibi aureolum.
 5 Hortulus Alcinoi mihi malum erit usque ad ocellos

6 Cascum **Hung.** Cascam

tit. Casci — cf. Enn. frag. Ann. I; Varro L. L. VII, 28; Auson. Epist. 22, 27

6 Casca — cf. Varro *ibid.*

Adque labella meum nobile delitium.
Tu tibi cor bellum munusculum et alliga ad ipsum,
Corculum ego tibi, tu sis mihi dulce labrum.

547 Unica nox amantibus mille diebus gratior

Unica, cur quaeris, nox praestet mille diebus?
Nox dat, quod nequeunt fors dare mille dies.
Mille dies lusus tantum, nox una dat usus:
Unica nox mea sit, mille valete dies.

548 Virgo tribus procis coniugii spem faciens

Formosi iuvenum tres ambivere puellam,
Quae Veneri similis, vel Venus ipsa fuit.
Instabunt omnes valde, virgo omnibus una
Annuit in medio stans bene vafra tribus.
5 Huic dedit amplexus, huic nutus, hui pede tactus:
Sclavus is, Hungarus hic, ille Polonus erat.
Vidit et indoluit Germanus, et hisce parentem
Germanum supplex virginis ante stetit:
Care parens, ergone tuam haud tua natio prolem
10 Ducet? an haec nata natio digna tua est?
Quin mihi coniugio iungas, sunt aera domusque,
Quae te, quae nata sunt quoque digna tua.
Audiit ista senex: iuvenum carissime, parce,
Si fecit, me clam filia fecit, ait.
15 Compos eris voti, volo, tu gener unus habeto,
Quod sine re fallax annuit ista tribus.
Noster es: amplexus, nutus, simul accipe tactus,
His tibi vel si quid dulcius esse potest.
Hungare, Sclave, Polone miser, vale et excute corbem,
20 Quas tu sperabas, possidet alter opeis.

549 Hymenaeus Clariss[imo] et Excel[lentissimo] V[iro],
D[omino] Ezechieli Piperello, Medicinae Doctori felicissimo
et Helenae Zarrae

Certe ego foeminei si pars essem aemula sexus,
Sique alicui vellem nubere sponsa viro:

Nemo meus fieret vir, quam qui pharmaca doctus
 Ipse Machaonia nobilis arte foret.
 5 Inventum medicina Dei est, qui pharmaca miscet,
 Dignus amore vir est, dignus honore vir est.
 Ille potest sanas retinere in corpore vires,
 Amissos iterum reddere et ille potest.
 Ille potest, si membra trahas aegrota laboresque,
 10 Emendare suis noxia quaeque cibis.
 Ille potest tacitas naturae ostendere partes,
 Ille facit steriles foetificare sinus.
 Ille facit, parias Iunone secunda, et in auras
 Illius arbitrio foemina masve venit.
 15 Prorogat aetatem, et seros protollit in annos,
 Ex Stygiis animas ille reducit aquis.
 Felix, quae docto potuit nupsisse Galeno,
 Cui dat Paeonias Phoebus Apollo manus.
 Non illam exsanguem videas, non ilia planam
 20 Semper, et ex sterili semper abire toro.
 Vitis, myrti, oleae, rosa, lentisci atque labrusca,
 Quod sint ad partus officiosa, videt.
 Nae tu prae reliquis, Helene, prudentior una es,
 Hercle sapis tali iam socianda viro.
 25 Quem, velut Hippocraten, haec suspicit Hungara tellus,
 Quem proceres et quem subdita turba colunt.
 Et cur non? medicas felix curando per artes
 Cum sibi propitium cernat adesse Deum.
 Quod reor, exemplis clarat, duce Christo, et in omnes
 30 Se fama spargit nobiliore viros.
 Sed res mira! aliis medicus, medicabilis ipse est,
 Ac ut sit sanus corpore, mente dolet.
 Ah genus hoc morbi est, quod nec Podalirius ipse,
 Nec potuit soboles aegra domare Iovis.
 35 Sola tamen Daphne potuisset sola mederi,
 Virgo medela viro, virgo medela viro.
 Fert tales natura vices, ut virgoque virque
 Optima, sed iunctim, sint medicina sibi.
 Vos quoque mixtura hac, medicum par nobile, sponsi,
 40 Simplicibus facitis tam bene composita.
 Alter ut alterius se munere servet in aevum,
 Tu medicina tuae, tu medicina tuo.
 Tu verbis, herbis tu sana et amore secundo
 Certamen vobis acre sit usque, precor.
 45 Plantae Helenes, nosti, radix licet humida primi,

Sicca tamen tertii est haec quoque fine gradus.
Ergo piper, Piperelle, lini dulcedine, misce
Ambrosiam et nectar funde süave toro.
Prolifico imbre (nimis face Apollinea uritur) illam
50 Irrora plantam, doctor Apollo, tuam.
Vir iuvenisque moras castiga, et fortius armis
Uter, sera etiam plusque trophea iuvant.

550

Ad Rubellam

Te nuper cecini, fateor, sed carmina posthac
Bella minus de te, falsa Rubella, canam.
Arsi te, fateor, sed posthac saepe vocabo
Serpentem atque canem, carmina quando canam.
5 Sic merita es, tibi terra dehiscat, fulmine ad ima
Teque adigat laesi mox gravis ira Dei.
Experiare, fidem vati dare, frangere rursus,
Quid sit, supplicium triste, Rubella, dabis.

551

Cuidam Nisam habenti

Nisa tua est, fateor, sed habet nisi publicum et illud,
Si nisi non esset, quae tua Nisa foret?

552

Ad Venerem de columba Rubellae mihi missa

Misit heri niveam mihi falsa Rubella columbam,
Hac me placari, Cypria, posse rear!
Non certe! posthac durus, centena licet mi
Multa columbarum millia mittat, ero.
5 Hac aliis ave simplicior, prudentior illi
Sed serpente, Venus, cor catum ego usque geram.

553

In Pamphilam

Nil moror, ast miror, placeas quod Pamphila, sola
Tot porcis (volui dicere, parce) procis.

- Mi quoties is obvia, cur avertere vultus,
 Ora nec ad solem ferre, Rubella, soles?
 Crede mihi, per transennam te cernere nollem,
 Si fieres oculis copia nuda meis.
 5 Non pudor ingenuus facit hoc, mentita colorem
 Formidas lucem, bestia picta, tuam.
 Forma tibi est minium atque cerussa. O lumine non tam
 Simplice sum, talpas fallere quaere alios.

555

Ad V[irum] Nobiliss[imum] et Doctiss[imum],
 D[ominum] Ioannem Belsium

- Quam fors desipiunt, Belsi, qui spernere flava
 Poma, sed ardentem rubra perire solent.
 Tam stulte feci, quod amarim forte Rubellam,
 Non est, mentitur se quod amica mihi.
 5 Mala colore rubro sunt pessima, mala Rubellae
 Et mihi amatori pessima semper erit.

556

Venerabili et Doctissimo Viro, D[omino] Samueli Sautero
 Wirtembergico, P[astori] Epper[iessino]

Elisabe promissa mea est, nam plectilis ergo
 Est hodie votis missa corolla meis.
 O cor io, Sautere, mihi plus parte sinistra
 Exsilit, hoc si non credis, amare nequis.

557

Mag[nifico], Gen[eroso] et Doctiss[imo] D[omino]
 Gregorio Horvath, aliter Stansith, in Neerer etc.

Nobilium flos et decus o illustre Baronum,
 Gloria magnifici maxima, prima, chori.
 Filius herois, Claria palmaris et inter
 Arte viros tellus Hungara quotquot alit.

3 per transennam te cernere — cf. Cic. De or. I, 35, 162

5 Forte parum nostrae potes indulgere Camoenae,
 Temporis exiguam da mihi, quaeso, moram.
 Quum desponsa mihi sit nuper Belsia proles,
 Quae vix trina modo lustra puella gerit.
 Sit pater ante suae defunctus gaudia natae,
 10 Nomine te soceri postulo iure mei.
 Cum reliquis venias ad nostras, inclite, taedas,
 Hospitibus castum concelebrare torum.
 Non meritis, vir magne, meis, sed amore parentis,
 Qui tibi devinctus mente fideque fuit.
 15 Saepe mihi generosa tui monumenta laboris
 Exhibuit genero dulcia scripta suo.
 Hinc se quo fueris complexus amore patronus,
 Saepe memor laudeis rettulit ore tuas.
 Ut docta aequipares magnos virtute magistros,
 20 Ipse geras ludi sedula sceptra tui.
 Subdita non etiam minus agmina rite gubernes,
 Sis inter procereis gloria prima tuos.
 Ipse gravi sumptu tot alumnos, vasa futuros
 Grata Eccesiolae, more parentis, alas.
 25 Communem vocitent te Musae et Apollo patronum,
 Quod foveas opibus templa scholasque tuis.
 Spemque mihi fecit, generum quod vellet honeste
 Me tibi per chartas insinuare suas.
 Sed miser ante iacet fato sublatus et expers
 30 Nostri, cum Christo vivit in axe poli.
 Illius ob causam Baro te doctissime sponsus
 Oro, velis taedas coram animare meas.
 Iunius in denos bis ubi sole iverit ortus,
 Intrabit thalamos Belsia Elisa meos.
 35 Quam pius ante graveis mystes mihi porriget aras,
 Iungat ut aeterno corpora bina iugo.
 Voce Severinus nos forsitan ipse amantibus
 Nectet, et eximios cernet adesse viros.
 Tu quoque propterea dignare, vir inclite, praesens
 40 Haec cum Sculteto sacra iurare tuo.
 Gratus ero, si fata volent me vivere, plura
 Scribere me prohibet, qui cor adurit, amor.

Quae sis, lynx video; qui vult, caecutiatur alter
 Talpa, tuae malae sunt mihi dulce vale.

559

Elsulae, desponsae mellitissimae meae

Caste puellarum flos, dulcis Elisa, Bocati
 Salve mansuri semper amoris amor.
 Tu rosea es nostrae servata, o gemmula, lauro,
 Tuque meis hederis, bella puella, places.
 5 Scitula es, ac lepida es, non falsa es, corculum es usque
 Candidulum salve, laeta puella viro.
 De Libano descende tua mea bella columba,
 In qua non macula est pluma sed alba, veni.
 Oscula molliculae tibi dulcia nostra labella
 10 Figere laetantur, sanctula, mellitula.
 Sola venustula, sola libris uxorcula sola
 Digna, benigna meis: Gratia, Lusus, Amor.
 Puppula, copula solemnus, blanda aurula, mollis
 Ventulus, ingenio sola sat apta meo.
 15 Vive valeque smaragdina tota, hyacinthina tota:
 Elsula, tota mihi pulcra columba vale.

560 Thalassio. Ornatissimo Viro, D[omino] Michaeli Treutlero
 et Annae Cebnerianae, sponsis

Ni bene, qui coniux fieri vult, prorsus amoris
 Sensus et census calleat ante, dolet.
 Fingit opeis, fingit moreis, mentitur uterque,
 Perque vices fabricat foemina virque dolos.
 5 Mox, ubi merx empta est, et copula iunxit amanteis,
 Heu nihil heic dotis nilque pudoris adest.
 Neuter habet, quod finxerat, et nunc exit in iras,
 Moribus angelicis qui modo dives erat.
 Iamque foras edunt animi secreta, nec unquam
 10 Coniugium felix dicier hocce meret.

tit. desponsae Hung. desponae

7 De Libano descende — Cant. cant. 4, 8

Ergo, Anna et Michael, vobis prudentia sponsis
Maior, quis longum contigit esse simul.
Esse simul, moreis et res bene nosse tot annis,
Iam res et moreis composuisse toro.
15 Par igitur felix animis, par nobile, vitam
Transige: tu pare, tu, precor, Anna, pari.

561 V[iro] Rev[erendo] et Doctiss[imo] M[agistro]
Samueli Sautero, P[astori] Epperiess[ino]

Rumpitur et plorat quondam, Sautere, Rubella
Nostra, quod inventus sit mihi certus amor.
Se rumpat ploretque, nihil curo: Elsula nostra est
Belsia, te plorans rumpe, Rubella, precor.

562 Nuptiis Maximiliani Fabini et Fidei Ferberianae viduae

Si qua viro nupsit citra spem foemina, certe,
Quam ducis, nupsit, care Fabine, tibi.
Non etenim tibi mens adeo fuit ulla manendi
Heic, ubi me in ludo macte labore iuvas.
5 O quoties repetam, dicebas docta lycaea
Sive Argentinae, aut urbs galeata, tua.
Tunc ego: fata pedeis retrahent, mihi crede, trahentque
Ut, quod monstrarint ipsa, sequaris iter.
Proponunt homines, disponunt fata. Fatere,
10 Nonne tibi vates heic et Apollo fui?
Evenisse putas isthaec sine numine divum?
More Deus figuli nos rude tornat opus.
Quod visum est fatis, nobis hoc ferre necessum est,
I, sponsum fato teque, Fabine, nega.
15 I nunc et doctas redeas ad Teutonis oras,
Ingenii plureis; i, pete cultor opes.
Ah valeant figmenta deum, figmenta dearum,
Iuppiter, Ardor, Hymen, Iuno, Diana, Venus.
Omnipotens Deus est, fato qui iungit amantibus,
20 Ille Deus, costam qui fabrefecit Adae.
Ille tuam citius viduasset compare sponsam

9 Proponunt homines — Th. de Kempis: De imit. Chr. I, 19, 2
12 More Deus figuli — Eccli. 33, 13
20 costam qui — Gen. 2, 21—22

Frustra? crede, fuit non ita, causa fuit.
Saepe Deus quosdam maturius evocat orbe,
Ut ferat alterius fortior alter onus.
25 Heu miseros, thalamo qui non fataliter ardent
Gaudia, quae rata sunt, haec pia fata probant.
Vivite iam fatis, fatales vivite sponsi:
Prosperet una Fides teque Fidemque tuam.

563

In Lampacium

Nuper Lampacius, cum quaereret urbe puellam,
Magnus et in toto corpore dives erat.
Nunc ubi deceptam sibi duxit in urbe puellam,
Parvus et in toto corpore pauper agit.
5 Hoc est centones farcire. O nulla professo
Posthac divitias credat amica proco.

564

Tauro

Herculis in ritum tua te domat Anna maritum:
Phy pudeat; Taurum vincere vacca potest.

565

V[iro] Nob[ili] et Opt[imo] Lucae Sprotano

Is, qui Turcigenas ritu domat Herculis hosteis,
Castra senex hodie Cypria rursus init.
Quid, Sprotane, rear? nisi quod Tyrinthius heros
Nostrum etiam possit sic animare senem.
5 Dextra colum ducit, quam trivit clava, maritum
Herculis in ritum sponsa domare potest.

Nota! Nam Hercules, in gratiam Omphales, arrepto colo, fila duxit.

566

V[iro] Nob[ili] et Strenuo Melchiori Guntero, Prag[ae], vet[eri] amico

Quaeris, ut vivam valeamque nuptus;
Piscis ut nassae miser arce captus,
Vinculis hei distineor, prioreis
Lugeo gressus.

5 Sed tamen prodest. Vir enim furoreis
Coelibis vitae socero triumpho.
Nuptiae finem faciunt puellis
Pluribus uti.

Antea me luxuriosa pubes
10 Pauperem iuvit facere ad Falernum,
Inter et chartis positis coëgit
Esse puellas.

Si quid est laudis, fateor, profundas
Saepius nocteis Iove sub rigenti
15 Pertuli frigus, quod atrox Rubellae
Posceret ardor.

Iam domi parcus sedeo laborans,
Comparem ut possim simul enutrire,
Claudus ut sutor, mihi copulatae
20 Servio libris.

Sic viros virgo domat imbecilla,
Sic Venus fregit sua sola Martem.
Sed iuvat victoria, quod virorum est,
Subiacet illa.

25 Gaudium vero socios doloris
Cum sit, et Guntere, videre plureis
Navis in nostrae positos carina,
Duc quoque remos.

567

Ad Rubellam

Praedixi. Mopso iam nupta, Rubella, quadrato
Ter pulsare die, vix semel esse potes.
Qua tua nunc abiit formosa superbia? Bryllis
Tam cito iam facta es, quae modo Phyllis eras?

*

Tu melius: celebras hymeneia tempore belli,
 Cordate patriam qua ratione iuvas.
 Tu melius: coeli quod iussa sequenda monarchae
 Tempore sint omni, tollis amore moras.
 15 Immo hinc aureolos ferat ut respublica floreis,
 Te ille puellarum flos generosus habet.
 Immo ut et ipsa suas ferat hinc Ecclesia plantas,
 Vis licitae egregie spargere semen humi.
 Crescere qui voluit mortales, crescere bello
 20 Non minus ac pacis conditione iubet.
 Unice gnate Dei, tu, quaeso, hoc, Christe, sacerdos
 Par sponsum dextra nobile iunge tua;
 Vivere feliceis facias, exerceat ardor
 Mutuus, una fides, flamma agat una duos.
 25 Illorum, ut quondam Galilaeis hospes in oris
 Verte undam in vinum, deficiente mero.
 Et castos defende toros, Christe optime, donec
 Vergat in amplexus et tua sponsa tuos.

571

Piae taedae Egregii Domini Georgii Szabo
 et Iudithae Verebeliae

Tam cito quod repetas hymenaeia sacra vicissim,
 An placeas cunctis, vir generose, latet.
 Forsan erunt critici, tua qui connubia damnent,
 Atque pii atque viri fortis id esse negent.
 5 Tempus ut ante suum sit flamma extincta prioris,
 Succedente nova, coniugis: absit honos.
 Nulla sit antiquis reverentia funere taedis:
 Te Veneris deceat nonne pudere novae?
 Parva sit haec viduae cita permutatio vitae,
 10 Nec metamorphosin hanc probet ipse Deus.
 Haec (qui iam vulgi mos est) clam spicula sponsum
 In te quis censor garrulitate iacit.
 Sed tu vince tuos solita virtute latranteis,
 Haec etiam in praeceps tempore fama ruet.
 15 Rumor et ipse sua tandem raucedine mussat,
 Compescitque suos garrula turba sonos.
 Tu licet ulterius Papiae post busta dolores,
 Pignora coniugii, fata domusque vetant.

26 Verte undam — Ioan. 2, 1—11

20 Improbatur hoc mundus, quid tum? Deus approbat, ut se
 Maceret invidia Zoilus usque sua.
 Securus vulgi quid iudicet ille vel ille,
 Utere, quam tibi dant numina, sorte tua.
 Ecce, tuis elementa favent nunc omnia sacris,
 Grataturque tuo terra polusque toro.
 25 Ecce, solum atque salum coeunt, sol calfacit, acris
 Quod tenuit longum frigore bruma suo.
 Quod fera laesit hyems, rursus ista resarciet aestas:
 Hinc etiam surgis, Szabo, calore novus.
 Te quoque torret amor, tibi mollis flamma medullas
 30 Urit et ignipotens te fovet ille puer.
 Nec tua cygnaeis sic argent tempore plumis,
 Ut fax heic possit iuris habere nihil.
 Ut sponsis facies parileis non computet annos,
 Si modo honore pares sint et amore, sat est.
 35 Censuram arbitrio quis vivere posset? o ille
 Quam miser est hodie, cui favet omnis, homo.

572

Iisdem

Szabo, vir, invidia vel teste, sat aptus es annis,
 Cypridos ut porro militiae arma feras.
 Heroina tua est, heros tu: vivite fortes,
 Saepe etiam sponsis nominis omen inest.
 5 Assyrio Iuditha duci ceu mascula quondam
 Cassa viro castris abstulit ense caput:
 Sic tibi certabit Meraris tua, vincere et ante
 Ipsa volet, thalami ferre trophea prius.
 Sed tu victor eris primus, spem concipe certam,
 10 Si cor habes, si non exanimatus homo es.
 Dura Holoferni olim vidua, haec tua castra, Georgi,
 Non vidua ast succi plena puella subit.
 Esto vir et miles, sic namque Georgius heros
 Virgine pro casta belliger ipse fuit.
 15 Hoc tibi sit felix, faustum, sit et utile bellum,
 Vestraque Telemachum praelia, quaeso, ferant.
 Quam bene se Marti robustus destinat armis:
 Tam male decrepitis praelia miles init.

22 Utere sorte tua — Verg. Aen. XII, 932

5 Assyrio Iuditha — Iudit 13, 1—12

Ut tua, Sabo, iuuet connubia Iuno secunda
 Sponsum, hoc Iunonis ducere mense placet.
 O felix! quisquis Iunone fit auspice sponsus,
 Momus ut inuideat, sospes is usque manet.

574 Venerab[ili] et Docto V[iro], D[omino] Adamo Scholcio,
 Conc[ionatori] Germa[nico] Cassov[ia]e]

Os Christi, reverende, docte mysta,
 Scholci, accepi equidem tuas politas
 Ad me litterulas, quibus precaris,
 Non a me tamen impetras, iugaleis
 5 Ut taedas tibi rite amore rursum
 Incendas quia, praesto sum maritis.
 Coram vota preceisque dem Tonanti,
 Et nato ipsius, innubo, faventi
 Sed nuptis; Deus optimus secundet
 10 Casti hanc coniugii facem, ut superstes
 Longo tempore floreas; puellam
 Quum sic floridulam bonique plenam
 Succi ducere iusserit Supremus.
 Non me sisto, licet velim lubenter:
 15 Quod trux inuideat gravisque morbus.
 Ergo, quod lacrimas mihi profundit,
 Te sponsum nequeo videre, nec tot
 Urbis lumina Cassiae tueri.
 Ast quo pes nequit ire calceatus,
 20 Per iam debet abire laureatus.
 Pro te proque tuae salute sponsae
 Conscendam aurea siderum poeta,
 Et carmine supplicem libellum
 Tradam, ut qui paranympus olim Adamo
 25 Sponsam duxit, Adame docte, et idem
 Te prole hinc faciat nova beatum.
 Orbe indulgeat hoc toro secunda
 Vestro cuncta: vale faveque nobis.

LIBER HUNGARIDOS QUARTUS MISCELLANEA COMPLECTENS

Lector Benevole!

- 1 Ridetur, si credis Horatio, chorda qui semper oberrat eadem. Non enim, puto, sine cachinno cytharedi pauperis et angusti sustineas auscultare corcysmos, et qui solum ἀτὰ περὶ αὐτῶν mintriat et tantum possit

Agresti stipula miserum disperdere carmen.

- 2 Hinc, licet mihi curta supellex, nec ut Marsyas Apollinem, lusciniam quandam Museam in arenam provocem, et Claudiani calleam verbum: diversos diversa iuvant. Poetam audio:

non omnes eadem mirantur amanti.
Carminē tu gaudes, hic delectatur iambis;
Ille Bionacis sermonibus et sale nigro.

Quot capita, tot sensus. Quot homines, tot sententiae: suus cuique mos est, comicus ait Afer. Nec male Naso:

Pectoribus mores tot sunt, quot in orbe figurae:
Qui sapit innumeris moribus, aptus erit.

- 3 Rebus etiam sua varietas. Cape veri iudicii lancem, trutina quaelibet omnium hominum; quidnam erit sub sole solum, solidum, purum, putum? Elementa? sane, de scito physico, per se mera, non variegata; sed aliter in nobis calor, spiritus, humor, humus et ubi ea sparsim, partim. I rus, qua non Irus Priapus; aspice, quam variis ver pingat floribus hortum! Floram ipsam et Pomonam testor. Denique mundus hic immundus mixtura chaosque perpetuum est.

Sunt bona mixta malis, sunt mala mixta bonis.

1 chorda qui semper — Hor. Ars p. 356 / Agresti stipula — Verg. Ecl. III, 27

2 mihi curta supellex — Pers. IV, 52 / diversos diversa — *non Claudianus, sed* Corn. Gall El. I, 103 / non omnes eadem — Hor. Epist. II, 2, 58—60 / Quot capita — proverb. v. Margalits / Quot homines — Terent. Phor. II, 454 / Pectoribus mores — Ov. Ars a. I, 759—760

3 Sunt bona mixta — cf. Tac. An. VI, 51

4 Quicquid, humidus ille pater, Oceanus cum aqua sua prole lambit et ambit, et quod ipse fovet et favet, ut magna illa regina, (Psalm. 44) varietate circumdata sunt. Vix urbs, vix oppidum est populo, lingua variegatis. Tugurium et magar omne quam suppellectile varium, dubium! Hoc iuvat, delectat, oportet. Ergo, quoniam et ipsae

amant alterna Camoenae,

5 dicimus alternis. Ut se dant cuiuslibet studia, mores, actus; ruminor, iterum. Miles adest? Enumero vulnera. Pastor? ovis. Omnia sum omnibus. Non tamen, ut Curio vel Gnatho, quicquid dicunt, laudo; id rursus si negant, laudo id quoque. Nil mihi cum isthoc aucupio. Cupio capere, quod fas. Eorundem usus et esus
6 nauseam parit, simile in versu. Quod igitur pictor in tabula, coquus in esca, phrygio in tunica et aulaeo, id ego in hoc libro. Eia, bone, veni, mercatum sisto; fors erit, quod emptum velis, de quo nec ante cogitaras; ut saepe, quum nundinas ingressus. Perge, perge; non te poenitebit,

Lector Benevole.

76 Sed tu, livor edax, odio licet ilia rumpas,
Carpere vel noli nostra, vel ede tua.

575 Spectabili ac Magnifico Domino,
D[omino] Stephano Humanaio, Lib[ero] Bar[oni] de Drugeth etc.

Sol abitus finem facit, anni rector et astri:
Splendida magnifici stella decusque chori.
Admonet ergo suos vateis, rectoribus orbis
Feliceis voveant hoc super orbe moras.
5 Proque magistratu nos iussit apostolus, aras
Ante prece et voto supplice stare pias.
Ergo, vir illustris, late qui sceptriger oras
Hunnidos eximia dexteritate regis:
Hunc etiam transi, quaeso, feliciter annum,
10 Vive, vale sospes tu populusque tuus.
Terminet hic annus bella aspera, vapulet hostis,
Alma salus nostro sit peramica solo.
Sic aveo natum praeceptor in urbe tuorum
Hac olim, hoc servus laudis adopto tuae.

4 varietate circumdata — Ps. 44, 10 / amant alterna — Verg. Ecl. III, 59

5 iussit apostolus — 1Tim. 2, 1—2

576 Nob[ili] et Docto V[iro], D[omino] Adamo Antiquo

Annus adest novus: antiquum nisi ponis Adamum,
Nulla volet rugis nubere virgo tuis.
Esto recens, vinum et nummos antiquitus ardet
Quilibet, ast vetulo gratia nulla viro est.
5 Et cur desponsum cor amem, quod sordeat annis,
Marcida vel Baucis si quoque forte forem?

577 Pruden[tissimo] et Opt[imo] Viro, D[omino] Ioanni Nustio,
S[ecretario] C[aesareo]

Annus, Ianus, anus: tria ut haec sint nomen et omen;
Anna facit, novus hinc quam tulit annus anum.
O quam feliceis tibi strennas attulit annus,
Abstulit exsanguem qui tibi nuper anum.
5 Iane, Annam renova, post annum rite bifrontis.
Te Iani ex Anna poscat habere puer.
Sic mihi nomen et omen erunt haec quattuor: Anna,
Annus, Ianus, anus; sic mihi numen erunt.
Sic tibi νοῦς dicam est διός; eloquar, optime Nusti,
10 Respondent rebus nomina cuncta tuis.

*

Ad Severinum Sculteti: de Turcica puella Epperiessini solemniter baptizata et ante Immi, iam Elisabetha vocata — v. 195.

*

578 Ornatiss[imo] Viro, D[omi]n[o] Martino Brechtelio,
C[ivi] Cassov[iensi]

Annus habet finem vetus, et novus intrat in orbem,
Quae tibi Brechtelio carmine fata precet:
Vis morbi esse expers? esto. Vis vivere, vivas.
Natum optas? opto; caetera posce deos.
5 Posce deos pacem, tibi opum satis ante dederunt,
Posce, quod amplificet teque tuamque domum.

Eidem: de mihi donata bombardarda

Cui mens candidior cygno niveoque rosarum
 Flore, dedit munus hoc mihi Brechtelius.
 Martia, donasti qua me, Martine, poetam,
 Hos bombardarda feret semper honesta pedeis.
 5 A quo fastus abest, a quo crudelior ira
 Exulat, et Martis nomen inane gerit:
 Hoc me Martinus donavit munere: vivat
 Brechtelius posthac Brechteliique domus.

580 Ad Marcum Noctuum, cataphractum strenuum Sil[esiensem]

Quidnam, Marce, tibi iam quidnam, quaeso, negoti est,
 Tam dudum a te quod littera nulla venit?
 Esne domi? Utopiamne profectus es? ede videndum
 Te paullum, aut certe noctua vera mihi es.

581

Viro Doctiss[imo] Nicolao Gaebelio,
M[agistro], S[cholae] Cremnicensis R[ectori]

Gaebeli, decus inclitum dearum,
 Formatorque meae potens iuventae!
 Miror, miror, ut usque pertinaci
 Nervo ac unde queas docere ludis?
 5 Quid contemptius est docere ludis?
 Quid molestius est docere ludis?
 Quid pauperius est docere ludis?
 Hoc olim haud bene credidi magistris,
 Quod sat exerior modo magister.
 10 Eloquar, taceamve? sustinemus
 Nos, nos coelum humeris Atlantis ingens.
 Et fors conditio rudis bubulci
 Est nostra potior; laboriosi
 Quod nocteisque diesque taediosum
 15 Exantlamus onus, nec ulla nostris
 Sors arridet, et ulla Gratiarum
 Se non praebuit optimis benignam
 Praeceptoribus arte liberali.
 O mellite magister, o iuventae

20 Quondam Musa meae beatioris.
Ipse nunc didici docere ludis
Crucem maximam et esse id eruditus
Taediosius omnibus molestiis.

582

Bubalo

Bubale, tu Tauro, Taurus tibi pascua campis
Invidet; haud mirum, bos es uterque vorax.

583

Nobili et Praestanti Doctissimoque Viro,
D[omino] Ioanni Belsio etc.

Incipit ex mystis quidam contendere mecum,
Ethnica quod versu verba deosque canam.
Musarum, Phoebi, Charitum ne nomina scripto
Christicolae vatis vult superesse magis.
5 Quae censura tua est, mi Belsi? Ego censeo vocem
Helleboro dignam, si aut tripode orta foret.

584

Belsiana responsio

Ille ultra crepidam sutor sapit: instar Apellis
Tu vates artem pinge colore tuam.
Cuique suus crepitus bene olet, Plato dixerat olim;
Propria censori dulcia quaeque suo.

585

Facetia: cur avari sacerdotes?

Quod semper capiant, sed reddant munera nunquam,
Cura sacerdoteis vexat avaritiae.

1 ultra crepidam sutor — Plin. Hist. Nat. XXXVI, 12

3 Cuique suus crepitus — Plato ubi?

Inclitus Hungariae quondam rex ille propagis,
 Cui gens de corvo nomen habere dedit.
 Usque fuit Clariae patronus maximus artis,
 Dignatus mensa pectora docta sua.
 5 Heic inter Cererem Latia cum Pallade voceis
 Miscuit, Aonios suetus amare viros.
 Tempus erat, varie consortia fercula doctis
 Praebuit, ut socias fregit et ipse dapeis.
 Semper aromaticas rex ergo disertus ad escas
 10 Egregio cultos protulit ore sonos.
 Tunc datur ac aliis, de more, licentia fandi,
 Sive sales castos, sive severa velint.
 Mentio cuiusdam fit principis, illius uxor
 Quod soleat casti fallere iura tori.
 15 Multa illegitimi tulerit quae pignora lecti
 Turpis adulterio foemina moecha suo.
 Excipit haec aliquis, non ultimus arte, ducissam
 Liberet ut tanto crimine, rursus ait:
 Si genus incertum faceret, pia foemina natos
 20 Non ferret simileis corpore et ore duci.
 In subolem transit genitoris imago, nec ullum
 A specie semen degenerare potest.
 Audit et in risum rex solvitur, ocyus infert:
 Nullum te physicum scilicet hisce probas.
 25 Ergone si mulier dat adultera, furta patranti
 Formant conceptum semina sparsa parem?
 Falleris: est ratio, cur vero obscoena marito
 Uxor adulteriis aemula membra ferat.
 Dum iacet in furtis sociumque amplectitur ulnis,
 30 Cypridos ut moechis dulce patretur opus,
 Fortiter absentis dum semper oberrat imago,
 In matrice parem concipit ergo viro.
 Qui sectantur iter medicinae scitaque Phoebi,
 Haec dare plus vero consona dicta solent.
 35 Dixerat; extemplo rubor illius ora colorat,
 Defensor moechae qui modo tantus erat.
 Caetera subscribit regi quoque turba, cachinnos
 Cum grege rex igitur sauviter ipse movet.

587

Matthiae laudatiss[imi] Hungariae regis proverbium

Sunt tria, quae nobis minus oblectabile gignunt,
Quae mens et stomachus respuit usque meus.
Iura recocta; reconciliatus amicus et ore
Foemina barbato; singula trina nocent.
5 Ecquid enim hesterno me pascam iure, veterni
Cui virosus inest forte liquoris odor?
Placati coëant ut vulnera rursus amici,
Signa cicatricis porro manere solent.
Cum barba mulier, monstrosa virago, timorem
10 Iniicit, audaceis sueta referre viros.
Iura hodierna probo, caros retinebo sodaleis,
Imberbis mento glabraque virgo placet.

588

Ad Taurum

Mobile, Taure, caput varium et mutabile semper,
Nulla fides certe, credo, nec ara tibi est.
In nostra cnips es regione, et foemina nulla
Ingenium melius te variare potest.

589

Quid Hungariae desit?

Res deest Hungariae solum unica at optima rerum:
Aurea pax, reliquis terra beata sat est.

590

Aliud

Hungara sancta foret tellus, si Marte careret.
Magne Deus, Mars his exsulet, oro, plagis.

591

In Doctiss[imi] et Prud[entissimi] V[iri] Sebaldi Artneri,
Cass[oviensis] Not[arii] natalem

Heus Musae, omnibus ocyus repostis,
Vos accingite mox profectioni,

tit. Matthiae regis proverbium — M. Galeott. c. 16; Sal. c. 16

Hac luce urbis inire Cassianae
 Est; cur moenia vos velim salutem
 5 Ingressae ore modestius Sebaldo
 Artnero vice plurimam poetae
 Primum dicite, dein ligate vinclo
 Isthoc, restio quod poeta fecit.
 Si caussam volet, expedite: natum
 10 Hac olim quia luce pusionem
 Exceptit genius, suas et intra
 Aedeis intulit, hospitem benignus
 Fovit, iuvit, amavit. Annuatim
 Naturae litet ergo, quum Calendae
 15 Adsint rite suae; merum et Falernum
 Gratus sacrificet, diemque totum
 Det laetus genio et bonis amicis.
 Si dicet: dabo, quod deae rogatis,
 Non quae vinea Cassiana, sed quae
 20 Szánto, Tálya, Tarczalis ministrant.
 Si det, reddite missum et expeditum.

592

Ad ingratum hospitem

Prorsus et ignotum ac aegrotum, pessime latro,
 Excepi hospitio te comitemque tuum.
 Omnibus horrendum, quasi triste catharma, misertus
 Te pavi medicis coctilibusque cibis.
 5 Quid reddis? vestem mihi clam furatus, o harpax
 Digne cruce. I corvos corpore pasce nigros.
 Trux manet ingratum Rhamnusia, te quoque scurram
 Immemorem officii puniet ipse Deus.

593 Viro Ampliss[imo] et Doctiss[imo], D[omino] Michaeli Wirt,
 Not[ario] et Sen[atori] Epper[iessinae] Reipubl[icae]

Quantum laeticiae parens crearet
 Suis filiolis, remotus hospes
 Si procul nece diceretur auras
 Amisisse, sed interim reversus
 5 Ori os iungeret et domum rediret.
 Ah tantum mihi feceras misello,

Ah imis vel in ossibus levamen!
 Quum te dulcis heri, patrone Wirthi,
 Gradus scandere videram, tibi quos
 10 Conabatur iners vetare morbus.
 Nam sat vox inamoena venit aureis
 In nostras domino die dicata;
 Cum praeco venerandus aede sacra
 Cessaret populos docere Iovam,
 15 Sic est ore locutus ad frequentes
 Nos: Morbo laceratur optimatum
 Huius flos quoque civitatis unus.
 Nos plorare decet, decet precari,
 Faxit Christus, ut optimus Redemptor,
 20 Huic ne claudat avara mors ocellos.
 Namque udi lacrumis Tonantis iram
 Si placabimus, audiet roganteis.
 Hunc servare potest diu, ut redemptus
 Nostrae flos quoque civitatis unus
 25 Vivat, templa iuuet scholamque nostram.
 Plebs est in lacrumam soluta multam!
 Largos vox ea suscitavit imbreis,
 Et mi cor pupugit, iecur, medullas.
 Quapropter pueros adhortor omneis,
 30 Ludi pulpita qui mei frequentant,
 Ut mecum citius ter ore dicant:
 Noster o pater, arce qui polorum es,
 Has audi preculas! inesse votis
 His certum sine coeli in axe pondus.
 35 Nostrae praecipuus scholae patronus
 Membris aeger habet graveis dolores.
 Vitaleis moriens relinquat auras,
 Qui fulvo timet Euclio metallo.
 Vel qui Musicolas novemque divas
 40 Odit, temnit, acerbat, exsecratur.
 Fautor Wirthius optimus Camoenis
 Vita dignior est beatiore.
 Civeis consilio gravis gubernat,
 Prius publica tum magis laborat.
 45 Cum ius dicit, ut alter Ulpianus,
 Non heic contrahit, arcta nec relaxat
 Legum vincula, sed Themis quod ipsa
 Fas rectumque putat sedens ad urnam.
 Nocteis atque dies Deum rogemus,

50 Nostrae praecipuus scholae patronus,
 Vivat Nestoris ut beatus aevum.
 Salve, spes mea, mi patrone, salve.
 Suscepit preculas Deus iuventae.
 Iam tecum saliunt cor, os, medullae.
 55 Nos, qui Pierias docemus arteis,
 Iam sumus rediviva turba rursus.
 Tu morbo nisi nunc levatus esses:
 Tecum templa scholaeque concidissent.
 Heic vulgus rude temnit, exsecratur
 60 Nos, qui Pierias docemus arteis.
 Quid cesso bene gaudiis vacare?
 Sumas, i puer, ocyus repostos
 Nummos octodecim, ferasque vinum,
 Infundas cyathos capacioreis.
 65 Cur non Hungarici liquore Bacchi
 Tester laetitiam meis Camoenis?
 Argumenta novi parabo gaudi.
 Mecoenas meus et patronus unus
 Valet, vivit, obambulat, movetur.
 70 Praeter hunc redamare neminem post
 Gratus debeo. Suaviter vocato
 Cibum saepe mihi dedit benignus.
 Me fovitque favetque more patris.
 Ergo hunc non minus ac meum parentem
 75 Flagrabo, venerabor et precabor
 Iovam, Nestoris ut superstes aevum
 Posthac transigat, anchoramque navi
 Fautor iniiciat meae soloque,
 Lingua quo melius potest diserta
 80 Nullus flectere et alligare proram.
 Sic Lucas patrias eat per arteis,
 Sic cum filiola parens minore,
 Sic maiore diu, Annula, pudicam
 Praestent Penelopen piam et Rebeccam.

Quando tui spirant calidi mendacia folles,
 Tam vultu austero ac serius ore vir es.
 Ipse vel ut Thomas tibi, Bubale, credere possit,
 Bocatium hac nunquam tetricitate capis.

Divitias nolo Croesi, locupletior Iro
 Sim tamen, est vitae quod satis, illud amo.

A Matthia rege Hung[ariae] quondam iocose disputatum

Rex Corviniades, quo non praestantior alter,
 Ille tremor mundi Pannoniaequae salus;
 Sicut erat doctus, doctos flagrabat et inter
 Ardebat Clarios perpetuo esse viros.
 5 De variis sermo fieret quum doctior escis,
 His laus, his essent noxia multa cibis,
 Matthias Eridos quasi pomum proicit: Hunnis
 Est valde suetum dicere tale meis:
 Nil peius certe est, quam caseus. Unus et alter
 10 Mox negat, ex medicis et ratione probat.
 Exemplisque gerit rem, profert grandia cete,
 Duricie pisceis plusque nocere canit.
 Pugnant Hippocrates, Avicenna, Galenus et omnis
 Provocat autores ordine saepe suos.
 15 Rex instat fierique refert proverbialia vera,
 Plus doctis populum dicere saepe rudem.
 Hoc tamen esse nihil, cum bile Machaones aiunt,
 Caseolis quoniam noxia plura sciunt.
 Optimus in risum rex solvitur: ecce, probabo,
 20 Dicit, et enucleans planior ore docet.
 Credite, nil peius quod sit, quam caseus, ecquid
 Cum nihil est, aliquid frangere dente potes.
 Cum nihil est, editur nil, caseus ilia replet,
 Caseum ego comedam: vos decet esse nihil.

1 spirant mendacia folles — Iuv. VIII, 111

3 Thomas tibi credere possit — cf. Ioan. 20, 24—29
 tit. Nihil est peius caseo — M. Galeott. c. 5; Sal. c. 5

597 Ad Mecoenatem D[ominum] Christoph[orum] Darholtz
de Fyntha etc.

Quem generose mihi nuper patrone dedisti,
Ille tuus Laelaps noluit esse meus.
Esse quid hoc dicam? nisi fallor, forte culinam
Praesentit leporeis non tot habere meam.
5 Si donare voles mihi deinde quid, ipse videto,
Ut careat pedibus, permaneatque datum.

598 Curioni — mopso

Carmine moroso, vis, trux debaccher in illos,
Queis tua relligio non ita forte placet.
Ne faciam, facit officium; sum Heliconis alumnus,
Hoc non est spartae, Curio-mopse, meae.
5 Te mordax urtica canem! sed palma bidentem
Me decet imbellem laurea, mordet ovis?
Laesa repugnat. Ego, si quis me laeserit autor,
Arma repugnando miles ovilla geram.

599 Servitus interdum bona

Utile saepe fuit servire! potentia multos
Perdidit, et miseros fecit in urbe viros.

600 Ad D[ominum] Georg[ium] Buntzler,
subnotarium Cassovianum

Perdidit hesternam Buntzlerus gutture lucem,
Buntzlerum perdet fors hodierna dies.
Prandia Buntzlero sine sumpsi, coeno sine illo,
Buntzlerum certe perdidit ista dies.
5 I puer accensum candelam, sole corusco
Et face Buntzlerum quaerere tempus adest.

tit. Servitus interdum bona — cf. Sen. De tranquil. a. X, 3

601

Superbo

Ceu fortuna tuos mutavit splendida moreis,
Sic mutat sortem vita superba tuam.

602

Sub effigie mea 1591 an[no] Cremnicii depicta

Corporis effigiem sollers depinxit Apelles,
Cum traherem vitae bis duo lustra meae.

603

Ex aqua calida Trenschiniensis dioeceseos
ad Gen[erosum] et Egr[egium] Dominum Nicolaum Ostrositium,
Dominum in Illava ad Vagum fl[uvium]

Audieram, Hungaricis (mirabile prorsus) in oris
Sponte sua calidas esse potenter aquas.
A pueris taleis arsi descendere in undas,
Ut fieret dictis denique certa fides.

5 Gratia prima Deo sit et altera iure referri
Auspiciis debet, care patrone, tuis.
Nunc ego Marte suo fumanteis cerno liquoreis,
Cum sint articulis balnea grata meis.
Anseris his de more fruor: me mergo biboque
10 Proque mea toties proque salute tua.
Qui volet, ex herbis succos affinibus aeger
Potet, ego domini Trenschiniensis aquas.
Salve here, ter cyathum tibi praebibo, redde vicissim
Tu mihi, quum coenae sumere vina voles.

604

Rusco Litterato, nescio quomodo

Cum Plauto quoties loquor aut Cicerone Latinus,
Grammaticus toties sum tibi, Rusce, malus.
Ergo bonam opto diem vobis, dominatio vestra,
Sic me grammaticum dicite, Rusce, bonum.

Vita humana exsilium

Tota nihil, quam dura peregrinatio, vita est,
 Dum sum heic, tristi vivitur exsilio.
 Sed cum vera olim fuerit data patria coelo,
 Nemo peregrinus, nullus et exul erit.

Doctiss[imo] Viro Gaspari Vernero,
 Phil[osophiae] Mag[istro] L[egumque] Iuris

Martio vates quid agam recessu,
 Qua nihil, praeter lituos, strepenteis
 Audiam ac hastas, miseris crepateis
 Frangier armis.

5 Quaeris? o linguae triplicis magister,
 O novenarum ingenio sororum
 Corculum et o mel Charitum trium! o et
 Gloria Phoebi.

10 Haec meis coelo patrio Camoenis
 Terra plus ridet, fidibusque nostris
 Saepe, Mecoenas velut alter utro
 Porrigit aureis.

15 Mitibus nil militiae deabus
 Sit licet cum atroce sorore Martis:
 Me tamen non unus amat Gradivi
 Fortis alumnus.

20 Ex satu me nobiliore multi,
 Ex choro me magnifico Barones
 Et graves me caesarei ministri
 Promptius ornant.

Scilicet sunt versiculis patroni,
 Quos cano interdum, otia quando suadent,
 Et sinunt vasti a pueris labores,
 Urget Apollo.

1 peregrinatio, vita est — Ier. 35, 7; 2Cor. 5, 6

25 Heic, nisi fallor, melior poetis
Forsan est sedes: Helicon Falernis
Gaudet, et Baccho nisi cantet udus,
Conticet autor.

30 Italae telluris in arva tu quod
Cogitas, Romana videre claustra:
Gratulor; felice volucre abito
Moxque redito.

35 Ast ego votivus agam per aras,
Supplici pro te prece verberabo
Ianuam coeli, reducem ut mihi te
Numina sistant.

40 Nobilis denupta mihi puella est,
Quam pudor, quam flos pietatis ornat,
Publice tradet domiduca Iuno
Haec breve carmen.

607

Magnates

Non sua magnateis facit alta pecunia! Magni
Magna gerant, parvis quis, rogo, magnus erit?

608

In hospitio pagi Rutenici,
in fin[ibus] Hung[ariae] et Polon[iae]

Ianus ab Hungaricis veniens Bocatius oris,
Hac gelido bruma tempore fecit iter.

609

Proverbium

Foemina, rana loquax, anser Suevusque, frequentem
Mercatum faciunt quattuor ista sono.

610 Iocus: cur Hungari soleant occiput radere

Tam variis quoniam communia busta det oris
Hungara terra Italis Teutonibusque viris.
Rasa caput gens est, superis quo scilicet ipsis
Possit in extremo notior esse die.

611 V[iro] Doctiss[imo] Davidi Hennischio,
coll[egae] Cass[ovianae] Scholae primario

Quattuor, Hennischi, consortia vina bibones
Contulerant vestra nuper in urbe pares.
Nobilis hos inter, vult me partem esse, salutat,
Mox fratrem, ex animo quod faciatque probat.
5 Mandibulam cultro sibi perforat, instat acerbè
Hoc sequar exemplum, perforem et ipse meam.
Nolo, recuso; hominem valde his offendo, quid ad me?
O tanti ad cyathos sit mihi nullus amor.

612 Georgio Manno Augustano, concionatori Cassoviensi

Manne, tuo manno foenum cum propter emendum
Nuper eras quondam cum Corydone loquax:
Clam risi, velles quod scire, an plena fuisset
Cynthia, quum prato gramina secta forent.
5 Anne putas miseros physicen lustrare colonos,
Detondere suos quando iubentur agros?

613 In Cervum

Cervi nomen habes, tua quod constantia cervi
Aemula sit; bello cervus es, immo domi.

614 Simplex homo; duplex nebulo

Es caput obstipus, vestem lacer, ora modestus,
Qui te non didicit, deierat esse pium.

Non mentis tua conditio, quae corporis, ut sis
More homo sat simplex, corde duplex nebulo.

615

Ad Bubalum

Non ita fers aegre, quod, Bubale, poto, sed inter
Quod poto procereis, hoc tibi corde dolet.
Nobilibus quod saepe vocor, te macerat. Ah quid,
Quando olim fuero nobilis ipse, doles?

616

Viaticum poeticum:

Magnificis et Generosis adolescentibus
Rudolpho, Sigismundo et Friderico,
Lib[eris] Bar[onibus] a Teuffenbach

Monstra mari esse, ferunt, quorum pars altera Nymphas,
Altera squamigeros imitatur corpore pisces.
Pube tenus natitant, sunt caetera deinde puellae,
Suave canunt, et si nunquam tibi Thracius Orpheus
5 Auditus: blandis praebe Sirenibus aures,
Orpheia, iurabis, te nunc didicisse. Sed heus, heus,
Grande dabis pretium frustra, namque auribus illas
Nemo usurpavit, modo solertem excipe Ulysem,
Qui cera auriculas sociis obstruxit et intra
10 Se crasso impediit vincolo, ne forte carina
Exsiliens fieret praeda expectata canoris.
Sed iam tutus eat, qui navigat aequore, terram
Qui vel calcat equo, vel quattuor axe rotarum
Volvit iter, non, Sirenum securus is, urbes
15 Nunc ineat peregrinus; humi monstra illa timentur,
Quave viam carpis, te cominus usque sequuntur,
Ni fugias, cantus ni fiat et aemula turdi
Auris, in exitium te detinet ore canentum.
Heus generosa trias, quam Teuffenbacchius heros,
20 Heros, militiae quo non cordatior alter,
Cis paucas lucas Boiemis sistet in arvis,
Noster ubi solio subnixus Iuppiter alto
Iura viris legesque dat, et res totius orbis
Integrat, o tantum sorte auspice pace sequestra.
25 Heic quoque Sirenas nisi quis tibi monstrat Ulysses,

Imo salutare monitus per opercula in aureis
 Fors instillat, erit, quod nequiter audeat in te
 Monstrum dulce suum ius usurpare canendo.
 Tantum summa volunt Acheloides arte canora,
 30 Ut quicumque petant Heliconam et dulcia divum,
 Praecipitent laeva vertigine vocis ab alto.
 Discite, vos animae illustres, qui monstra fugentur.
 Ast quia non facile est (fraudem sic foemina caelat)
 Nosse et posse illos ratione avertere cantus:
 35 Accipite haec animis, quae expertus ego occino contra,
 Cantio fallaces quae prodat et ipsa volucres.
 Surge decus puerum, ecce venit iam primula Siren,
 Quae licet ignoret, quid distent aera lupinis,
 Gannit in auriculas rudis Ignorantia: nolim,
 40 Nolim ego, tam lauti patrimonia perdere census.
 Aera magistellos et dulce didactron inungat,
 Quid doceant celeres fraenis cohibere caballos.
 Ista sibi hoc poscit tempus spectacula. Xerxem
 Bella novum contra gerimus, cum caesare caesar
 45 Dimicat, Hungarico pugnabitur orbe vicissim.
 Non ita Turca manus per Martia negligit arma.
 Ille Sinon nebulo, inquam, nobilis ille Sinanus,
 Iaurini domitor, cuique (heu) nostra Agria pariet,
 Thrax canis id nuper satis hac claravit in ara.
 50 Excute triste iugum, tua iam fumantior ara est,
 Vilia qui quondam mereat stipendia ludo,
 Arcadii pecoris de more laboret, odores
 Hauriat ingratos, quales latrina ministrat:
 Ut-Re-Mi-Fa tremulus circum horrida pulpita discat,
 55 Res contempta, nateis generosis porrigere natis
 Thestilis ex humili matrice et paupere villa.
 Aude aliquid dignum genere et maioribus adde,
 Disce, quod utaris per secula laetius omnia:
 Ut quei ruricolae et pinguis plectantur Achivi.
 60 Qui quaerantur opeis et honoreis altaque passim
 Nomina amicitiae: leporeis cane, retibus arctis
 Bestia quae liquidae sibi fontem exoptat aquae,
 Queique alia ex aliis nervo maiore petantur.
 Pocula siccentur, qui maxima pocula siccat,
 65 Nobilis heroum meret helluo ponier albo.
 Qui cyathos rudis est vacuando, haud miles is audit.

27 instillat **Hung.** instilat

38 quid distent aera lupinis — Hor. Epist. I, 7, 23

Non cursu, ut radix, requie sapientia crescit.
 Parrhisii quoque habent asinos et saepe quis intra
 Plus natale solum didicit, quam mille lycaea,
 70 Mille academias qui perreptavit, et ipsum
 Vidit Aristotelem vel brachia lata Platonis.
 Scilicet haud omni de ligno Mercurius fit.
 Praxiteles marmor, genium schola consulit aptum.
 Haec ita magnifice Peitho illa susurrat in aures.
 75 Quis neget? esse aliquid saga sumere et ire cruentum
 In Mavortis opus; Iove sub recubare; lacerna
 Excipere immodicos imbres et frigore coros.
 Ferre sitim atque famem, post vulnera mille, fuisse,
 Pro aris atque focis, pro libertate tuenda.
 80 Plus virtus geminata tamen facit, insita quando
 Naturae accedunt monita ingenuique magistri:
 Omne tulit punctum, cum Musis iungere Martem
 Qui potuit. Cedro est dignus, qui sacra prophanis
 Sic miscet, sit ut ingenio teres atque rotundus;
 85 Quod Marte haud potuit, correxit id arte diserta.
 Scriptis et sceptris bellique domique gubernet,
 Imperitet prius ipse sibi, quam caetera stringat
 Imperiis hominum consortia et omnia fasceis
 Dirigat ad pictos chartis legesque recoctas.
 90 Hoc est virtutem factis extendere et hoc est
 Clara per ora virum volitare; hoc vivida stirpis
 Nobilitas; hoc est clypeis nova cera vetustis.
 Exemplumne cupis? veteres qui heroidas aequat,
 Unus pro multis mihi Teuffenbachius esto
 95 Mente Solon, pietate Metellus, pectore Achilles,
 Integritate Cato, studio aequi Brutus ad urnam.
 Attilius Fabiusque fide, virtute Camillus,
 Atque alii multi coierunt, rursus in unum
 Sicut in Oceanum fluvius se plurimus infert.
 100 Qui nisi res ac spes nostris rursus integret Hunnis,
 Acceptum sanet (tu scis hoc Agria) vulnus:
 Nonne vel hinc mures iam nunc migrasse videntur?
 Omniaque in peius ruere ac non posse referri
 In melius, quondam solida statione locari?
 105 Huic (quod avent omnes mecum) pia fata parenti

72 haud omni de ligno — Apul. De mag. 43

79 Pro aris atque focis — v. 407 126

82 Omne tulit punctum — Hor. Ars p. 343

91 Clara per ora — Verg. Georg. III, 9

Dent in luce moras, ut enim plus Hercule fecit,
 Satque datum patriae dicas, vivacior ut sit
 Cervis et corvis tamen, optat vivida virtus.
 O Teuffenbacchi! nusquam tua pallida letho
 110 Fama erit et morietur honos tuus, omnia quando
 Fatali igne ruent; morietur si modo quodam
 Dignus honos luce aeterna aeternaque salute.
 Ex hoc virtutem, pueri, verumque laborem,
 Fortunam ex aliis verno hoc si discitis aevo:
 115 Quis vobis digito aut sanna merito occinat unquam.
 Heroum fili noxae. Sed patria ut ora
 Hi referunt: ita virtutem cum semine gestant.
 Formae materies sitis charitesque notandi.
 Qui genere et proavis se dignum fecit aperte,
 120 Non genus aut proavos, sed iam sua iactet aperte.
 Turpe, bene est natis male vivere; origine sola
 Nulla est nobilitas; fias, non nascere, clarus.
 O miseros, o vix homines, sine pondere nomen
 Quos capit, et veri queis nullus lucet honoris
 125 Splendor, apex, clypeo tantum, nulla arte coruscat.
 Sic anteit coeli longe pulcerrimus ignes
 Hesperus et socius magno cum lumine fulget:
 Ut vacuos albis praecedat Musa veredis.
 Corpora nam quantum discordant mortua vivis:
 130 Doctus ab indocto tantum quoque distat, ut ille
 Disserit, illicet hoc vix credat, sive cachinno
 Excipiat Bapta, et monstrum execrabile vulgus.
 Tantum huic: en oculis peramica at falsa voluptas
 Se blande insinuat, vibrans dulce ore venenum.
 135 Intra naturae fines studia anxia vita:
 Nec, velut ipse Chremes, sutoris et instar in aedes,
 Te claudi claude; hui, Francisce cuculliger exi,
 Exi, inquam, exi, hominem indue, et exsue corde Catonem.
 Quin vivis? nonne aera sinunt, et fata quid acri
 140 Cura pectus edis? iuvenilia perdis et annos.
 Flos brevis est aetas, volat aevum et transit, ut unda.
 Ocyus ac velles, tibi praesto erit Atropos, omneis
 Tunc oppone arteis, tunc pallidus obiice chartas.
 Iam nunc, si me audis, meliori te insere pubi.
 145 Sat bene, ubi mutat vestes peregrina iuventus,

142 Atropos **Hung.** Atropes

116 Heroum fili noxae — v. Margalits; WALTHER 37196

Ut digito possit monstrari et dicier: estne hic
 Hansellus teneris qui quondam extrusus ab annis
 A patre in extremas, panno vix obsitus, oras?
 Ecce autem iam qualis adest? qui corpori amictus.
 150 Esse neges illum, sic est mutatus ab illo.
 Nequitiae stabulum, teterrima pestis honesti,
 Sic iterum Siren alia ad Pietatis alumnos.
 Praecipue splendore suo ferit intima cordis.
 Creditis haec, Nymphae quae ebuccinet, improba Nymphae,
 155 Teuffenbacchiades, Iovio de germine creti?
 Vix risum teneo spectatum admissus. An autem
 Non pulcrum est varias sibi veste inducere plumas?
 Pallia clara decent praeclaros, vilia viles.
 Plus genio capiunt vestes, o tempora nostra,
 160 O mores, hodie concessum et dicere fas est.
 O hominum faex! quin rogitas, qualisne sit intus,
 Qui de more upupae pennis cristisque superbit
 Versicolor? studiis num sit iuratus honestis?
 Num prodesse queat patriae? dulcisque parenteis
 165 Prolongare sibi pietate atque adiicere aevo?
 Scire aliquid reduces didicisseque maxima laus est.
 Tu vox elleborum bibe stultior, i vel ad ipsas
 Anticyras porcum immola et ad rem quod facit, aude,
 Rusticus aut holitor magis oportuna loquendo
 170 Disserat, haec ratio plebeis eximat umbris.
 Ille viae pretium sumptusque haud fecit, ad Indos
 Qui sese extremos tulit, aut Garamantas adivit,
 Diversos hominum mores, et millia vidit
 Moenia, bis denis nulli conspectus ab annis,
 175 Qua dulcis cunas et patria rura reliquit;
 Census et sensus nisi sic correxerit, ut se
 Nunc alium atque novum mortalem et frugis avitae
 Esse probet, qualem virtus havet, aurea virtus:
 Fecerit exsequias feritati et pectus honestum
 180 Artibus aureolis disciplinaque decenti,
 Barbarie excussa, cumularit, et optima secum
 Attulerit, mare trans et montes pessima cunctos
 Liquerit, et celso sese insertarit Olympo.
 O pueri, nil vos captant ea tela nec hostis,
 185 Non, nisi sudando, quae pulcra et honesta, parantur.

146 digito monstrari — Pers. I, 28

156 Vix risum teneo — cf. Hor. Ars p. 5

167 Tu vox elleborum — A. Gell. XVII, 15, 6

Semper agit virtus insueta soporis et oti.
 Eripit, haud confert, quod spondet blanda voluptas,
 Cui comes ebrietas, luxus, gula, dedecus omne.
 Musa dapeis mensae brevis exigit, ilia plena
 190 Impediunt agileis indoctam Pallada chartas.
 Vos nunquam obliti, dic cur hic illius, ultro
 Imberbes studiis annos date, messis in herba est
 Vestra, sed et flavas post decutietis aristas,
 Et spatiosa horna complebitis horrea fruge,
 195 Fruge auro potiore et si quid dignius auro.
 Vos modo iam conchas legite, et vestrae addite spartae
 Ornamenta, mero dum se pars caetera spurcat,
 Festos usque dies agitat, nec sabbata ponit,
 Antiquumque suum porro obtinet, aetheris orba est.
 200 Non, illustre, prius remea has, tu sanguen, ad oras,
 Quam clypeos possis propria virtute paratos
 Afferre, ingenii dives, cor Pallade rectum.
 Vos anima et requies, vos sola et sera voluptas
 Spesque decusque patris mansurum et gloria secli.
 205 Senserit hoc aevum, quantis vos plausibus olim
 Accipiet reduces? quanta vos laude celebres
 Ipsa vehent Musea virum, quos clarat Apollo?
 Desidia haec habeat, Sirenula blanda, voluptas.
 Restat adhuc proles Acheloia cautior illis:
 210 Iam te, ni fallor, sancte salvare iubebit
 Relligio, non relligio, quae simplice vestem
 Ex ove personata lupum celare rapacem,
 Atque novae novit passim pietatis alumnos
 Scribere, promittit coelum, quia mystica coeli
 215 Pharmaca promittit, sed cor animamque venenat.
 Tu Satanas mendax, fuge et hinc tete ocyus aufer:
 Est mihi dogma, sinu patrio quod Christus in orbem
 Attulit, id lolium et steriles discernit avenas,
 Et spem triticeae messis facit; accipe, verbum est
 220 Ipsius, erroris verbum expers, seminis expers.
 Quale seris, mea mens discriminat illud ad aras.
 Tantum etiam huic, vester praestabit caetera Ulysses,
 Si seipsum vincet, socias cera obserat aures.
 Ergo Carolides, ut magnum instruxit Achillem
 225 Phyllirides: ita tu, Chiron velut alter, et istos

217 patrio quod **Hung.** patrioquod

192 messis in herba — Ov. Her. XVII, 263

219 spem facit — Luc. 12, 42

Instrue Achilleides, tria lumina tresque pyropos.
 Magna tibi nunc est adaperata fenestra docendi
 Discendique; alios nam qui docet, ille docet se,
 Coenare hos doceas, exemplaue suffice sancta.
 230 Difficile est, fateor, pueriles corrigere annos.
 Sic aries stabulum lascivit cornibus extra,
 Seque putat Martis pullum, nec fortior alter
 Creditur, in mediam qui prodire ausit arenam,
 Cuncta ferit, quacunquē potest, desaevit in haedos,
 235 Ni vires adimat, ni frangat robora pastor.
 Christe, decus coeli, qui ob nos nostramque salutem
 Ipse olim magnum fecisti iter axe profectus
 Elysio, ac humileis voluisti visere terras
 Tot pede dimensus regiones, oppida et urbes,
 240 Absque Lare et certa sede annos quattuor atque
 Triginta: hos pueros tibi tres commendo, per oras
 Ut quascunquē ierint, celeres imitando quadrigas,
 Incolumes veniant ad fortes usque Bohemos,
 Anseris ad tosti monumenta amplamque Casurgin.
 245 Et quia Pallas es, et summi sapientia patris,
 Qui quondam Solymae pharisaica pulpita, bis sex
 Vix annos natus dignatus es exornare,
 Et puer inter tot barbatos dicere docta,
 Atque rudi passim fallentes littore pisces
 250 Mox sacra cidari donasti, ut valle beata
 Pascere oves scirent, fauces arcere rapaces:
 Ipse, inquam, logos aeterni et sapientia patris,
 Da faciles pueris aditus iuga ad ardua Pindi,
 Ut superent nisu, et caput inter nubila condant.
 255 Te sine quis frustra sudat, te, Christe, labores,
 Sisyphus ut saxum miser urget, perdimus omnes.

617 Vir[o] Doctiss[imo] et Opt[imo] Ioanni Ducio, Borusso

Quo doctore sciam versus componere, Duci,
 Quaeris? in auriculam solum ego reddo tuam.
 Est mihi Vergilius praeceptor, ob arma virosque
 Cum boo grande; elogos dum cano, Naso docet.
 5 His ego do poenas, his vapulo, quaerere noli
 Amplius, et genio caetera trade meo.

618

Labor scholasticus

Dede scholae, quem pistrino vis dedere; res est
Una eademque molis; una eademque scholis.

619

Fortuna cuinam gravis

Dura premunt omneis, sed nulli asperrima sors est,
Qui bene fortunam scit tolerare suam.
Confer cum reliquis tua taedia, peiero, rursus
Protinus accipies tristia ferre prius.
5 Sorte tua praestare velis, durissima frangit
Tempus, et Herculeae dant bona summa morae.
Non frustra anxietas expectat avara colonum,
Agricolas tandem fruge coronat humus.
Vidi ego funestum tristari nubila coelum,
10 Et vidi rursum clarius ire diem.

620

V[iro] Rev[erendo] et Eruditiss[imo] Ioanni Fabricio, Epper[riessini] f[eci]

Fors mihi stomacharis, annuatim
Quod binas recitem tuas calendas.
Noli, vel recitabo Ianuatim,
Et prisco auspice computo et recenti.
5 Quaternas recitabo sic calendas.

621

Ad eundem

Mystagoge diserte, Ian-Fabrici,
Christi delitium, logi aeviterni:
Scisne hunc Mercurio diem esse sacrum,
Facundissime, scisne, Ian-Fabrici?
5 Illi hunc Mercurio diem esse sacrum,
Qui vocatus adest, suumque numen,
Flumen, lumen eis ministrat, ore
Aemulo Ciceronis expedire

2 tolerare **Hung.** tollerare

Qui quid primitus adsolent negoti.
 10 Disertissime civitatis huius,
 Disertissime regionis huius
 Orator, mihi promptior. Sed aedeis
 Proximas tibi postules, peroro.
 Tu vicarius oris expediti,
 15 Tu prompte mediator expeditum,
 Curatumque velis dare ac relatum,
 Ut Lar propitius, boni et Penates
 Sint hac luce mihi: tibi supremam
 Fabri filius impetret struatque
 20 Domum, ille optimus omnium fabrorum.

622

Ornatis[simo] V[iro] Adamo Kunischio,
 Coll[egae] s[uo] Cass[oviae]

Multa puer (dixi tibi forsā, Adame) celebri
 De patriae audivi monte stupenda tuae.
 Ut, media Phoebō ipsa aestate tenente leonem,
 Is pariat vestro frigora dura solo.
 5 Ut, velut alter Atlas, se vertice tollat ad astra,
 Ut ferat aeternas sole calente niveis.
 Desuper ut volvens per saxa immania celso
 Vertice labentis eiaculetur aquas.
 Contineat multas bene dives piscibus undas,
 10 Praebeat et variis claustra domosque viris.
 Totque salutareis gignat mortalibus herbas,
 India quot campis vix genuisse potest.
 Haec ego mirandi celebranda creata parentis
 His oculis volui saepe videre meis.
 15 Sed bona ubi quaerenda occasio fertur ituris,
 Hactenus et fuerit commoda nulla mihi.
 Nec sinat hoc pubem mea sedula cura docendi,
 Non potui patriae mira videre tuae.
 20 Iam quia valde aestu canis Erigoneius urit,
 Ne noceat cerebro fervida flamma meo:
 Me tandem iuvenum multa comitante caterva,
 Suscipiam hoc (vertat quod bene Christus) iter.
 Ergo udet cursum ipse suum cum flectere Titan,
 Cumque erit Augusti reddita quinta dies:

19 Fabri filius — Matth. 13, 55

25 Iussa Scepusiacas rota me portabit ad oras,
Vespere Leutschovios forte subibo Lareis.
Si vacat officiumque sinit, mellite Kunischi,
Tu, precor, esto meus patria ad arva comes.

623

V[iro] Humaniss[imo] et Doctiss[imo],
D[omino] M[agistro] Michaeli Nanticovio,
Iglaviae Marcom[annorum] pietatem docenti

Vir clare et merito inter eruditos
Non vulgo at bene nobilis! Ioannis
Cuiusdam memor esne adhuc Bocati,
Quondam discipuli? Ille iam feroceis
5 Hunnorum colit, at coactus, oras.
Nam satam heic sibi coniugem puellam
Duxit egregii viri unicam, qua
Cum degit, teneram scholae iuventam
Docens litterulas pias et arteis.
10 Quid prive studeat, rogas? Poesin,
Sacra et Biblia, caeteris omissis.
Annos ante duos, cito aemulatus
Te quondam ac alios suos magistros,
Magistri titulum elegantiosem
15 Est in Leucorea urbe consecutus.
Nec non laurigeri tulit poetae
Nomen, quod meliore bella versu
Mota lunigero canat tyranno.
Et quem sors iterum brevi secunda,
20 Ast ultro, altius evehet. Phaleucis
His dicit tibi plurimam salutem,
Ac te suspicit, ardet et precatur,
Ut probe valeas, beatiora
Fortunamque vovet tibi tuisque.

624

Rev[erendis] et Doct[issimis] Viris
Friderico Usrai et Martino Belsio

Fulmen erat mensis hodierni concio mystae,
Et contra oppiparas tela fuere dapeis.
Attica si caperent bellaria quemlibet, ut me

Huic similis posthac concio nulla foret.
5 Ut tamen hoc verus fuco sine dicere credar,
Neu me aliquis Curios fingere posse putet:
Ad coenam te posco meam, Friderice, venito
In nidum, quintam cum dabit hora, meum.
Et quia fassuro testis non sufficit unus,
10 Heic etiam coenet Belsius ille meus.
Quae numerant plureis, quam tres, convivia damno,
Treis amo convivas, treis ut amo Charitas.

625

In Taurum

Est serpens aliis, ipsi sibi vipera Taurus,
Plectitur Oeteo bestia trux genio.

626

Academico

Non opus est, prodas verbis, academice, mores
Membrum academiae teque fuisse docent.
Quae perreptasti, fecere lycaea superbum
Te satis; an fastus hoc docuere sophi?

627

Sub descensum in profundissimas salinares fodinas, ad Deum

Celse, quod in Stygium, Deus, intro fune barathrum,
Quo tamen officium non iubet ire meum.
Scis, ausi quae sit ratio: coelumque solumque
Comples, teque suo ventreprehendit humus.
5 Quicquid alit tellus intra sua viscera et extra
Quod parit, omne manus fabrica mira tuae est.
Me rapiunt haec, alme pater: descendere felix
Ut possim, comites, mi bonus, adde tuos.
Ne fors allidam caput, angelus ille gubernet
10 Tortile, quod sollers restio fecit, opus.
Sospes in infernum si venero, sospes in altum
Me rota funigero traxerit orbe suo:
Nitar in aeternum versu tibi solvere grateis,
Praeco tuae laudis carmine semper ero.

628

Maximiliano Fabini, collegae meo

Tu quoque turgenteis, Maxaemiliane, corymbos
Matura tandem falce secare paras?
I, duce sed Bromio, tua qua se vinea guttis
Rumpit, et uberibus stat gravis uva suis.
5 Vite coronatas aperi mox vinitor ulmos,
Dent Baccho largos ebria prela lacus.
Musta fluant et labra rigent spumantia, donec
Fas implere mero millia vasa sinat.

629

In ianua mei musaei

Ianua synceris ego nunquam claudor amicis,
Bocatium quisquis non amat, esto foris.

630

Ornatiss[imo] et Doct[issimo] V[iro],
D[omino] Maxaemil[iano] Fabini

Haec lux sacra tibi, Fabine, fastis
Si non decipior, sed imbre fusca est.
Quid tum? Iuppiter hostibus serenus
Non est, nec rogo sit Getis superbis.
5 Tu clara faciem tuis Calendis.
Tu, Maxaemiliane, de Calendis,
His natalitiis tuis Calendis,
Bacchi munera, amiculosque tracta,
Saepe ut post remeent tuae Calendae.

631

Bubalo

Quum deceant mannos, quid ephippia, Bubale, poscis?
Bubalus es, porro Bubalus esse velis.

1 ephippia Hung. epiphia

Ex pennis noscuntur aves, ex pelle leones,
Ex habitu certus discitur ordo viri.

Ornatiss[imo] pietate et doctrina iuveni Dom[ino]
Antonio Than, Cassiano connotario

Cum secreta suae sciat urbis curia, si fas
Sciscitor, Antoni, tu mihi certa refer.
A milio vestrae facit urbi nomina vulgus,
Quod milium steterit, qua locus urbis agro.
5 Bonfinius, struxit quod moenia Cassius, infert:
Maior utri, quaero, dic, sit habenda fides.

Taure, aurum digito geris, ac si nobilis esses,
Ungula personae convenit atra tuae.

De carnifice praeceptorem suum Epperiessini
caedente ferulis. Ad amicum

Si quoque te capiunt nova (ut helluo quisque novorum est),
Audi, dulce tibi commemorabo recens.
Nuper in urbe isthac quaenam spectacula vidi,
Deiero, res oculis est ea visa meis.
5 Ecce domum ludo solito mihi nuper eunti
Carnifices veniunt obviam in urbe duo.
Ad portam propero pede transiliebat uterque,
Omnibus innumero plebe sequente locis.
Alter pube tenus nullo velamine cinctus,
10 Deinde manus ambas terga revinctus erat.
Alter ei scutica tergus pulsabat et armos,
Sanguineo humectans triste liquore cutem.
Pone sequebatur catulus, latratibus atque
Ludebat saltu gratulabundus hero.

5 Bonfinius infert — Bonf.: Rerum Ung. Dec. I, 1, 68

15 Respicit ille frequens: quid furcifer, inquit, an haec sunt
 Praemia doctrinae, pessime latro, meae?
 Scis captare caneis; scis guttura cannabe furum
 Frangere; scis humeris dividere ense caput.
 Me doctore scias, quod talia, pessime, nescis:
20 Caede, ut carnifici mox cruciere manu.
 Ille refert: immo dic, quaenam gratia maior
 Pro meritis reddi possit abunde tuis?
 Hem tibi concilio populos tot, ut aera capessas,
 Praeceptor gratis; gratia magna mea est.
25 Curre cito, has et primitias iam consule recti
 Atque boni, grati praemia discipuli.

636

Venerabili et Doctissimo Optimoque Viro,
D[omino] Ioanni Fabricio, Epper[iessini]

Audistine ululare canes hac nocte frequenteis,
 Horrida latratu bella movere suo?
 Ter male surrexi plateas ingressus, aperta
 Cernere num porta Turcus in urbe foret.
5 Hora sed exhibuit male trux cacodaemone spectrum,
 Visa est in medio foemina stare foro.
 O Fabrici, Fabrici! dirum hoc interpretor omen,
 Personam Martis mortis et ora pavent.

637

De eclipsi solari,
ad Mag[inificum] et Generosissimum Dominum,
D[ominum] Michaellem Katai etc.

Cur rursus adspicio pullis Phaëtonta quadrigis?
 Cur sol exstincta lampade fuscet humum?
 Fallor? an extremos sic circum operosa laboreis
 Fracta iacent, nequeant ut superare magis?
5 Omnia languescunt, sunt omnia segnia, tandem
 Exoptant requiem cuncta creata suam.
 Nonne haec illius sunt nuntia signa diei,
 Qua coeli atque soli machina tota ruet.
 Totius hoc poscit casuri aetatula mundi,
10 His desideriiis nocte dieque gemunt:
 Christe, veni, censoria lux te sistat ad urnam,

Iudice te capiat praemia quisque sua.
Interea luces e mundi lumina serves,
Hungaricas stellas Kataidumque domum.

638

De Tauro

Taurus ubique boat me non satis esse peritum
Carminis, hoc sed ego vel cane curo minus.
Tam brutum pecus est bos septimus ille, poetam
Ut credat nullum, triste nisi ipse boet.

639

Prud[entissimo] et Integer[rimo] V[iro],
D[omino] Ioanni Huttero, C[ivi] Epper[essino]

A pueris cecini versus fecique, momordit
Sed nemo nostros hactenus ore pedeis,
Gratulor, invidiae quod nunc obnoxia scribam
Carmina; livori nolo placere meo.
5 Care Huttere, mihi cur istud verminet aureis?
Parva capit Momus, carpere magna solet.

640

Viro et pictori opt[imo], Ludovico Amoro

Cur ego Germanus, patrio procul orbe relicto,
Hac tellure traham, quaeris, Amore, moram?
Plus patria doctis favet extera terra poetis,
Hinc peregrina etiam me capit ora magis.

641

De Tauro

Exanimatus homo est Taurus, nam tergoe vix non
A parvo nuper pulice morsus obit.
Bruchus ei glans est, quam trux bombardarda gubernat:
Fortem et philosophum se tamen esse boet.

642

Ad D[ominum] Michaellem Wirt,
Con[sulem] et Not[arium] Epperies[sini],
V[irum] prudentiss[imum] et consultiss[imum]

Scisne est? Benniadeis, Wirthi, properabis ad oras,
Qua tua laetatur mustea tota domus.
I, gravis Orion non sit, nec nupta procellis
Suscitet irriguos Pleias axe dies.
5 Neu procul amoto Phoebos glomerabile frigus
Per coeli tenuis fingat inane nives.
Carpe viam laetus, Bromio duce, prela racemis
Ebria calcatis musta diurna fluant.
10 Vasa refer millena domum, quae plena Falernis
Te iubeant cellas quaerere in urbe novas.

643

Liberalitas erga litteratos desperiit

Ars fuit in pretio, claris et vatibus olim
A magnis magnae saepe dabantur opes.
Ast hodie in doctos virtus exaruit illa,
Praemia quae meritis reddere larga solet.
5 Nil mirum, toto Mars impius orbe gubernat,
In cygnos aquilae praemia dura gerunt.

644

Ad Taurum

Et caligas novus es, vestitus et omnia pulcre
Membra, deest cristis res tamen una tuis.
Coerula pileolo duo cornua protinus adde,
Sic asinus fies, qui mihi Taurus eras.

645

Tauro

Taure, quid obscure blateras mihi carmina scribi,
Immo meos versus lucis habere nihil.
Nempe tibi quod opuscula sint obscura Bocati,
Ipse videt Phoebi, ridet et ipse rogus.

Ad famulum

I puer, inflamma sexcentas igne lucernas,
Bocatii Taurus scripta videre cupit.

Versus quales accepti

Scribe iocos, risus! nebuloneis assere metris,
Laurigeri vatis nomine dignus eris.
Carmina, lectori quae non sunt grata, Minervam
Ut sapiant, vulgo nil nisi crimen habent.

*

Philippo de Lacurt, ubi cum eo inscius de ciconia comedissem — v. 91.

*

Tauro

Quod mea mature nimis edam carmina vates,
Arguis et velles lentius ire pedeis.
Te tardum fas ire bovem, generosa volantis
Ocyus egregii crura moventur equi.

*

Dictum D[ivi] Augustini: Melius est toto die fodere, quam saltare die sabbathi
— v. 95.

*

Cur ebrii saltare soleant — v. 96.

*

Ex Cicerone — v. 97.

*

Odium et amor vini — v. 106.

*

De pluvia Medardi die decidente — v. 124.

*

Ad convivas suos — v. 174.

*

Plenus venter non orat libenter — v. 164.

*

Tollite fragmenta — v. 167.

*

**Opt[imo] et Integ[errimo] V[iro] D[omino] Ioanni Vigando, pharm[acopolae]
Cassovien[si] — v. 140.**

*

**Egr[egio] et Cordato V[iro] D[omino] Caspari Dür, Fileciensi provisorio — v.
141.**

*

Ieiunia monachorum — v. 161.

*

Podagra — v. 162.

*

Sine Cerere et Baccho friget Venus — v. 151.

*

Sitio — v. 152.

*

Agnus Dei — v. 156.

*

Coena Domini — v. 157.

*

Cavete ne corda vestra graventur cibo et potu — v. 153.

*

Esurivi et non dedistis mihi cibum — v. 154.

*

Sitivi et non dedistis mihi potum — v. 155.

*

Ieiunium Christi — v. 158.

*

Pomum ab Eva decerptum — v. 159.

*

649

Mecoenati

Iste tuus, salvum qui me portavit in urbem,
Opto, diu salvum te quoque portet herum.
Officium agnosco, Mecoenas, saecla supersis,
Tempus erit, grateis experiare meas.
5 Ast si sessor ero donati, laude perennem
Te meus alta super Pegasus astra feret.

560

Gen[eroso] et Egr[egio] V[iro],
D[omino] Stepha[no] Ormandi, compatri suo

Risi, cum nuper coniux tua diceret, esse
 Ascanium vestrum, vir generose, malum.
 Nil nocet, improbitas infans melioris alumna
 Est genii, et bonitas inde futura patet.
 5 In pullis simile est id equorum: quippe caballus
 Optimus ille vir est, qui puer ante malus.
 Nos natura malos omnes produxit, at arte
 Reddimur ingenua, si qua magistra, boni.

Provincia scholastica.
 Ad ornatiss[imum] piet[ate], virt[ute] et erud[itio]ne]
 Davidem Guttgesel f[ilium]

Prisca viros quondam, pistrino et carcere dignos,
 Sueverat ad Gyros mittere Roma brevis.
 Iam miserae Aonides, innoxia, criminis expers
 Plebs brevibus Gyaris cogitur esse nocens.
 5 Quaeris, ubi Gyari? qua pulverulenta scholarum
 Agmina rectori sunt onerosa suo.
 Ah, loquar expertus: pistrino et carcere longe
 Durius est miseris scepra tenere scholis.
 Tam perversa hodie, tam natio prava magistris
 10 Creditur, artifici more regenda bonis.
 Hei, quoties, praestat, lacrumis queror, esse subulcum,
 Quam pueros adeo iam docuisse malos.
 Nec tamen hoc primum est, quum feceris omnia servi
 More, datur libris gratia nulla tuis.
 15 Nil capit ingenium? tua culpa est. Verbere poscis?
 Carnificeis, pudor est, doctum habuisse manus.
 Asperitas odium parit, indulgentia crimen:
 Hoc pretium nostri cura laboris habet.
 Cur igitur bone, cur socie, o Guttgesellia proles,
 20 Hoc in pistrinum promptior ire velis?
 Si quicquam experto, ceu par est, credis amico:
 Res tibi cum Gyaris carcer et acer erit.
 Praedico, sed non remoror; qua postulat alti

Rector, eo cunctos promptius ire decet.
 25 Ante regebat oveis dux legifer. Ito, proberis
 Principio in parvis, maior ut esse queas.
 Illa tuas quondam sese vox sparget in aureis:
 Euge serve bone, et serve fidelis ades.
 Parva tibi utiliter sunt credita, magna capesse:
 30 Traditur imperio maxima sparta tuo.

652

Mores nostri seculi.

Elegia ad Reverendum et Doctissimum Virum,
 Dom[inum] Franciscum Vedanium,
 Hung[aricae] Eccl[esiae] Cassoviae Episcopum
 digniss[imum] et vigilantiss[imum]

Vedani, praestans os Christi, clare sacerdos,
 De mundo immundo pauca, sed apta querar.
 Ah, quid iam terra est? stabulum et sentina malorum.
 Hei, qua nunc pietas, qua regione fides?
 5 Quaenam urbs, arx, pagus; quaenam respublica; quinam
 Angulus in mundo curat amatque Deum?
 Mentior; immo Deum quis non bene curat amatque?
 Si modo sic arcae consulat ante suae.
 Commoda sunt: quaevis gens relligiosa, facessunt;
 10 Rursum ea sacra placent, quae magis aera ferunt.
 Dat Calvinus opes: turba est Calvina. Lutherus:
 Esse Lutheranum se cito quisque probat.
 Dat reditus: iam Pontificis vel stercora linget,
 Pronus adorabit, quas dat Avernus, opes.
 15 Hinc monachus, miles, mercator, stellio, nequam:
 Hinc est sedulitas, hinc ruit omnis amor.
 Interea fas omne tacet, qua maxima vis est,
 Maximus heic iuris, maximus artis honos.
 Desita ubique iacet virtus, pro crimine quivis
 20 Certat, et in toto quaeritur orbe scelus.
 Curat nemo probos, amplissima munera pravis
 Dantur: honestatem praemia nulla manent.
 Suspiciuntur opes tantum, et miracula nummi
 Sunt, et in argento gloria cuique suo est.

28 Euge serve — Matth. 25, 21; 25, 23; Luc. 19, 17

3 sentina malorum — Paling. V, 589

25 Dives es et nebulo quamvis: vir optimus audis;
 Pauper at ipse Cato: pessimus orbe latro.
 Candor ubi? periit; mos, os mentitur amorem;
 Cor odium celat, pectora fraude scatent.
 Quis nunc Eurialus? quis Achates? Thesea praestat
 30 Omnis, ubi dulce est, mox, ubi triste, fugit.
 Sed quid inexploto cano talia carmina, quum nil
 Proficiam? querulos do sine fruge sonos.
 Cur scelus ad sceleris simul haud migro ipse catervas?
 Cumque meis nolo cur ululare lupis?
 35 Morem imitari hominum fas est, dum vivitur inter
 Vita homineis; Troiae Tros ero, Troes ibi.
 Vult ita commoditas mea, vult ita dulce lucellum:
 Scilicet hac una, quod sumus, arte sumus.
 Paupertas odium sequitur, quod amabile, ditat:
 40 Arruit hic multis absque labore favor.
 Ara vale modice, iuveni licet esse scelesto:
 Decrepitos phanis condecet esse seneis.
 Impius haud moriar tamen, index funeris aetas,
 Quando onerant morbi, grandior esse solet.
 45 Tunc ego plorabo commissa piacula, Christus
 Molliter ad sese crimina cuncta vocat.
 Maior peccatis est coelica gratia nostris:
 Indulget veniam, si resipisco, Deus.
 Docte, per humanos satis explore laboreis,
 50 Quid me, Vedani, tu tamen ante doces?
 An tecum facere? an me in mores vertere saeculi
 Huius aves? rebus consule, quaeso, meis.

653

V[iro] Nobil[i] et Doctiss[imo],
 D[omino] Ioanni Zalwein,
 Secr[etarius] Caes[areus] in Camera Novosol[iensi]

Qui secreta tenes, Zalweini, caesaris intra
 Me secreta tuae mittis amicitiae.
 Ianua mi Francus, clavisque Peregius, ipsa
 In cameram hanc virtus me tua nota rapit.
 5 Optime vir, nostras ne fors prodamus Amyclas,
 Pastomis est ori dura parata meo.

tit. Secr Hung. Sacr

654 Rever[endo] et Doctiss[imo] V[iro], Theologo disertissimo,
D[omino] M[agistro] Paulo Halvepappio,
Episcopo Novosol[iensi]

O Halvepappi, splendor apostolum!
Argenteos quae caesar et aureos
Haurit Rudolphus porro rivos
Oppida monte, ubi plurima Hunnus

5 Subterfodit; vir mystice! scitior
Quod sis futuri, numinis enthea
Vi percitus, sensu trienni
Volvo revolve. Meres vocari

Et tu propheta, interpretum adorea.
10 Ah verius vero heic quoniam accidit
Scripto explicatum sidus illud,
Insolita quod ab axis aethra

Tot prava devolvit penetissime.
Ut vix boni sperare quid audeam,
15 Qua Pannonis terras oberrat
Has male Tartarus (heu) tyranno

Cum Thrace. Regno huic abstulit Agriam,
Ah, unicam arcem, ah, unicum asylulon.
Iam, ceu lupus transcensi ovilis
20 Compos, ubique vorat bidenteis.

His lucibus trux contigit alite
Oras equo Cassovia pauculum
Qua militem servat, nec ausa est
Eripere illius ore captos.

25 O fallar! actum scilicet omnibus
Iam Marte de nobis minus anxio.
O Halvepappi, quin precamur
Nos Domini manus ipsa tollat.

LIBER HUNGARIDOS QUINTUS SEPULCRALIA COMPLEXUS

Lector Benevole! [a]

- 1 En habes, quae de maxima parte rogatus feci. Sed et iuxta sint haec monumenta nostra,

Tendimus huc omnes,

et tu mecum. Convoca Croesos, Iros: illi purpura, hi repant in cannabe; heic desinent. Veni curvus, veni rectus: haec est domus ultima, in qua tu serius, tu citius traheris. Hodie mihi, cras tibi; quare

Memento mori.

- 2 Certius est quam mors, quam mors incertius est nil. Nec metue. Recte quispiam: Ut vivamus, vivere desinimus. Idne times, quod a timore liberat? Sapiens es: quid falcem illam horres? Cupressus insigne Leti, quid tum? Laurus erit, marcida nunquam. Age matura. Vides qui, quanti iaceant! Maneis et virtutem illorum cum accentu funesto vespillones hi mei sepulcris excipiunt, ego naenias addo.
- 3 Solor solis alumnos, denatos ut homines fuisse sciant: magnus hoc aevi faciat imperator, quo iubente vivimus, morimur. Aggemant, suadeo; nec tamen luctus perpetuent. Solum hoc ἀφουκτὸν κακὸν, si κακὸν et non potius κακῶν terminus. Senex iacet: merito. Iuvenis: Dilectus diis in iuventute moritur, ut Menandro videtur.
- 4 Porro quia statim a morte plurimorum evanescit memoria, et

Θανόντος ἀνδρὸς πᾶσ' ὄλυτ' ἀνθρώπων χάρις
(Defuncto quoniam omnis hominum gratia perit),

vita functos beneficiis prosequor, memor Chilonoani verbi: Defunctum non maledictis afficias, sed beatum praedices. Addo simul, quae circa valetudinem,

1 Tendimus huc — Ov. Cons. ad Liv. 359; Met. X, 34 / haec est domus ultima — Ov. Met. X, 34 / Hodie mihi — Eccli. 38, 23 / Memento mori — symbolum fratrum eremitarum Ordinis S. Pauli primi eremitaе (v. TÓTH B.: 15)

2 Certius est quam mors — Bernard.: Meditationes III, 4

3 Dilectus diis — Menand. frag. 111; Plaut. Bacch. 772—773

4 Defunctum non — Chil. (v. Stobaeus III, 1, 173)

quam tibi tuisque, mihi meisque voveo laetam, latam. Ergo perge, perge, non te poenitebit,

Lector Benevole.

76

Sed tu, livor edax, odio licet ilia rumpas,
Carpere vel noli nostra, vel ede tua.

655

In obitum Nobilis et Egregii Viri,
Domini Ioannis Seldneri, civis primarii Epperiani, 1593

Mors aucepsque feri communia iura tuentur,
Et subit alternas ille vel illa vices.
Rete stat innocuis, at inevitabile sero
Sontibus, et canos iam bene condit humus.
5 Saepe tulit posita viscatas arbore virgas
Daulias Ismarium dum gemit ales Ityn.
Praemia cum dulcis cantat modulaminis escas
Implicitos volucris fert galeata pedes.
10 Retia non upupas onerant picasve loquaceis,
Trux lacerat tutas vultur aduncus aves.
Saepe suos corvus mutat per secula nidos,
Et numerat cornix garrula saepe novem.
Ille quod est avibus, nobis hoc improba mors est,
Quae capienda fuit, quae fugienda capit.
15 Atra dies hominum quaevis rapit optima primo,
Inque bonos citius Parca scelestas furit.
Coeca tamen Stygias quos mittere posset ad undas,
Hic tot palpones, tot Corydonas habet.
Moenibus, hoc mecum, lugens urbs cincta duobus,
20 Hungara, cui nomen fraga dedere, dolet.
Ibo per exemplum: nuper laniata capillos
Squalida luctifico tota dolore fuit.
Sexta dies aderat Iulii post caesaris ortus,
Tunc ubi sol flavas Martis adurit opes.
25 Ludere nec solita vidi testudine Phoebum,
Veste nec ornatas versicolore deas.
Omnia noctis erant: niger ipse praeibat Apollo
Veste novem comptas nigricolore deas.
Heu mihi quot gemitus, quot ego suspiria vidi,

6 Daulias Ismarium — Ov. Her. XV, 154

30 Vox eadem lacrymis et dolor unus erat.
 Ah rapuere virum Parcae, quo scilicet uno
 Secula nemo magis vivere dignus erat.
 Nempe iacet, iacet, ecce iacet Seldnerus in urna,
 Seldnerus patriae flosque decusque suae.
 35 Ornatus, pollens, sanctus, mansuetus, abundans
 Moribus, auxilio, numine, corde, bonis.
 Praeluxit, iuivit, subiit, vicit, saturavit,
 Omnibus, oppressos, templa, inimicum, inopes.
 Cui pietas fuit alma comes, cui regula vitae
 40 Iuncta salutifera cum probitate fides.
 Vidimus hortator cum verba precantia fudit,
 Seu fuit ante epulas, sive remota fames.
 Sicque suis: rerum iam pars operosa mearum,
 Cum tibi commissas res agis, adde preces.
 45 Ardua dulcescunt quaevis orando frequenter,
 Et vix sentitur sub pietate labor.
 Aemula res vulgus mores a iudice sumunt,
 Et velut e speculo fasque nefasque vident.
 Quem genuit viridi natum melioribus aeo
 50 Imbuit, et Musis noluit esse rudem.
 Qui, quod amat doctas agnovit et ipse Camoenas,
 Virtutesque bonas, a genitore venit.
 Non exempla suis desunt conformia vitae
 Patris, erit natus, quod fuit ipse pater.
 55 Sobrius auroram vidit solemque cadentem,
 Grande nefas solitus dicere saepe gulam.
 Non erat, ut multi, congesto pauper in auro,
 Divitiasque suas noluit esse suas.
 Aera, cibos, ovium lanas et tergora largus
 60 Contulit in miseros, qui stipis aera petunt.
 Quid iuvat haec pietas? quid sobria vita? quid ingens
 In miseros largi more parentis amor?
 Nempe iaces, Seldnere iaces prostratus in urna:
 Nempe iaces patriae flosque decusque tuae.
 65 At quoniam fato iam primos tendis ad ortus,
 Et cinis in cinerem mox solvendus abis.
 Ito senex, animam non aegre reddere Christo,
 Quod facis, et vivus saepe precatus eras.
 Quem dederas vitae cursum, iam, Christe, peregi:
 70 Hanc, precor, hanc animam suscipe, Christe, meam.
 Sit mihi dulce mori, nec enim valde horreo mortem:

Est mea namque tua morte redempta salus.
 Lucra mihi, non damna feret mors, mortis imago
 Sum: volo, cum mortis me volet hora, mori.
 75 Vota Deum tetigere, tuos mors clausit ocellos,
 En ad humum veteris isque redisque vias.
 I: tua sub tumulo feliciter ossa quiescant,
 Spiritus Elysia valle beatus ovat.
 Nos dabimus busto violas et sarta quotannis,
 80 Albaque candidulis lilia iuncta rosis.
 Namque prius tellus haec nesciat Hungara montes
 Et iuga muneribus consita, Bacche, tuis,
 Quam sit Seldneri quoque fama sepulta Ioannis,
 Nec sint virtuti praemia certa suae.
 85 Sic populus Musaeque novem cum praeside Phoebos,
 Magne vir, interitu congemuere tuo.
 Ast haec me lacrumans cito condere ductor Apollo
 Iussit, et hos elegos ad tua saxa dedit.

656

Epitaphium

Seldneri recubant heic ossa sepulta Ioannis,
 Qui quodcumque fuit, cum pietate fuit.
 Cultor, rex, miles coluit, rexit, superavit,
 Christum, animum, Satanam corde, timore, fide.
 5 Cuncta, malum, socios tulit, horruit, aedificavit:
 Vana, Deum, requiem sprexit, amavit, habet.

657

Epitaphium Gen[erosi] et Egregii Do[mini] Ioannis Caroli alias Gotsit et duorum eiusdem filiorum Stephani et Francisci

Ecce sub hoc uno, post ultima fata, sepulcro
 Carolidum placide corpora trina iacent.
 Cum genitore duo nati: virtutibus orbem
 Hungariae implerunt, urna sat una tribus.
 5 Iane pater, Stephane et Francisce, o nobile fratrum
 Par, vos olim iterum suscitet alma trias.

72 redempta Hung. redemta

73 mortis imago — Ier. 2, 6

5—6 nobile fratrum Par — Hor. Sat. II, 3, 243

568

Ultimum vale Ursulae Edenphianae,
Mag[nificae] et Generosiss[imae] Matronae etc.

Cur me defletis, pia dulcis pignora lecti,
Hac ego quod genetrix Ursula condor humo?
Fructus ero! nam me cum semine semen Aprilis
Dum recipit, messis tempore fructus ero.
5 Heic generosa quidem coniux de coniuge foetus
Bis quater ipsa dedi, bis quater ipsa tuli.
Triginta et bis sex quum viderim in ordine messeis,
Non potui messem, Christe, videre tuam.
Bis triginta, ast sex sine, messibus usa, sepulcro
10 Sum semen messi iam quoque, Christe, tuae.
Christe, etiam haec aperi monumenta ubi summus Aprilis
Venerit, ut granum sim quoque, Christe, tuum.

659 Epicedion Gener[oso] et Egregio Nobilissimoque Domino
Alberto Soos

Dulce quidem decus est proavito semine cretum
Esse, at avos maior laus decorasse suos.
Id Soos Albertus: sex uxor foeta Simone
Miczban; qua Bela rex, dat semel una mareis.
5 Ultimus hinc Stephanus, tandem hinc Albertus, at armis
Ob patriam pius et fortis uterque iacet.

Ad Maximilianum Fabini, collegam meum

Ergo non sat erat iacere solum,
Te, Maxaemiliane? meque iuxta
Iis sors lauticiis simul beavit,
Ut nollem licet, otium diebus
5 His lecto traherem canis molesti.
Hoc est scilicet aureum piorum
Saeclum: haec commoda Christianitatis.
Hae sunt divitiae bonorum et hae sunt
Nostrae delitiae. Dei propinat
10 Ex scypho suboles suo, beate
Heic qui vivere gestiunt: bibendum est
Nectar tale, sed ebibant priusquam,

Ut ringuntur et ore, nare, contra
 Ut certant, caro debilis repugnat,
 15 Quum se spiritus offerat paratum.
 Et ne quid taceam miser, fatebor,
 Cum Petro reor: ibo vel moriri.
 Sed cum mors oculos meos stat ante,
 Mox Christum abnego, mox prius retracto.
 20 Mox turpem palinodiam recanto.
 Tu quei sis animatus his in arctis,
 Fors ignoro, Fabine, sed rogemus,
 Ut posthac Dominus salutis et fons
 Omnis prosperitatis aestuanteis
 25 A nobis abigat febres ad Indos.
 Audi vota Deus: tamen voluntas
 Quod censet tua, id optimum arbitramur.
 Pars modo tibi destinata simus.
 Sed tua, qua potes, invalens, Fabina,
 30 Ne sis, fac vales probe deinceps.
 Quamvis a Iove sint, Homerus olim
 Ut vates cecinit, malum omne Hygeiae,
 Morborum varie graves labores.

661

Ἐπιτάφιον filiis Georgii Ragaceni,
 concio[natoris] Scl[avorum] Epper[iensis]

Aspice, qui transis, Ragaceni busta Georgi,
 Hac qui conspicuus pastor in aede docet.
 Ista parens carae vivus monumenta parenti
 Et natis septem dedicat ipse suis.
 5 Quinque mareis, binas forma praestante puellas
 Hac moestus sacra contumulavit humo.
 Alme parens rerum, moestum solare parentem,
 Fac videat rursus teque tuosque polo.

17 Cum Petro reor — Matth. 26, 35; Marc. 14, 31; Luc. 22, 33
 31 a Iove sint — Hom. Od. IV, 236

662

Ad V[irum] Pru[dentem] et Circumsp[ectum],
D[ominum] Antonium Scholcium, Co[nsulem] Epper[iensem]
de suae coniugis obitu

O felix, quicumque dati pervenit ad aevi
Terminum, et hoc misero tempore morte cadit.
Non is inhumanos rursum pavet anxius hosteis,
Non qui missilibus bella cruenta gerunt.
5 Ah vereor, victis Geta trux dominabitur Hunnis,
Ah nos servitio, pessime Turca, premes.
Nec diis nunc aequis, nec viribus arma movemus,
Heus sors haec Thracas sentiet aegra manus.
O coniux igitur felix carissima, Scholci,
10 O felix coniux est tua facta nimis!
Ecce iacet placide tantis erepta periclis,
O felix coniux est tua facta nimis!
Hanc illi non invidias, moestissima, sortem,
Quam sibi vir prudens quisque vovere queat.
15 Tempus erit, tantis etiam eripiente periclis
Coniuge cum coniux tu quoque rursus ages.
Tu tamen hoc serus, fatis melioribus, aevum
Desere, et in superas Nestor abito domos.
Hoc velit oratrix, nostrae spes unica vitae,
20 Ipsa Dei suboles, quae regit omne, precor.

663

In vexillo Gener[osi] et Egregii D[omini] Andreae Pacolti,
sepulchrali

Hoc fuit Andreae generosum insigne Pacolti,
Hac iam defunctus qui requiescit humo.
Aeger is in patriam dux venit ab arce Fileci,
Vir pius atque domi militiaeque gravis.
5 Treis Mariae liquit natos post fata Balassae,
Unus denato vix patre natus erat.

664 Epitaphium filiis duobus Domini Stephani Golopi,
 c[ivis] Cass[oviensis], v[iri] optimi

 Ursula cum Stephano Golopi posuere parentes,
 Filiolis binis haec monumenta suis.
 Hic Stephani aureolum sortitus nomen in aede
 Salvifica, ex ista luce triennis obit.
5 Ille Ioannis habens nomen vix transiit annum,
 Felix, qui Martis tempore morte cadit.

665 In vexillo funereo Generosi et Egregii Fortissimique Viri,
 D[omini] Ioannis Monaki etc.

 Heic Monaki herois requiescunt ossa Ioannis,
 Belliger et praeses Fillaciensis erat.
 Quem Turcus nequii vel vincere Tartarus, illum
 Sola truci potuit sternere Parca manu.
5 Is coniux genuit treis trina coniuge natos,
 Quos iterum ut videat, faxit amica trias.

666 Reverendo, Doctiss[imo] et Cordatissimo Theologo
 et Opt[imo] Viro,
 D[omino] Ioanni Fabricio, Epperiess[ensi] etc.

 Tuque iaces, qui me visebas, Iane, iacentem?
 Teque valetudo vexat amica minus?
 Aspera sic hodie mihi, cras tibi, iussa tonantis
 Expedienda, licet te meruisse negem.
5 Quid faceres? quodcunque iubet rex ille, ferendum est,
 Et scis, qua miseri conditione sumus.
 Cum granis paleae veluti nascuntur in agris,
 Alba caret spinis ut rosa nulla suis:
 Sic mala se nostris immiscent plurima cunis,
10 Et remanent, donec rursus ineamus humum.
 Fer placide, quaecunque nequis mutare, peribunt,
 Ut nubes, aequa si mala mente feras.
 Qui sis, te nosti! scis, quae sint scita professis

3 hodie mihi — Eccli. 38, 23

Christum, et quae maneat sors super orbe pios.
 15 Tune frui velles, quo nec tuus ille redemptor?
 Quae dominus tolerat, servum ea ferre decet.
 Inserere te numero gregis illius, orbe magister
 Quem suus hoc duram vult superare crucem.
 20 Scilicet haec nostrae sunt instrumenta salutis,
 Crux nobis quantas certa ministrat opeis?
 Laetis atque piis, discordia magna duobus
 His est, aequa nimis sors sinit esse probos?
 Tu tamen haud dubites, post haec meliora sequentur,
 Heic etiam pietas praemia ferre solet.
 25 Sed persta: decus est et laus non cedere duris,
 Plus animi sacro debet inesse viro.
 Nil pia mens trepidat, dubiis patientia rebus
 Crescit, et in moestis pascitur alma fides.
 Tempus erit, nostri quo cessent semina morbi,
 30 Nullus in infirmo corpore naevus erit.
 His sed ego volucreis quid Athenas mitto Minervae?
 Quum teneas ungueis haec velut ipse tuos.
 Vota tamen faciam pro te: pia vota precesque
 Nae praesens omnis sunt medicina mali.

667 In sepulchro Egregii, Nobiliss[imi] et Fortissimi Herois
 ac Domini Alberti Kiraly etc.

Haec loca qui transis, consiste parumper, amice,
 Mortua ubi Alberti Kiralide ossa iacent.
 Sex et viginti, princeps, tibi serviit annis,
 Transylvane, animis, ense fideque potens.
 5 Huic sua terga duci Sinan dedit, hicce Braillam
 Cepit, erat praestans, Agria clade tua.

668 In vexillo eiusdem sepulchrali

Stirpe satum ex humili quem vexit ad ardua virtus,
 Hoc sunt Alberti Kiralide ossa loco.
 Bis denos et sex annos qui serviit aulae
 Septem castrorum, duxque per arma fuit.

31 volucreis mitto — Cic. Epist. ad fam. 6, 3, 4

5 Quem Sinan extimuit venientem, et qui alta Brailae
 Moenia vicit, atrox et tibi, Turca, fuit.
 Captam ubi sunt Agriam propter fera proelia gesta,
 O quanta Hungariae heic fama salusque iacet.

*

Aegrotanti ob immodicam ingurgitationem — v. 142.

*

Invido mihi mortem voventi — v. 143.

*

Epicedion mortuo, ob immodicum vitae aquae usum — v. 131.

*

In vitro-phagum Cracoviae suffocatum — v. 114.

*

Seni vix ducta puella mortuo — v. 147.

*

Gen[eroso] et Egr[egio] V[iro], D[omino] Lazaro Hoffman[no], Caes[areo]
Epperiessini Trices[imatori] defuncto — v. 175.

*

669

Votum pro valetudine recuperanda
Illustris et Magnifici Domini,
Dom[ini] Simonis pat[ris] et Dom[ini] Michaelis f[ilii]
Forgacz, L[iberorum] B[aronum] de Gyms etc.

Christe, redemptoris merito qui nomine gaudes,
Christe salutaris fons et origo boni.
Christe, decus medicum, florum herbarumque repertor,
Christe, potens rerum conditor, alme Deus.

5 Bina quod aegrotent illustria corpora, nostri
 Prima soli laus et gloria tota, vides.
 Iste senex equidem, sed quem terra invidet alto
 Nostra polo, et divum serius esse cupit.
 Huic tenero vernant anni sub flore iuventae,
 10 Iam sit ut Aoniis notus in orbe viris.
 Si non arte suam curaret uterque salutem,
 Ah patriae certam quam bene ferret opem.
 Consiliis aliter nunc his prodesset in oris,
 Infera qua rursus Thrax agit arma Getes.
 15 Pro patria rutilus alter se ferret in armis,
 Aere gravis Turcas praecipitaret equis.
 Sed neutri licet ire domo, fõris esse iuventam
 Praecipue aureolam vult latitare salus.
 Hi duo se medicis dum credunt rite duobus,
 20 Christe, fave medicis pharmaca certa cibis.
 Unum dic verbum, subito quae morbida cedent,
 Pendet ab arbitrio vitaque morsque tuo.
 Tu coecis oculos, tu claudis crura ministras
 Integra, defunctis vivida membra viris.
 25 His quoque per medicos fac sana Baronibus aegris
 Corpora, fac prosper vivat uterque diu.
 Porro tibi sospes sit uterque, sit obsitus annis
 Pluribus, et laudeis curet uterque tuas.
 Huius ego bonitatis ero non immemor unquam,
 30 Ipse tibi grateis, maxime Christe, canam.
 Ipse tuum preco nomen celebrabo perennis,
 Pro fautore tibi duplice gratus ero.
 Tu mihi semper eris Deus ille, potentibus aegros
 Herbis aut verbis qui relevare potest.

670

Bubalo

Regnat ubique lues taurina et bubula pestis,
 Bubale, cum sociis fors moriere tuis.

Funeri Prud[entis] et Opt[imi] Viri,
D[omini] Petri Staino, Co[nsulis] Saarossini

Lex quia dicta semel: moriere, per ora monarchae
Aetherei, cunctos nos ea fata manent.
Trux regesque gregeisque rapit Libitina, quot orbis
Cunque gerit, parvus magnus et ordo cadit.
5 Nil ars, nil pretium, nil gloria commovet illam,
Quae surda nostras respuit aure preceis.
Tullius et praestans ubi Iulius? occidit: atram
Expertus misere caesus uterque deam.
Non heic invictus caesar, qui clara Quiritum,
10 Quive Tomitarum barbara sceptrata gerit.
Mixta iacent tellure sua cum fasce ligones,
Quod Petre, care Deo, tu quoque Staino probas.
Consul eras, ac tota tuo pendebat ab ore
Turba Sarossinae gentis, at ecce iaces.
15 Facundus, prudens augebas publica privis
Plus rebus, patriae fautor, at ecce iaces.
Sed quoniam Omnipotens hac tempestate malorum
Ex his te terris sumpsit ad astra poli:
Utere morte tua, pro funere foenus habebis,
20 Civis in aetherea nunc eris arce novus.
Nos Martis mortisque solum formidine terret,
Dum superi, tecum nos etiam esse, velint.
Ast iam Stainiaden gener optimus, optimus haeres,
Mollerus prolem curet ametque suum.

Epitaphium

Vir gravis et meritis bene de patria optimus, urna
Staino Petris iacet hac corpore, coelo anima es*

*

In obitum Illustris, Spectabilis et Magnifici Herois ac Domini, D[omini]
Simonis Forgacz, L[iberi] Baronis de Gyemes etc. — v. 284.

*

8 deam Hung. Deum

Ad filios eiusdem — v. 283.

*

Ad Reverendissimum et Magnificum Dominum, D[ominum] Franciscum Forgacium, Episc[opum] Nitr[ianum], L[iberum] B[aronem] de Gyms etc. — v. 285.

*

Magnifico et Generoso Heroi ac Domino, D[omino] Sigismundo Forgacz, Lib[ero] Bar[oni] de Gyms etc. — v. 286.

*

Ad Magnificum, Fortissimum Doctissimumque Dominum, D[ominum] Michaellem Forgacz, Lib[erum] Bar[onem] de Gyms etc. — v. 287.

*

Magnifico et Generosissimo Domino, D[omino] Ioanni Forgacz, Lib[ero] Bar[oni] de Gyms etc. — v. 288.

*

Ad Generosum, Egregium eruditioneque Nobilissimum D[ominum] Christophor[um] Darholtz de Fyntha etc. Mecoenatem suum, de obitu Mag[nifici] Dom[ini] Sim[onis] Forgacii etc. — v. 289.

*

Ad incolas civitatum Hungaricarum, ut patroni sui, D[omini] Simonis Forgacz, mortem defleant — v. 290.

*

In vexillo — v. 291.

*

Aliud ibidem — v. 292.

*

*

673 Ad Christum pro Rever[endo] et Doct[issimo] V[iro],
D[omino] Ezechiele Hebsacero, P[astore] Epper[iessino],
cum se curationi crederet
Excell[enti] et Clariss[imo] Med[ico],
Dom[ino] Georgio Fabuschi, Med[icinae] Doct[ori]

Convenere duo medici, quorum haud tamen una est
Conditio, ast decus est huius et huius idem.
Iste animas curare solet, sed corpus hic; ambo
Dant miseris medica pharmaca certa manu.
5 Ille salutareis in templo porrigit escas,
Hic levat in variis corpora fracta locis.
Alter ut est verbis, sic herbis alter in arte
Poeonia clarus, curat uterque suos.
Aegrotos prohibent, ne forte Charontis in urna
10 Ad Stygias rapti triste vehantur aquas.
Restituunt vitam lassasque in pristina vireis:
Consilium praesens auxiliumque ferunt.
Sed quoniam gnarus manaleis pellere morbos,
Corpore languorem et morbida fata gerit.
15 Corporis atque animae medicinae, o Christe, repertor,
Alter ut alterius, da, modo vivat ope.
Tu coecis oculus, pes claudis, vita necatis,
Aegrotis sanum corpus es: ergo fave.
Sic Hebsacceri verbis herbisque Fabuschi
20 Flos ecclesiolae crescet in orbe tuae.
Mutua et amborum sic ars te, vere Machaon,
Laude super terras et super astra vehet.

674 Ad monumentum Nobiliss[imi], Ampliss[imi] et Doctissimi Viri
D[omini] Ioannis Belsii, c[ivis] Epper[iessini],
soceri mei cariss[imi]

Sta, transis quicumque: quis hac sit, noveris, urna,
Belsius heic recubat, Bocatii ille socer.

Ore uno linguas tenuit septem: Hungarus, Auson,
Hebraeus, Graecus, Sarmata, Teuto, Getes.
5 Trinus eum varias caesar legavit in oras:
Bizanti longas traxit in urbe moras.
Hoc monumentum illi statuit gener, optat et ille,
Cum socero Elysia possit ut arce frui.

675 Amici, Bocatiano tumulo, si meretur, hoc superaddite!

Bocatii recubant heic ossa sepulta Ioannis,
Cui studium pietas atque poesis erant.

676 Epicedion Doctissimo Viro et Theologo Disertissimo,
M[agistro] Samueli Sautero, Wirtembergico, affini meo

Ah, heic Eloquium iacet ipsum, Suada vel ipsa,
Vel si quid Suada Suadius esse potest.
Quis, quaeris? Christi Sauterus ovilis et aedis
Rex huius, nullo more vel ore minor.
5 O post vix habitura parem res-publica multis
Anxia Sauterum prosequere hunc lacrumis.

677 Dolor epitaphicus Alexandri Darhol[cii]
μικροβίου

Sic rosa, sic violae, sic lilia candida lappas
Ante cadunt, infans ceu bonus hic cecidit.
Sed rosa, sed violae, sed lilia mortua prosunt:
Noxia post lappas spina manere solet.
5 Pumile! care, tener, mi pusio blandule, natum
Te iuvat? ablatum nec tamen esse nocet.
Me genitor tuus usque suum quia compater ardet,
Dum rosa, dum violae, lilia dum redeunt.

678 Ecce viator

Maior Alexandro iacet heicce Darholtzius infans:
Cur? illo infantes plus moriendo gerunt.

Maximus in regno coelorum est, quisquis in orbe
Seu pueri instar abit, seu pueri instar obit.

679 Funeri Spectabilis, Magnifici et Generosissimi Domini,
D[omini] Stephani Drugeth,
Lib[eri] Bar[onis] de Homonna etc.

Flebilis Hungaricas nuper matrona per oras
Seque genusque suum plangere visa fuit.
Quae sibi rumpebat teneros de fronte capillos,
Cuius et in facie nil nisi squallor erat.
5 Pullus et ex lana sat simplice pauper amictus,
Syrmate pulveream fine trahebat humum.
Talis nobilium compar solet esse virorum,
Cum viduo coniux morte carendus abest.
Territus aspexi, propiusque accedere moestam
10 Dum conarer, in hos proruit illa sonos:
Illa ego, quae toties infelix vulnera multos
Nunc annos Getico Marte furente tuli:
Quae lacrumis mea damna prius iam prosequar udis?
Tot mala sunt oculis flenda reflenda meis.
15 Quid querar ante? graveis patior quae porro ruinas,
Publica seu videam, seu bona priva, iacent.
Ah, licet armigeri sim filia Martis, et olim
Horruerit nostras caesar uterque manus.
Hei, tantum rigidae sum obnoxia Thracidos armis,
20 Ut superesse mihi nil videatur opis.
Anxia speravi meliora, sed usque recurrunt
Ante malis longe deteriora suis.
Hinc movet Euxinus, illinc Hispania bellum,
Quae fera Teutonicas depopulatur opes.
25 Confirmanda forent aeternae foedera pacis
Omnibus, a Christo nomina quotquot habent.
Hei, Turcis etiam decies crudelior ipsis,
Trux per Germanos saevit Iberus agros.
Tartarus innumeros heic destruit igne colonos,
30 Caedit et abducit cum grege, rege, viros.
Talia quis curat? quis ad ardua praelia surgit?
Seria nemo gerit: ludicra quemque trahunt.
Si gravitas unquam nobis et mascula virtus
Defuit, ah, isto tempore tota deest.

35 O ubi nunc ratio? prudentia gnara tyrannos
 Opprimere aut nostris arte fugare malis?
 Abstulit heroas nuper mors improba binos,
 Abstulit, abstulit (hei!), abstulit illa meos.
 Et Teuffenbacchium, terra Germanide cretum,
 40 Sed tamen officio coniugioque meum.
 Mox hinc Forgacium rapuit Libitina Simonem,
 Qui nobis, Troiae quod fuit Hector, erat.
 Bathoreum, Dobo, Drugethium, Rakocium, in orbe
 Liquerat heroës quattuor illa meos.
 45 Horum de numero Lachesis fera sustulit unum,
 Hommonaiacas qui Baro rexit opeis.
 O quantum cecidit tibi, tellus Hungara, robur,
 Drugethii flenda saecula morte tui!
 Non humili satus, obscuro nec patre, sed alto
 50 Sanguine, de magnis nomina traxit avis.
 Est locus Italiae veteris, qua clara Salerni
 Moenia, citrifero proxima rure solo.
 Illius hac quondam maiores urbis honoreis,
 Imperium ac fasceis sustinuerunt diu.
 55 Posteritas donec bellorum huc tempore missa
 Praefuit, ac sedeis coepit habere suas.
 Florida magnanimus regni cum sceptris gerebat
 Carolus Hungaricam rex moderatus humum.
 Drugethios aluit binos tunc nobile regni
 60 Par, titulos merito gessit uterque graveis.
 Namque palatini decus alter, at alter ad urnam
 Regia honorifici iudicis ora tulit.
 Hac de stirpe suum producere debuit ortum
 Drugethia Stephanus clarior ipse domo.
 65 Ceu se iactat avis comes inclitus iste patritis,
 Non minus a prisco matris honore viret.
 Attila, Romano generi Europaeque flagellum,
 Ex Scythiae latebris huc ubi gressus atrox:
 Sub duce septeno sua rexerat agmina, quorum
 70 Unus erat patriae nomine Gyula suae.
 Inde Gyulaphiana suos habet illius ortus
 Mater, et a veteri stemmate claret adhuc.
 Euphrosinae, Gabrielis amor, decus addita coelo
 Aethere iam natum suscipe viva tuum.
 75 Salve avia illustris, soror o germana Ioannis
 Regia progenies, costa Ioannis avi!
 Margaridos quae nomen habes, gemmae instar et astri

Inter Zapolides quod Venus una micas.
 Vos, flos Hungariae, gens Martia, dicite iuxta
 80 Pannones, a tanto quae monumenta viro.
 Quod res a puero praestanteis gesserit armis
 Martius egregie, nulla negare velis.
 Quae datur a proavis patribusque evanida laus est:
 Durat in aeternos propria fama dies.
 85 Swendius Hungaricas cum iussu caesaris arceis
 Ferdnandi eriperet, sorte favente, Getis:
 Centenis tulit auxilium comes ipse caballis,
 Marte potens equiteis rexit et ipse suos.
 Zakmaris ad pluteos specimen virtutis honestum
 90 Fecit, et egregio pectore gessit onus.
 Praeterea celsae monstravit robora mentis,
 Arx ubi de requie diruta Marte iacet.
 Praelia testantur Szyxovia, quantus hic heros,
 Quanta viro virtus, gloria, quanta fides.
 95 Tunc ubi cum paucis contra agmina plurima Turcae
 Iret, et innumeros sterneret ipse viros.
 Usque tenax calide pugnavit, et inter atroceis
 Quando foret medios, cinctus ubique Getis:
 Obrutus a tergo tulit horrida vincula servis
 100 Cassus, et a socia porro relictus ope.
 Sed Deus et sollers industria libera capto
 Membra dedit rursus, victor et inde redit.
 Quid memorem, qualis fuerit per Thurea rura,
 Mascula Turcigenis intulit arma lupis.
 105 Hinc etiam, summo quamvis discrimine vitae
 Fortis honorificas rettulit ense notas.
 Nil referam quid praestiterit per prata Kerezti,
 Res ubi cum Getico bellica Xerxe fuit.
 Pro patria vitae contemptor in agmina mille
 110 Se tulit, ex patriis fortior ipse viris.
 Impiger ad quosvis per Martia castra laboreis,
 Esuriem potuit labraque sicca pati.
 Nil adversa movere viri potuere cor: uno
 Deceptrice statu sorte per ora fuit.
 115 Sive forent gelidae nive consita tempora brumae,
 Aspera militiam quando moratur hiems.
 Sive per aestiferi quum sol canis astra vagatus
 Caldior ignivomis corpora torret equis.
 Grandia cum Turcis hastilia fregerit heros
 120 Quot, quotiesque gravis commemorare labor.

Martis erat pullus, pullos et Martis amabat,
 In bello quorum strenua dextra fuit.
 Saepe facultateis donabat fortibus amplas,
 Servos ut nervos arsit ubique suos.
 125 Castra iuvant hodie paucos Musaea Baroneis,
 Quem capiunt Martis, spernit is artis opes.
 Mars libat mulis, doctis negat oscula Musis,
 Immo deabus atrox vulnera saepe facit.
 Non sic Drugethius: sacris dedit aera Camoenis,
 130 Otiaque is studiis fecit honesta piis.
 Sumptibus Aonios magnis provexit alumnos,
 Inque tuas misit, Teutonis ora, scholas.
 Cumque intelligeret, sit quanta potentia doctis
 Litterulis, natos imbuat hisce duos.
 135 Ergo bonis favit doctoribus, utque iuventam
 Promptius instruerent, larga didactra dedit.
 Aure sacerdoteis placida templique ministros
 Auscultare, pio maxima cura fuit.
 Utque alii multi, sic diceret ista Mihalko,
 140 Cuius ad aram opera saepius usus erat.
 Osor avaritiae, splendoris amator honesti,
 Congrua personae fecit ubique suae.
 Non esus, non usus erat subrusticus: intra
 Magnificum norat se retinere chorum.
 145 Scandala vitavit velut omnia sedulus ipse,
 Sic offendiclo praepediebat iter.
 Mollis ad offensam, motae placabilis irae,
 Supplicibus veniam pro bonitate dedit.
 Summa: mihi laudum nova surgeret Ilias, omneis
 150 Si res illius enumerare velim.
 Lustra decem postquam superasset et insuper unum,
 Scandit ad emeritos clara per astra polos.
 Iam rata per sanctae triados suffragia coelo.
 Militiae aetherae, laeta triumphat, ovat.
 155 Effigiemque patris, Christum miratur et ardet,
 Et nunquam intuitu se satiare potest.
 Clausit in angusto demortua membra sepulchro,
 Laus augusta palam libera semper erit.
 Illi parta quies: nobis mala plurima restant,
 160 Ah restant, restant horrida bella, fames.
 Non tamen invideo, fatiis melioribus uti
 Drugethium. Salve, mi Baro, care pater.
 Care pater, Baro magne, vale, nova gloria divum,

Perpetuum salve, perpetuumque vale.
165 Has ubi luctifero fudisset ab ore querellas,
Orta vel antiquo Poeone, visa nurus:
Mars etiam certo testatus honore dolorem
Moestus et eversa cuspide fractus erat.
Hinc Bellona soror nigra circumdata palla
170 Stabat inornatis squallida tota comis.
Qualis ob Aemonium, quando plorabat Achillem,
Quum Paridis telo forte peremptus obit.
In lacrimas vates solvebar et ipse, nec atrox
Dicere me voluit plura (sat ergo) dolor.

680

Ad tumulum

Aspice, qui transis, vicit fera Parca, viator,
Thracia quem nequii vincere Marte, virum.
Quis fuerit, quaeris? Germanus an Auson es, Hunnus,
Es Scytha, Thrax? noli quaerere, ad Antipodas,
5 Ad Garamantas, ad extremos si veneris Indos,
Qui iacet hic, fuerit quis, tibi dicet humus.
Teuto, Getes, Pannon, Turca, Itale, Sarmata, Mosce,
Drugethium hunc proprios nostis ut unguiculos.

681

In eiusdem vexillo sepulcrali

Drugethius iacet hac Stephanus sub sindone nigra,
Inclita virtutis gloria, Martis honos.
Non superesse virum, pietas cum caesare magno
Moeret et Hungarici natio tota soli.

682

Ad eiusdem fil[ium] maior[em] natu,
Magnificum et Generosissimum Dominum,
D[ominum] Ladislaum Drugeth,
L[iberum] B[aronem] de Homonna,
Com[item] Comitatus Zemplin[iensis] etc.

Accipe, laus comitum, flos inclite, prima parentis
Gloria, Drugethiae maxime stirpis honos.

Accipe consorteis lacrimas a vate, iuventam
 Qui quondam instruxit Palladia arte tuam.
 5 Bocatius, veri si quid mens augurat, olim
 Te fore, ait, similem more et honore patris.
 Cur animer, causa est: tua mente tenaciter haeret
 Erga me pietas obsequiumque tuum.
 Nam velut aurigae generosus paret equorum
 10 Pullus et ad legeis itque reditque suas:
 Sic praeceptoris te iussa capessere iuvit
 Tunc, ubi discipulus curaque nostra feres.
 Regibus et superis qui nunquam paruit, ille
 Tradita nobiliter scepra tenere nequit.
 15 In patrios vero quoniam succedis honoreis,
 Utiliter fasceis rector habere potes.
 Drugethias aequare velis conamine laudeis,
 Haeredem virtus te facit illa suum.
 Quum pius incipias sacris impendere curam,
 20 Inprimisque Deo scita profecta flagres:
 Adiiicient superi tibi reliqua cuncta, praealtos
 Isto quae comites orbe manere solent.
 Iuris et aequarum fueris gravis assecla legum:
 Esse Themis debet sancta Baronis amor.
 25 Plura monere meum non est, prudentior aetas
 Ipsa tibi monitrix, ipsa magistra venit.

683

Magnifico et Generosissimo Domino,
 D[omino] Valentino Drugeth, Lib[ero] Bar[oni] de Homonna,
 Comiti Comitatus Ungvar

Qui virtute tua cunctis velocior annis
 Ardua magnifice scepra tenere voles;
 Quem comites comitem iure elegere potentes,
 Ungvariense animis ut moderere solum:
 5 Teque simul compello tui sub funere patris,
 Aemulus ut tanti facta sequare viri.
 Et facies, credo; nondum florentior aetas
 Protulit a cunis bis duo lustra tuis:
 Libra tamen procerum laxas tibi credit habenas,
 10 Patronumque sui te cupit esse gregis.
 Tu puer Aonias didicisti gnaviter arteis,
 Quae tibi subsidium, quae tibi praeses erunt.

Subiectis igitur moderabere legibus aequis,
 Et quaecunque geres, non nisi iure geres.
 15 Iamque coarctabis sceleri, iam laxa remittes
 Fraena bonis, clemens et metuendus eris.
 Sed quoniam pietatis amor promittit honestos
 Rerum successus, sacra fovere velis.
 Hoc dat ruris onus, felicia iugera terrae,
 20 Hoc dat honoris opes, hoc dat amoris opus.
 Sis unus cum germano, partitaeque regna
 Assere dividua scepra tenendo manu.
 Grandior est annis Ladslauss amansque tuorum,
 Illius auxilio consilioque regas.
 25 Vivite concordēs, par fratrum nobile, vestris
 Auspiciis virtus crescet et alma fides.

684

Ad Rever[endum] et Doct[issimum] V[irum],
 D[ominum] Ioannem Mihalkonem,
 Past[orem] Hung[arorum] Epper[iessini]

Drugethii propter mortem ferventior udis
 Hactenus ex oculis decidit unda meis.
 Absternit lacrimas hodie mihi foemina, Musam
 Crediderim: Vates, cur ita plangis? ait.
 5 Drugethio binos uni succedere nescis?
 Unius interitus vita duobus erit.
 Iane-Mihalko, tuos mecum iam corrige planctus,
 Drugethiana queat degenerare domus.

685 Monumentum Generosiss[imi] et Egregii Nobilissimique Viri,
 D[omini] Andreae Ketzer etc.

Ketzer in hoc iacet Andreas post fata sepulcro,
 Patri et avo gratus, dive Rodolphe, tuo.
 Esset adhuc si nobilitas, si conscia recti
 Mens, pietas sinerent vivere, sique fides.
 5 Ah, recubet felix parva vir magnus in urna,
 Gloria Ketzeridum, lausque paterque soli.

25 par fratrum nobile — Hor. Sat. II, 3, 243
 3—4 conscia recti Mens — Ov. Fasti IV, 311

In eiusdem tumba

Ketzerii Andreae sunt heic posita ossa, viator:
 Sta, lacruma, fleri vir quoque dignus hic est.
 Hoc facit et pietas, trino cum caesare virtus,
 Hungarias, proceres, nobilis, acer eques.
 5 Clauditur hoc equidem sub saxo corpus, at alto
 Mens illata polo gloria, fama solo est.

In cippo Generosi, Egregii et Cordatissimi Viri,
D[omini] Alexandri Usz

Regem ut Alexandrum viridi mors abstulit aevo:
 Usz et Alexander sic iacet ante diem.
 Grandis uterque tamen factis praestantibus: ille
 Marte ad se cunctas transtulit orbis opeis;
 5 Hic patrios propterque focos arasque cruentas
 Rettulit ex Getico sanguine saepe manus.
 Vita nihil longa est, si ingloria ducitur, annos
 Non raro virtus anticipare solet.

Fabricio meo aegrotanti

Indulge, Fabrici, raro te viso iacentem,
 Quippe puerperio nunc iaceo ipse meo.

*

Ioan[nes] Fabricius Bocatius P[oetae] L[aureato] suo εὐπρόστυτον — v. **app. 63.**

*

Fabricio Bocatius

Est ita, subscribo, Fabrici, nam rebus in arctis
 Sors nos ex animo discere multa facit.
 Sic alia est portu streperis affectio nautis,
 Mox alia in vastis, qua furit auster, aquis.

- 5 Ergo tuo laetare bono, quia discis, utraque
Quid sint sorte fides, gloria, mundus, opes.

690

D[omino] Michaeli Wirtio podagrico.
De fonte acido penes Epperiess[inum] morbos curante

- Hoc acidas de more die plebs currit ad undas,
Sueta malo aegrotos fonte lavare pedeis.
Namque hac (si verum est) ibi qui se luce rigavit
Aeger, ei totus sospes hic annus erit.
5 Ut, Wirti, valeas, ego deportabo podagram
Istuc Pegaseo crure poeta tuam.
Non cessabo lavare tuas prece, carmine plantas.
Donec, Abantiades praepes ut alter, eas.

Lector Benevole! [b]

- 1 Adhuc paullum te sustine, et si lubet, residuas etiam chartas, magis ad alienam,
quam ad meam valentis laudem, pellege. Martius iste tractus quoque Palladius
educat proleis. Ut credas, aspice: nam ideo fimbriam isti meae tunicae non meam
2 adsuo. Iactantiae suboles esse nolim. Quis cordatus peregrino potius genio,
quam suo, mallet clarescere? Non tam magnus et amplius, quam bonus et officio-
sus audire contendo. In hoc vitium (heu!) nos aetatis vitio plerique, immo omnes,
proni; ut laudum illud poppisma feramus. Sane, non indignor, alii vel ipsius glo-
riae pennis in altum sustollantur; felicius

me mea terra tenet.

- 3 Sunt mihi carmina, sunt epistolae, in quibus magnis (monstrabo, si cupis)
architectis laudor. Sciunt hoc ex amicitiae meae recessu multi. Sed illa iam non
convoco, quamvis mihi suppetant, Eobanum, Sabinum, Lotichium, Schosserum,
Pannonium et alios deos poeticos, suo qui caelo stellas etiam alienas inseruerunt.
4 Sed quis ego? Genus fatear? plebeium. Opes? nullae. Fortunam? rara. Virtutem?
infirmam. Aetatem? exigua. Fautoreis? modici. Amicos? fucati plures, veri pauci.
Quid ergo? nemini nocere (pace, modestia tua dico), prodesse conor multis.
Perge, perge, non te poenitebit,

Lector Benevole.

2 me mea terra tenet — cf. Ov. Trist. III, 8, 31; Sen. Herc. fur. 196
4 pace tua — Terent. Eun. 466; Cic. Tusc. V, 5, 12; Tibull. II, 5, 105; Catull. LXVI, 71;
Prop. III, 20,4

Sed tu, livor edax, odio licet ilia rumpas,
Carpere vel noli nostra, vel ede tua.

*

Humanissimo atque Doctissimo V[iro], D[omino] Ioanni Bocatio, iuventutem in schola Epperiessina piis litteris erudienti, amico suo — Christophorus Liber Baro a Teuffenbach — v. **app. 64.**

*

Literatissimo et Humanissimo Domino, Ioanni Bocatio, suo percaro amico. — M[agister] Samuel Sauterus — v. **app. 65.**

*

Virtutibus ac eruditione praestanti Domino Ioanni Bocatio, Scholae Epper[iessinae] Rectori, amico nobis honorando — Georgius Hoffman, Nicolaus Orle — v. **app. 66.**

*

Ornatissimo Viro, Domino Ioanni Bocatio, Ludirectori Epperiensi doctissimo, amico percharo, S[alutem] P[lurimam] D[ico] — Georgius Hoffman — v. **app. 67.**

*

Clarissimo Viro, Do[mino] Magist[ro] Ioanni Bocatio Lusatio, Poetae Laureato, Scholae Epperiensis Rectori dignissimo etc. Domino amico nobis honorando — Iudex et iurati cives Civitatis Leutschoviensis — v. **app. 68.**

*

Humanitate, Eruditione et Pietate praestanti Viro, Domino M[agistro] Ioanni Bocatio, Rectori Scholae Epperiensium solertissimo, amico et fratri carissimo, S[alutem] in Christo unico et salutis nostrae autore — Antonius Platnerus — v. **app. 69.**

*

Clarissimo V[iro] Pietate, Eruditione et Virtutibus insigni, Domino Magistro Ioanni Bocatio, Poetae L[aureato] et Scholae Epperiensis Rectori dignissimo,

Domino et amico suo honorando. — M[agister] Georg[ius] Trösterus, Pastor
ibidem — v. **app. 70.**

*

Ex epistola D[omini] Georgii Hoffmanni, caesarei consilarii — Georgius
Hoffman — v. **app. 8.**

*

Eiusdem — Georgius Hoffman — v. **app. 71.**

*

Mecoenatis D[omini] Christoph[ori] Darholtz etc. — Christophorus Darholtz
de Fyntha — v. **app. 72.**

*

M[agistro] Ioanni Bocatío, affini suo, Salutem dicit Severinus Sculteti — v.
app. 46.

*

D[omini] Michaelis Kathay caes[areorum] cert[antium] equitum capitanei etc.
— Michael Kathai etc. — v. **app. 73.**

*

Dom[ini] Michaelis Wirt, iudicis et notarii Epperiessini — v. **app. 74.**

*

Ex epistola D[omini] Georgii Hoffmanni, caesarei consilarii — v. **app. 75.**

*

D[omini] Stephani Hertzeg, sen[atoris] primarii Reipub[licae] Cassov[iensis]
— v. **app. 76.**

*

Illustris et Magnifici Dom[ini], D[omini] Simonis Forgacz, Lib[eri] Baronis de Gyemes, caes[arei] consil[iarii] et Pincernarum Regal[ium] in Hung[aria] Magistri etc. — v. **app. 77.**

*

Eiusdem filii, Dom[ini] Michaelis Forgacz, Lib[eri] B[aronis] de Gyemes — Michael Forgacz — v. **app. 78.**

*

Mecoenatis mei — C[ristophorus] Darholtz de Fyntha — v. **app. 79.**

*

Ioannes Balogus Ioanni Bocatio Salutem — v. **app. 80.**

*

Dom[ini] Ioannis Crausii, 13 in Scepusio oppid[orum] Prov[isoris] — I[oaannes] Kraus — v. **app. 81.**

*

Magnifici Dom[ini] Michaelis Forgacz, Lib[eri] Bar[oni] de Gyemes etc. — Michael Forgacz — v. **app. 82.**

*

[Responsio] M[agistri] Ioannis Bocatii P[oetae] L[aureati] — v. Musae parentales.

*

Dom[ini] Georgii Capronci, caes[arei] consil[iarii] — Georgius Kaprontzai — v. **app. 83.**

Alia — S[ebaldus] Artnerus notarius — v. **app. 84.**

*

Alia — Andreas Brezewicii de eadem — v. **app. 85.**

*

Alia — Daniel Fabinus Epperiensis — v. **app. 86.**

*

Alia — Iudex et iurati cives Civitatis Epperies[sensis] — v. **app. 87.**

*

Alia — Iudex et iurati cives Civitatis Leutschowiensis — v. **app. 88.**

*

Alia — Domini Ladislai Drugeth, Lib[eri] Baronis de Homonna, Comitis Comit[atus] Zemplin[iensis] etc. — Ladislaus Drugeth L[iber] B[aro] de Homonna — v. **app. 89.**

*

Alia — Civitatis Cassoviensis — Iudex et iurati cives Civitatis Cassovien[sis] — v. **app. 90.**

*

Alia — Caspar Frank — v. **app. 91.**

*

Alia — Ioh[annes] Thebesius — v. **app. 92.**

*

Alia — Ca[spar] Frank — v. **app. 93.**

*

Alia — Leonhardus Mokoschinus Vice-archidiaconus Ecclesiarum Comit[at]us Liptovien[sis] — v. **app. 94.**

*

Alia — Ioannes Balogus, concionator Szilven[sis] et Demeten[sis] — v. **app. 95.**

*

Alia — M[agister] Nicol[aus] Dalhemius Palatinus; Rector Scholae Bartph[ensis] — v. **app. 96.**

*

691

Ad Doctiss[imum] V[irum],
D[ominum] M[agistrum] Nicol[aum] Erhardum Dalhem[ium]
Palat[inum], Gymnasiarcham Bartph[ensem] cordatiss[imum]

Bartphensis bone gymnasi magister,
O et delitium novem dearum!
Quum Guttgesellius imperatum abiret
Scholae examinibus Belensis, ille
5 Phoebi Calliopesque cultor, ille
Musae filius, ille amor bonorum:
Amicum volui monere paucis
Nostrum versiculis scholae molestis
De laboribus, ut minus beatam
10 Hanc spartam tolerare posset aequa
Mente, ac tristia devoraret omnia,
Exemplo monitoris, et procacem
Vulgi concoqueret subinde vocem:
Solum me querulum arbitrabar esse
15 Scholarum per acerba tanta regem.
Sed cum te quoque conqueri viderem,
Ipse in haec cito verba sum solutus:
En vir iste gravi eruditione
Longe celsior atque maior aevo
20 Te, quid non queritur simul, Bocati?
Sumpsi rursus animos mareis, dolorem
Contra fortior ire cogitavi.
Non adversa probe feruntur uni.
Est commune malum medela cunctis.

*

Aliud — M[agister] Nicol[aus] Erhardus Dalhemius Palatinus, gymnasii, quod Magnificus et Generosus D[ominus], D[ominus] Gregorius Horvath etc. fovet in Neërer, rector, 26. Ianuarii anno 96. perscripsit — v. **app. 97.**

*

Aliud — M[agister] Ioannes Rhau, rector Leutschoviensis — v. **app. 98.**

*

Aliud — Martinus Brechtelius, civis Cassoviensis — v. **app. 99.**

*

Aliud — Ioannes Gerstman, scholae Bartphensis collega primarius — v. **app. 100.**

*

Aliud — Maximilianus Fabinus Sepusius, collega Epper[iensis] scholae — v. **app. 101.**

*

Aliud — Adamus Kunischius, collega docentium in schola Cassoviensi, moris et amoris ergo f[ecit] — v. **app. 102.**

*

Aliud — Amicitiae ergo scripta a Stephano Peregio Cassovien[si] — v. **app. 103.**

*

Aliud — Martinus Rosenman Carponensis — v. **app. 104.**

*

Aliud — Stephanus Telegdius Ungarus, benevolentiae declarandae grataeque recordationis ergo faciebat Witebergae — v. **app. 105.**

*

Epigramma ad Spectabilem et Magnificum Dominum Christophorum, Liberum Baronem a Teuffenbach, Equitem auratum, caesar[eum] nec non Sereniss[imi] Archiducis Austriae Maximiliani Consiliarium bell[icium] et Generalem superiorum Hungariae partium Capitaneum etc. — Witebergae faciebam Fridericus Taubmanus, Francus, Poeta et Professor — v. **app. 1.**

*

Aliud — Ernestus Hettenbach, Medicinae Doctor et Professor, pro tempore Rector Academiae Witeber[gensis] — v. **app. 3.**

*

Aliud — Salomon Gesnerus S[acrae] Theologiae Doctor et Professor Witeber[gae] — v. **app. 4.**

*

Aliud — Nicolaus Steiner Wratislaviensis, P[oeta] L[aureatus] C[aesareus] — v. **app. 5.**

*

Viro Nobili et Clarissimo, D[omino] M[agistro] Ioanni Bocatio, P[oetae] L[aureato] C[aesareo] — Shemnicii f[ecit] Matthaeus Zuberus, P[oeta] L[aureatus], Illust[ris] ac Gener[osi] D[omini], D[omini] Nicolai Forgacz de Gyms, praeceptor — v. **app. 106.**

*

Aliud — Michael Wirth manu propria ex lecto podagrico rescripsit in festo D[ivi] Mich[aelis] anno 96 — v. **app. 107.**

*

Viro Clarissimo, D[omino] M[agistro] Ioanni Bocatio, P[oetae] L[aureato] C[aesareo], Gymnasiarchae Epperien[si] digniss[imo] et mihi amicissimo — Ioannes Balogus, P[astor] Ecclesiae Kissilvanae et Demetanae — v. **app. 49.**

10

CORDIFICIUM

Munusculum hoc Bocatianum in patenti forma vel perdidit vel adhuc latet. Fol. tit. haud integrum ex Inventario coram senatu d. 26 Februarii a. 1606 Northemii acto notum est, ubi sequentia leguntur:

”Ein Kupferstucke, daroben stehet
 ΣΥΝ Erit Melius ΘΕΩ
 Stehet unter dem Kupferstucke
 Post haec meliora sequentur
 Invent[or] Joan[nes] Bocatius, sculp[sit]
 Caspar Hannolt, Pragae.

Cordificium	Hertzmacher
Darunter lateinische Verß	Teutsche Reime
Pragae ex officina Ottmariana 1604.”	

In: Invent. ffol. 91; 106.

Textus, quibus usus sum: Cod. Chron. 168a; Matr. 18b; REZIK Sect. II. cap. V.

Fus.: OTTO: Lex. 136; Fhagy. 90—91; PEIL 693—696; MPEtA 34—37; REPČÁK III.; FRINTA 242; Sl. věz. 23; Luž. srbové 163; K čin. Boc. 54—55; SB Slow. 36; MRUŠKOVIČ 15; MM 82.

CORDIFICIUM

692

Cordificium

Conscia mens recti, cor alacre piumque secunda
 Sperat, et adversis nulla expavet anxia rebus,
 Lusorum de more ausum omne periculum intrare.
 Fossor humo, nauclerus aquis, bona rusticus agris,
 5 Triga diis confisa tulit potiora: ruinas
 Ille, procellas iste, trucem hic aquilona triumphans.

I Conscia mens recti — Ov. Fasti IV, 311

Trossulus et lixa interdum quoque regulus exit,
Nunc equitans mendicato olim pane fuit stirps.
Morbifer aut valet, aut Christo duce scandit ad astra.
10 Sume animos in sorte mareis peiora leonis,
Adversis bona succedent melioraque votis:
Tandem erit hic melius, si non hic, restat Olympus.

693

Herzmacher

Frisch, fröhlich, fromb und unverzagt,
Mein Glück ist mir noch unversagt,
Wer spielen will, der manches wagt.

5 Wer Bergwerk, Schiffart, Acker baut,
Der hofft das Best' undt Gott vertraut,
Frost, Hitz, Schnee, Regen nicht anschaut!

Ein dess kompt oft zum Regiment,
Manch Doktor war ein Mendicant,
Der krank genas zum sel'gen Endt.

10 Im Unglück hab ein Löven Muth,
Es wird doch alles werden gutt,
Ja besser, denn man's hoffen thut.

12 erit hic melius — Suet. Dom. 23

11 Es wird doch alles werden gut — Suet. Dom. 23

PROSOPOPOEIA DIEI SUI VENERIS

Exstat adhuc visendaque Claudiopoli domus vetus (olim: Óvár, Mátyás utca 1. hodie: Strada Matei Corvin 4.), in qua Stephanus Bocskai, princeps Transsilvaniae, anno 1557 Kalendis Ianuariis (die Veneris!) natus est. Si hanc intrabimus domum, in vestibulo videbimus quattuor tabulas marmoreas, quibus poema Prosopopoeia diei sui Veneris insculpta est. Prosopopoeiam tria sequuntur carmina: Apostrophe ad diem Veneris; Author ad diem Veneris; De eodem serenissimo principe trium dearum festivus dialogus. Tabulae marmoreae in illius domus parietibus collocabantur a. 1606 die 25 Octobris.

Bocatius hanc Prosopopoeiam iussu principis fecit. Audiamus, quid in captivitate ipse Noster dicat de hoc poemate:

Quaestio: "24. Ob er sich zu der proposopopoeia [sic] erkenne."

Responsum: "Ad 24. Die Prosopopoeiam habe er aus der ihm von dem Botskai durch seinen Cammerling zugeschikten Prosa gemacht undt daz aus befehl des Botskay."

Prosam in responso memoratam v. App. 141. Post reditum ex captivitate Noster de hoc poemate ne verbum quidem usquam fecit.

Scriptura: litterae uncis inclusae sic proveniunt: vocales: (e) pro ae; (oe) pro e; (u) pro v; (y) pro i, ii; consonantes: (l) pro ll; (v) pro u; (w) pro v.

Textus, quibus usus sum: DcCl. 1734; DcCl. 1736; DcCl. 1747.

Fus.: KAZY 33—34; BUDAI É.: 204—208; Bell. Cass. 46—52; JANKOVICH 1818. I. 68—75; LETAVAY 1818. V. 132—133; S. LACZKÓ: Krónika 96—98; SZAMOSKÖZY: Euph. carm. 111—115; SEGESVÁRI: Krónika 165—168; VASS 15—19; JAKAB 445—451; SÁNDOR: Kvár (GenFüz 1913: 57—72); DONGÓ GYÁRFÁS 186—189; SÁNDOR: Kvár. c. eml. 36—39; MÁRKOS 14—18; 58—61; Exc hist. 111b—113a; BÍv. 1ab.

PROSOPOPOEIA DIEI SUI VENERIS

Lectori — v. app. 108.

*

Serenissimi Hungariae Transsylvaniaeque principis
et Siculorum comitis etc. domini Stephani
Dei gratia domini, domini sui clementissimi

Prosopopoeia diei sui Veneris

Stella micans Veneris, prae stellis omnibus una,
Solisequa et solis praevia, solis amor.
Quo, fautrix pretiosa, tuos dignabor honore,
Quis mactas tanta me bonitate, dies?
5 Luce tua lux prima meis natalibus orta est,
Arce Colosvari, cum pater exul erat.
Quando domum Austriacam propter constantibus ausis,
Nunc ingrata mihi, gens mea vincla tulit.
Conscia te, vindex ingratos ultio mansit,
10 Luce tua arce hostes cum pepulere mea.
Doctus ad has artes in me configere crimen
Infoelix Italus non dubitavit homo.
Et genitorem et me semper fidum Austria sensit,
Aut superi testes integritatis erunt.
15 Aulam ad caesaream atque ad totum provoco mundum,
Immeritum iniustas hinc retulisse viceis.
Causa triumphavit mea, nostris Petzius armis
Succubuit caesus nempe die Veneris.
Non habuit v[indicata mod]um, Beliiosa fugatus
20 Cessit, et urbs mea sit Cassa die Veneris.
Arrisit lux ulterius, sua moenia nobis
Dedit Epperies, nempe die Veneris.
Vexillum oblatum est, Turcarum a caesare munus,
Cum clava aurata nempe die Veneris.
25 Cum Basta mihi prima fuit pugna Edeliana,
Perdit ubi ille homines mille die Veneris.
Bis quadringentos amittis ab igne Buchaime,
Me victore, die (nempe meo) Veneris.
Victrici nostro cedunt hinc ardua nutu
30 Moenia Keovari, dum nitet ipsa Venus.
Zathmarium indocile incursus, dabo, dixit et obses
Traditus est, Veneris res ea gesta die.
Applausit fortuna meis nova honoribus, arcem
Fileci Veneris coepimus inde die.

2 Solisequa **Pros.** ? Solis aequa, *tabula correpta, legi non potest*

35 Ecce Colonicios equiteis pediteisque triumpho
 Ad Sebesi, Kelemes rura die Veneris.
 Quartum hinc commissum est cum Basta praelium, ut ora
 Cum planctu exiret hacce die Veneris.
 Ille quidem elapsus venit Pisonis ad urbem
 40 Exustam exterius caede die Veneris.
 Nec spacium suffecit, et hoc mihi tradidit arcem
 Victus Trentsiniam Teuto die Veneris.
 Dinglegio ad Moravos duce caedes edita campos,
 Nostraque vicerunt arma die Veneris.
 45 Inde urbs natalis patriae me principis ornat
 Fascibus, acceptum rite die Veneris.
 Postquam adversantes excessere arce Segesi,
 Patria tota vacat hoste, die Veneris.
 Archicatedralis nova episcopum amicula cessit
 50 Cum multa nobis laude die Veneris.
 Vota secundavit Deus et forte accipio Huztum,
 O memorabilium luce, die Veneris.
 Nomine vezerius Turcarum caesaris offert,
 Accipio et Veneris hoc diadema die.
 55 Dantibus extremum Germanis omnia, Devam
 Transsylvania habet cuncta die Veneris.
 Denique Murani praeruptis cotibus arcem
 Imperio nostro subiicit alma Venus.
 Nil siet, ut reliquum Veneris de munere nobis
 60 Tokaii attribuit moenia blanda Venus.

695

Apostrophe ad diem Veneris

Alma dies Veneris, Veneris multum alma dies, quas
 Ergo tibi grateis postmodo dignus agam?
 Salve accepta dies, mihi numinis una manebis
 Instar, et aeternum festa perennis eris.
 5 Bellorum in cursu duce te foeliciter usus,
 Annue constanter diva, secunda geram.

49 cessit **Pros.** cessut

53 vezerius **Pros.** wezerius

60 attribuit **Pros.** auribuit

600

Author ad diem Veneris

O stupor atque o diva dierum, o diva dierum!
 Ut Romana nihil me iuvet illa fides.
 Hac sum parte tuus, tibi princeps plurima noster
 Debet, et auspicio res ea plena tuo est.
 5 Salve o fausta dies, totiesque redire memento,
 Te quoties princeps vult rediisse meus.

De eodem serenissimo principe
trium dearum festivus dialogus

Maxima tres divas haec inter quaestio mota est:
 Princeps sit cuius filius Hungariae?
 Noster, ait Iuno, est, opibus tam splendet et auro.
 Asserit e contra cauta Minerva suum:
 5 Plus prae divitiis ornat sapientia regem,
 Ubera ei mater Pallas ego una dedi.
 Dulce Venus risit, si proles vestra, mea cur
 Omnia sunt ipsi prospera nata die.

3 princeps Pros. princeps
 6 princeps Pros. pricep
 1 haec Pros. hec
 5 prae Pros. pre
 6 ei Pros.'eii / Pallas Pros. Palas

TOMI SERIEI NOSTRAE

*Tomus VI**

STEPHANUS BRODERICUS
HISTORIA · ORATIO

Ediderunt

P. KULCSÁR et CS. CSAPODI
pp. 92 — ISBN 963 05 3837 7

Tomi VII—IX

JOHANNES DE THUROCZ
CHRONICA HUNGARORUM

I. TEXTUS

Ediderunt

E. GALÁNTAI et J. KRISTÓ
pp. 332 — ISBN 963 05 3625 0

II. COMMENTARII

Composuit E. MÁLYUSZ

1. Ab initiis usque ad annum 1301
pp. 603 — ISBN 963 05 4795 3
2. Ab anno 1301 usque ad annum 1487
pp. 500 — ISBN 963 05 4833 X

Tomus X

GEORGIUS PURKIRCHER
OPERA QUAE SUPERSUNT
OMNIA

Edidit M. OKÁL

pp. 255 — ISBN 963 05 4790 2

Tomus XI

GREGORIUS GYÖNGYÖSI
VITAE FRATRUM EREMITARUM

Edidit F. L. HERVAY

pp. 252 — ISBN 963 05 4873 9

Divulgatur per

KULTURA

loculus postalis 149, H-1389 Budapest

